


1.

Josephi Carpani Romani I. V. D.
et in Romano Archigymnasio Iuris
Civilis in P.a Sede Professore Ordinarius

Iosephi Carpani Romani I. V. D. et in
Romano Archigymnasio Iuris Civilis in p.a Sede professor Ord.s

GYMNASIVM
PATAVINVM
IACOBI PHILIPPI
TOMASINI
EPISCOPI ÆMONIENSIS
Libris V. comprehensum.

Primus de Gymnasii origine, incremento, decremento, confirmatione, ædificiis. De Vniversitatibus Studiosorum, eorum Privilegiis, honoribus, ministris. De Professoribus, Cathedris, Collegiis, ceterisq; ad veram totius Academiæ rationem pertinentibus.

Alter Professores tum Iuris Pontificii, tum Civilis à prima origine ad nostra tempora enumerat.

Tertius Professores Theologiæ, Sacri Codicis, Philosophiæ Naturalis, Moralis, Metaphysicæ, ac Medicinæ, aliarumq; Artium recenset.

Quartus Gymnasii historiam, & memorabilia quædam ad annos quingentos breviter persequitur.

Quintus Gymnasii Monumenta exhibet.






VTINI, Ex Typographia Nicolai Schiratti. M DC LIV.
SVPERIORVM PERMISSV.

Ex legato Josephi Carnemi [illegible] V. D.



ILLVSTRISSIMÆ
NATIONI GERMANICÆ
Iuri, Sapientiæ, ac Medicinæ
IN CELEBERRIMO LYCEO PATAVINO
Sedulo operanti

IACOBVS PHILIPPVS TOMASINVS ÆMONIÆ PRÆSVL F. P.



Acris à prima juventute addictus cùm divinarum ac humanarum literarum disciplinis animum ad publici Honoris specimen excoluissem, omne studium ratus irritum, quod nihil ad aliena commoda conferret, qua potissimum ratione meam qualemcunque ingenioli operam patriæ probarem, serio cogitare cœpi. Occurrebant oppido varia eius ornamenta exteris non usque cognita. Itaque iis evolvendis mentem admovi: inter quæ prima suis exemplis invitabant, animumque addebant summorum virorum nomina, quorum virtutes latere iniquum videretur.

Instituto respondit eventus. Hæc enim meo stilo in memoriam revocata secundis eruditorum vocibus postquam exciperentur, alia subinde mihi nata scribendi materia non pauca diversis literarum proceribus ad cuiusque genium dicata in medium protuli.

Iam Summo Pontifici INNOCENTIO X. De Hospitalitate libellum inscripsi tamquam totius orbis Patri, & Sospitatori, qui advenas cuiuscunque generis in suum sinum recipit, eosque ad summos honores evehit. ANNAE Galliarum Reginæ Illustrium etiam virorum, & mulierum vitas veluti Heroinæ Augustæ dicavi. Serenissimo Venetiarum Duci Francisco Erizzo, Excelsoque Senatui Annales Canonicorum S. Georgii, qui ex amplissimo Senatorum ordine originem trahunt: Patriæ insuper meæ Decurionibus, & Civibus monumenta maiorum, ac Elenchum familiarum nuncupavi. Sed & Purpuratis Principibus S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus studiorum meorum patronis, Eminentissimis Francisco Barberino, Ioanni Francisco ex Comitibus Guidiis à Balneo, Cyriaco Roccio, Federico Cornelio, Marco Antonio Bragadeno, Iulio Mazarino, & Dominico Cecchino diversæ lucubrationes exhibitæ. Summorum Pontificum Nuncios ad Serenis. Rempublicam Venetam Ioannem Baptistam Agucchiam, Ioannem Franciscum Vitellium, & Comitem Elvium Archiepisco-

sco-

ſcopum Piſanum meis etiam commentationibus interpellare licuit. Eodem obſequio Proceres Venetos, & Equites Romanos proſequi conſultum fuit. Nec doctrinæ fama claros præterii exteros, ut ipſorum adirem judicium. Ceterum hærenti mihi cuius imploranda foret huic operi tutela, quod aliquot jam annis adornatam lucem geſtit, Veſtro utique conſpectu dignum id cenſui, in quo immortalis gloriæ veſtræ trophæa elucent. In hac enim Vniverſitate florentiſſima, veluti in ampliſſimo eruditi orbis theatro ab omni memoria egerunt Inclitæ Nationis Germanæ cives ſanguine, omnique virtutum genere conſpicui, Principum, Comitum, Baronum, Nobiliumque illuſtris progenies. Ex qua tot prodiere ſummi nominis viri, qui toga, ſagoque Sacri Romani Imperii, aliarumque politioris Europæ regionum rem integerrimis adminiſtrarunt conſiliis. Quid memorem omnis doctrinæ liberalis columina, quorum præclara ingenii monumenta univerſum orbem ſibi demeruere, quorum fama ſeſe ad poſtremos terrarum fines extendit? Nec mirum apud omnes veſtram hanc eſſe laudem, qui ſingularem in conſtituendis, ac dirigendis rebus veſtris prudentiam, in ampliandis Vtriuſque Iuris, Artium, divinæ, & profanæ Sapientiæ, ac Medicinæ inſtitutis diligentiam, avidis heic oculis hauſerunt; qua effectum, ut Sereniſſimi Ducis Veneti benignitate in dies non modo

cu-

cumulatiora legibus veſtris peculiari Senatus ampliſſimi decreto conceſſis accederent ornamenta, & commoda: Sed Inviđiſſimi Imperatoris, aliorumque Regum, ac Principum clementia auđiora in poſterum incrementa, & commoda Vobis augurari ſit integrum. In vos igitur oculi omnium jure convertuntur. Vos mirantur omnes, ut viros claros, prudentes, ſplendidos, comes, ſummeque moderatos: Rectores Vrbis lætis frontibus veſtrum obſequium excipiunt, meritis veſtris indulgentiores favoribus vos fulciunt: Cives Patavini prudentiam, ſedulitatem veſtram, quietem, in gymnaſticis, omniumque literarum ſtudiis frequentiam admirantur, veſtram amicitiam admittunt; Profeſſores Gymnaſii veſtram in ſubſelliis præſentiam exoptant: nihil illis gratius, quam ad eruditionis opinionem veſtro cœtu perfrui. Nec dubia ſpes eſt, quin iſtæc monumenta veſtris inſignita ſummis virtutibus, quam ceteris benevolentiam animo impertiiſtis prolixo, iudiciique æquitatem experiantur uberrimam. Mihi ſanè magni erit, intelligentibus placuiſſe mea, quorum judicio pluſquam auræ populari tribuo. Ita, quod ex animo precor, Vos Deus ad Germani nominis ſtabilimentum diu concordes foveat, confirmet, veſtrumque conſeſſum bonis omnibus exoptatum diutiſſimè florentem præſtet. Patauii Cal. Octobr. CIↃ IↃC LIV.

PRO IMPRESSIONE.

Opus isthuc, antiquitate eximium, utilitate singulare, cui inscriptio est, Gymnasium Patavinum, *Illustrissimi, & Reverendissimi D. Iacobi Philippi Tomasini, dignissimi Æmoniensis Episcopi, ego Ioan. Cottunius in Pat. Univers. Philosophus Primus diligenter perlegi: neque in eo quicquam reperi Fidei Catholicæ, morumve probitati, aut Principum institutis adversans: Quinimò ex eo poterunt Scholares multa prisci & integri ævi documenta ad benè vivendum haurire; & publica Serenis. Reip. Venetæ prudentia ac munificentia in regendo ac conservando Patavino Gymnasio præfulget. Propterea dignissimum censeo, quòd in publicam lucem prodeat.*

Ego Ioan. Cottunius, Eques, qui supra.

Die 29. Mensis Octobris 1652.

Opus præsens manuscriptum cartarum in folio 181; *cuius initium est Gymnasium Patavinum Iacobi Philippi Tomasini Episcopi Æmoniensis, & incipit* Gymnasii Patavini &c. *& finis* videre est, *fuit pro impressione Paduæ admissum, & approbatum, stante suprascripta attestatione Excellentiss. D. Ioannis Cottunii Equitis, & in Universitate Patavina Philosophi Primæ Sedis, quod in ipso opere non sit aliquid contra Catholicam Fidem, Principes, aut bonos mores.*

Ita est, Ego Frater Antonius Vercelli de Lendenaria Inquisitor Generalis Paduæ, manu propria.

L*Icentia conceditur, ut imprimatur Liber inscriptus:* Gymnasium Patavinum Iacobi Philippi Tomasini Episcopi Æmoniensis Lib. quinque comprehensum.

Datum die 18. *Octobris* 1654. *in Civitate Vtinensi apud Ædes Sanctissimæ Inquisitionis infra septa Monasterii Sancti Francisci interioris.*

Frater Hieronymus Baronus de Lugo Ord. S. Francisci Min. Con. in Civitatibus & Diæcesibus Aquileiæ & Concordiæ Inquisitor Generalis.

Noi Reformatori dello Studio di Padoua

H*Auendo veduto per fede del P. Inquisitor Generale di Padoua, come nel Libro intitolato Gymnasium Patauinum Iacobi Philippi Tomasini Episcopi Æmoniensis non v'è cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, & similmente per attestato del Segretario nostro niente contro Prencipi, & buoni costumi, concedemo licenza che sia stampato, douendosi osseruar le Leggi in questo proposito. In quorum fidem &c.*

Dat. li 7. *Settembre* 1652.

§ Vicenzo Gussoni Caualier, Procurator, Reformator.

§

§ Bertucci Valier Caualier, Reformator.

Pietro Vianoli Segretario.

IN-

INDEX
LIBRORVM, ET CAPITVM.

LIB. I.

b De

De

LIB. II.

Pro-

LIB. III.

De Professoribus Artium, Philosophiæ, Medicinæ, itemq; Sac. Theologiæ.

Pro-

Pro-


LIB. IV.

LIB. V.

IACOBI PHILIPPI TOMASINI EPISCOPI AEMONIENSIS De Gymnasio Patavino Commentaria.

LIB. I.

Gymnasii Patavini origo. Cap. I.



Ymnasii Patavini originem vetustate, & seculorum calamitatibus fere obliteratam deprehendimus, etiamsi non desint, qui ex clarioribus civibus T. Livio, L. Arruntio Stella, Caio Valerio Flacco, Volusio, C. Cornelio Augure, Corellio, Pædiano, Thrasea Pæto, Maximo Olybio, innumerisque Cl. Virorum inscriptionibus, quæ in agro Patavino repertæ elegantiam, & eruditionem spirant, primitus bonarum artium Academiam hic floruisse autument.

Certum est T. Livium ultimam senectutem in patria traxisse defuncto Augusto, seu amore suorum larium, seu gratia uberioris otii, seu quod Tiberius non tanti fecerit magnos homines, prius Octaviani humanitate convocatos. Cujus ossa diu recondita prope cœnobium S. Iustinæ anno MCCCCXIII reperta in publico Palatio asservantur. Floruit hic tempore Augusti, quo Latinæ eloquentiæ cum bonis artibus aureum seculum vigebat. Ex Romano cœlo etiam in patriam tantus vir scholas literarum ac disciplinarum pro erudienda iuventute intulisse credimus. Nec de scholis publicis olim Romæ institutis amplius est dubium. Immo privatos cives in eas construendas summum studium impendisse indicat sequens inscriptio Romæ sub Concordiæ

A tem-

templo in capite Fori; ubi dum fossores altius terram moliuntur invenere locum, cujus antæ cum epistyliis marmoreæ efficiebant veluti porticum, vel apothecas tres, & in uno peristylio inferiori parte sculpta erat. Ex qua constat quibus emblematibus, vel imaginibus fuerint exornatæ, & quomodo ejus dedicatio marmoribus fuerit consignata.

C. AVILIVS. LICINIVS. TROSIVS
CVRATOR SCHOLARVM. DE. SVO.
FECIT.
BEBRYX. AVG. L. DRVSIANVS. A. FABIVS
XANTHVS. CVR. SCRIBIS. LIBRARIIS
ET. PRÆCONIBVS. ÆD. CVR. SCHOLAM
AB. INCHOATO. REFECERVNT. MARMORIBVS
ORNAVERVNT. VICTORIAM. AVGVSTAM
ET. SEDES. ÆNEAS. ET. CETERA
ORNAMENTA. DE. SVA. PECVNIA
FECERVNT

Extra verò in eodem epistylio erat hic titulus.

BEBRYX. AVG. L. DRVSIANVS. A. FAB.
XANTVS. CVR. IMAGINES. ARGENTEAS
DEORVM. SEPTEM. POST. DEDICATIONEM
SCHOLÆ. ET. MVTVLOS. TABELLA. DE. SVA
PECVNIA FECERVNT

Item altera Romæ in limine superiori portæ exterioris S. Alexij in Aventino.

IN. HONOREM. DOMVS. AVGVST
TI. CLAVDIVS. SECVNDVS. COACTOR
CVM. TI. CLAVDIO. TI. QVIR. SECVNDO
F. VIATORIBVS. III. VIR. ET IIII. VIR
SCHOLAM. CVM. STATVIS. ET. IMAGINIBVS
ORNAMENTISQVE. OMNIBVS. SVA. IMPENSA
FECIT

Imo etiam speciatim Professoribus. Ita de Schola Medicorum marmor ad D. Sebastiani repertum Romæ legitur.

M. LI-

M. LIVIO. CELSO. TABVLARIO
SCHOLÆ. MEDICORVM
M. LIVIVS. EVTYCHVS
ARCHIATROS. OLL. D. II
IN. FR. PED. IIII

Ad hæc Romæ ſub Imperatoribus floruiſſe publica ſtudia præter Vlpianum, & Modeſtinum I. C. nobis apertè inſinuant Bibliothecæ regio cultu ibidem exſtructæ. Auguſtus propè Templum Apollinis Græcam, & Latinam erexit, & apud Iovis Capitolini aliam, quam Domitianus reparare ſtuduit, miſſis librariis Alexandriam, ut codices rariores conquirerent. Eas verò Templis prudenter adiecerunt priſci, quandoquidem nulla arctior conjunctio, quam Religionis & eruditionis.

Immo tranſlato Byzantium imperio non alibi, quam Romæ, Conſtantinopoli, & Beriti jura doceri poterant: quod Gymnaſium antiqujus Conſtantinopolitano. Etenim inſtitutum fuit imperante Diocletiano, qui prohibet, ne ſcholares Arabiæ ante annum XXV Berito, ubi diſcebant, ad ſubeunda patriæ munera avocari poſſent. Nec obſcure ad Helviam Cap. VI. Seneca innuit ſua ætate Romæ floruiſſe ſtudia, quando de urbe diſſerens, ait *alios liberalium ſtudiorum cupiditas adducit*. Alexandrum Severum memorat Lampridius, Rhetoribus, Grammaticis, Medicis, Mathematicis, & mechanicis, architectis ſalaria inſtituiſſe, & auditoria decreuiſſe, & diſcipulos cum annonis pauperum filios ingenuos dari juſſiſſe. In Oriente etiam poſt Conſtantinum Magnum ſcholæ floruerunt, utpote Cæſareę Palęſtinæ, Alexandriæ, Conſtantinopoli: ſed cæteris omnibus adeo eminebant Athenæ, ut qui in aliis urbibus aliquando verſati eſſent, tum demum Athenas quaſi penitus conſummandi ſe conferrent. Quod feciſſe ſcimus Gregorium, Baſilium, & Athanaſium ſummos Reip. Chriſtianæ Doctores.

Plerique tamen, literis è Gallia in Italiam traductis, Gym-

nasium nostrum à Carolo Magno denuò incrementum accepisse credunt: alii sola antiqua consuetudine viguisse. Qua ratione Iacobus de Arena I. C. celeberrimus, ubi quæritur an sit Gymnasium sine Privilegijs legitimum censendum, pluribus rationibus id longa consuetudine invalescere affirmat. Cui Cardinalis Zabarella ad Clementinas, Ancharanus, Socinus, & Iason subscribunt. Occidente nempe Romani Imperij majestate, sub quo semper Iuris & eloquentiæ Doctores magnis stipendijs, privilegiisque eminuerunt, & aucta Christiana Religione, quum Italiam barbaræ nationes occupassent, bonæ literæ, partim in Orientem, aliasq. regiones avolarunt, partim in cœnobia se se abdiderunt, bellisque paulatim cessantibus, postquam Gothi, & Langobardi Italorum virtute fracti, hinc emerserunt cum ingenuis moribus, ubi simul & sacræ paginæ & humanæ divinæque sapientiæ studio vacare cœptum. Medicina pariter Averrois auspiciis à Græcis ad Mauritanos translata sensim in Gallia eminuit, omnisque tandem literarum splendor Parisinam urbem in admirationem traxit. Petrum Aponensem discendi cupidum cum aliis eò concessisse novimus. Petrarcha pari studio Montem Pessulanum adiens ad Italos reportavit Latinę eloquentiæ thesauros, pulverulentasq. Bibliothecas aperuit & illustravit.

Scholas tamen è Romani Imperii vestigiis in celebrioribus Italiæ civitatibus plerumque viguisse credimus: ac præcipuè Patavii, & Bononiæ, quæ urbes instruendis hominum animis cælitus erectæ videbantur. Immo fertilissimis, saluberrimisque Italiæ locis structæ, alendis iuvenibus & honorandis Doctoribus certasse creduntur. Illa quidem S. Petronii precibus à Theodosio II Imperatore Gymnasium obtinuisse fertur. Nos rem altius repetentes consuetudine immemorabili scientias Patavii traditas ac disciplinas ab antiquis I.C. accepimus. Etenim Federicus. Primus Imperator adeo bonarum literarum fautores fovit, ut de scholasti-

cis

cis eorumque privilegiis cum Constantini, & Iustiniani Imperatorum legibus concertare voluerit, & cum jam subegisset Insubres, ut Rempublicam constitueret, Iuridicos Italiæ conventus indixit ad Roncalias civitatem ad Padum, ibique paulo post anno sui imperij sexto, salutis humanæ M C L VIII mense Novembris pulcherrimam illam de scholis earumque privilegiis legem in Constitutionum Codicem insertam edidit. Postquam vero Federicus II in civitates Ecclesiæ subditas seuerius animadvertisset, sublatis Academiæ Bononiensis privilegiis, quum scholasticis exercitationibus omnino vetitis jus omne docendi ad Patavinum Lyceum anno M CC XXII transtulisset, vetustate obscuriora ipsius initia paulatim succrevere, variis immunitatibus Imperatorum, ac optimorum Principum clementia demum ad summam provecta celebritatem. Antiquissimis enim Gymnasii tabulis ita præscriptum: *Ioannes Rusca Novocomensis II Patavii Prætor electus, hoc anno iuste quidem ius dixit, Friderico in civitates Ecclesiæ sæviente, præcipueq. in Bononiam quam penè evertit, & studium generale, illa penitus eversa, Patavium transtulit.* Quod quidem comprobant cæteri illius seculi scriptores.

De Gymnasii incremento, & decremento post millesimum annum usque ad Acciolinum, & post eius obitum. Cap. II.

SEd, ut ad prima secula revertamur, communi Italiæ clade, tum à Gothis, tum à Langobardis excitata, urbis nostræ monumenta periere: unde satis est, si Gymnasii nostri primam ætatem à millesimo nativitatis Domini ducere audeamus, quo tempore existimamus ejus ortum, ac fortassis incrementum emersisse. Magistros enim anno M X X hic docuisse indicat nobis vetus decretum in Statutis Patavinis

Ca-

Capite *De Scholaribus*, *&* *Studio Pad.* ubi ad annum MCCCXXIX legimus hæc verba: *Poteſtate D. Marino Falerio, ſtatuimus, & ordinamus, quod Magiſtri legentes, & docentes in grammaticalibus non conventuati ſint immunes à perſonalibus muneribus, & fuiſſe intelligantur à milleſimo vigeſimo anno citra, ut in Statuto veteri continetur.*

Dubium tunc erat de inferioribus Magiſtris, nempe Grammaticæ, non autem de profeſſoribus Iuriſprudentiæ, & aliarum artium, atque diſciplinarum. Scimus enim poſt milleſimum à Chriſto nato annum, urbe noſtra advenis, & peregrinis aucta, eo præſertim tempore, quo Henricus III ſingulari benevolentia erga cives noſtros plurima ad Eccleſiæ Patavinæ majeſtatem, ac juriſdictionem decrevit. Qui pro ſalute animæ ſuæ & Agnetis uxoris Bernardo Maltraverſo Epiſcopo Patavino liberè conceſſit numos cudere, arces extruere, ac Principis ferè iura exercere. Nec quidquam certius, quam cum religione urbis augmentum, literarum ſtudia, bonos mores, artes, & ſcientias creviſſe, & Gymnaſium patrium quaſi ex ephœbis excitatum. Quod majores poſt vires accepit, quum Henricus IIII in gratiam Berthæ Reginæ Patavii aliquandiu commoratus Miloni Epiſcopo affinitate ſibi conjuncto prædia multa Epiſcopatui, ac Canonicis conceſſiſſet, & in ejus gratiam Patavinis priſcam libertatem reſtituiſſet. Iure nempe liberæ civitatis conceſſo, deinceps ſuis legibus cives vivere voluit. Exinde in ſignum libertatis uſi ſunt in bello Carrocio armato, quod Bertam à Regina Berthæ nomine vocarunt. Clariſſimis quoque viris, & literatis omnium ſcientiarum Iuriſprudentiæ profeſſoribus urbem, & Gymnaſium floruiſſe, credibile eſt. Non enim in vicinis civitatibus Gymnaſia memorantur. Neque hæ cum urbe Patavina de primatu ob divitiarum amplitudinem, & incolarum numerum, contendere audebant, quum regia urbs eſſet, aliiſq. præcelleret. Vnde apud Iuriſconſultos in Extravagantibus, quæ extant ſub titulo Federi-

ci

ci Imperatoris de pace Constantiæ, liquidum est, Legatos Patavinos fuisse Bugellesium de Fontamina, Panaxellum Iudicem, Azocum Tausum, & Guaniphum Calaonium. Immo suadet, Imperatorum summa in urbem nostram clementia, pro Gymnasii incremento ipsis plurima decrevisse, quæ temporum injuria periere.

Mitto autem multos Iurisperitos hic floruisse, quos etiam Lotharius Imperator pro feudis consulvit anno D CCC XXV, Sigonio teste. In tenebris enim, deperditis diu scripturis, versamur. Certum tamen Gymnasium per aliquot annos viguisse, quando urbs Patavina suis legibus regebatur; atque hinc varios viros in scientiis, & artibus liberalibus claros floruisse, Mathematicæ, Astrologiæ, Medicinæque sectatores plurimos, credimus. Sed cum inter Principes variæ exortæ essent controversiæ de Iurisdictionibus, Iurisperiti inter alios primum locum obtinebant. E quibus etiam Ioannes Caccius canonum Doctor cl. ad Episcopatum Patavinum evectus fuit. Quo defuncto, adeo populi in viros literis celebres ferebatur favor, ut Gerhardum Pomedellum Legum interpretem arriperet è cathedra, & in sedem Episcopalem collocaret. Aucta paulatim Gymnasii Patavini fama undique toti sic orbi inclaruit, ut post M CC è Gallia, & Germania multi Patavium discendi causa convolarent: inter quos Albertus Magnus è Germania Patavium à patre missus, cujus in hunc diem cella in cœnobio S. Augustini conservatur.

Civitas vero privilegiis prudenter cumulata feliciter à suis civibus iura accepit. Sed potentiorum ingeniis postmodum in partes distracta, miserrimè ad interitum perrexit. Etenim anno M CC XXXVII, quum tirannide Acciolini maxima urbis incrementa collaberentur, una Gymnasium infausta persensit tempora, fugatisque Doctoribus literarum cultus in armorum studia transiit. Inter tot facinora tamen Gymnasii fores minimè clausæ fuere. Scholaris enim cuius-

dam

dam Rolandinus meminit anno MCCIII. Itemque Magistri Michaelis Cremonensis, qui olim causa studii venerat. Acciolinus etiam, cum artibus liberalibus Astrologia delectatus, Salionem Buzacharinum Astrologum plurimum dilexit; eaque ætate multi è Geomantiæ prædictionibus prodebant varia, ut auctor est idem Rolandinus.

Ipso autem Præfectura urbis expulso MCCLVI, & postea MCCLIX interempto; postquam urbs Patavina sensim vires recepisset, Doctores denuo electi, studiosis redeuntibus, qui aucto numero Vniversitatem constituere cœperunt. Horum bini ordines instituti, Iurisconsultorum unus; Artium, ac Medicinæ alter: utrique unus Rector initio præfuit, quo munere primus claruit Gosaldus Hispanus, qui anno MCCLX varia sancivit, ut in Statutis patet. Quare hoc ipso anno Vniversitas in unum corpus redacta jus à reliquis civibus separatum habere cœpit. Aucto postea in immensum studiosorum ex universa Europa numero, bini deinde anno MCCLXI Transalpinus Henricus de Sancta Petronilla Præpositus Frisensis, Cisalpinus Franciscus Novara Canonicus Patavinus, utriusque Vniversitatis junctim res administrarunt; quorum plura supersunt decreta.

Gymnasii renovatio, & confirmatio Statuti à Summo Pontifice Vrbano Quarto, circa Scholares Magistri titulo ornandos. Item nonnulla sub Republica Patavina in Gymnasii commodum sancita. Cap. III.

IVvenibus itaque ad capessendas liberales disciplinas undique accedentibus, postquam multa à Rectoribus Vniversitatis essent promulgata, urbis Præsul vigilantissimus IOANNES TRANSALGARDVS ab VRBANO IV. Summo Pontifice Statuti confirmationem accepit anno MCCLXII circa Studiosos Laurea ornandos, qui primum

mum coram Episcopo à Doctoribus Vniversitatis examinandi essent: jis, si idonei erant, Episcopus licentiam concedebat. Residebat jus in Sum. Pontifice, ideoq. sua auctoritate statutum corroborabat. Ejus privilegii formulam ad posteritatis memoriam hic damus.

VRBANVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI. Venerabili Fratri Episcopo Paduano Salutem, & Apostolicam benedictionem. Lecta coram nobis Fraternitatis tuæ petitio continebat, quod Rectores Vniversitatis, Magistrorum, & Scholarium Paduæ deliberatione provida statuerunt, ut Scholares ipsius Vniversitatis, qui debent in Magistros assumi, coram Episcopo Paduano præsentibus Doctoribus Vniversitatis eiusdem examinari debeant diligenter, & idem Episcopus eis si reperiantur idonei, debeat docendi licentiam concedere. Et quod statutum eiusmodi est, ut affirmas, inviolabiliter observatum. Nos igitur tuis supplicationibus inclinati statutum ipsum sicut est prouidè factum, ratum habentes, & gratum auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus, decernentes, ut qui secus ibidem sibi Magistri nomen assumpserit, pro Magistro nullatenus habeatur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum apud Vrbem veterem V. *Idus Ianuarii, Pontificatus nostri anno tertio.*

Nec inferioris auctoritatis privilegium erit CLEMENTIS V. Episcopo Patavino, Florentino, & Bononiensi creandi Magistrum, & Doctorem Franciscum Barberinum, quod ex archiuo Vaticano inferius damus.

Eodem anno M C C L X I I decretum fuit à civibus Patavinis Rectores Gymnasii bis in hebdomada, nempe die

Lunæ, & die Veneris ad comitia Decurionum accederent, ac proponerent ea, quæ ad Gymnasii decus, & conseruationem pertinerent. Eodemque anno plura de professorum honorariis ab jisdem instituta.

Anno postea M CC LXVII Ioannes Præpositus Germanus Vniversitatem pulcherrimis privilegiis decoravit de cōducendis scilicet domibus, & eligendis Doctoribus.

Anno M CC LXIX. Quidam Gebonnensis pleraque de electione Doctorum decrevit.

Anno M CC LXXI Nicolaus Polonus Archidiaconus Cracoviensis, & Ioannes de Monte Longo Archidiaconus Aquilejensis statuerunt, quando studium esset inchoandum. Gymnasii insuper festa aliaque plura decreverunt.

Post annos octo Philippus de Spitianiis Veronensis omnes Gymnasii constitutiones in unum volumen redegit.

Veterum quoque monumentis accepimus Nicolaum Pontificem anno M CC LXXXIV privilegiis, atque Gymnasio orbasse Patavinam urbem, quum ea quædam in Ecclesiasticam libertatem gravius sancivisset, atque ex eo cessasse literarum studia credibile est, in annum M CCC, quo Theonitarius de Theobaldis Parmensis pleraque diminuit, correxit, multaque addidit. Anno sequenti Rodulphus de Augusta, & Bonus de Mota Mediolanensis Rectores, multis additis, & ex Bononiensi Schólarium universitate acceptis in unum volumen redegerunt. Sic temporis progressu alii Rectores multa pro recto Gymnasii regimine, & universitatum splendore sanxerunt. Fruebatur tunc temporis civitas Patavina summa pace, dominio, & divitiis præsertim anno M CCC X. unde ex Cortusiorum Historia Lib. I. Cap. XI habetur, quod Padua (ut eorum verbis utar) *sola libera in communionibus in tota Marchia imperabat. Duces, imo Reges, Paduanos cæteris præferebant. Tuscia, Lombardia Rectores de Padua supplicabant. Sub dominio Paduæ erat Vicentia cum toto suo districtu: Rhodigium cum Comitatu: Lendenaria, & Ab-*

ba-

batia. Erat Padua armis, & equis plena, & aliis divitiis infinitis, munita, & turribus, aliisque ædificiis delicatis. Forenses de diversis partibus Paduam veniebant ad refugium salutare, & (quod pertinet ad Gymnasium) *sapientibus viris, Doctoribus in qualibet arte liberali, religiosis viris splendida, & ut breviter concludatur multa sanctorum corpora in Padua sunt sepulta, quorum precibus Deus Paduam in pace longissima conservavit, scilicet quinquaginta annis & ultra post obitum Hezerini. Hæc ætas pacis habuit Lovatum Paduanum, præter cætera Militem & Iudicem decoratum.*

Hoc ipso tempore Iacobus ab Arena Parmensis, & Rolandus Placiola Patavinus Iurisconsulti docuere in Gymnasio, pluresque alii, quos inferius enumerabimus. Petrum quoque Aponensem Medicum, ut habitantium saluti consuleret, è Gallia magno honorario conduxerant cives nostri; quod patet ex ejus testamento anno M CCC XV die XXIV Maii confecto, ubi inter legata reliquit etiam communi Patavino libras 500. parvorum, quos habere debebat pro suo salario à dicto communi, de quibus penes se syngraphas Dominorum, Potestatis, Avocatorum, & Gastaldiorum eiusdem communis habebat. Item eidem communi liberalitate reliquit alias 1500 libras parvorum, quas habere debebat pro suo salario ex tribus mensibus retroactis. Ex quibus legatis conjicitur eius salarium ad quatuor millia librarum parvarum accessisse.

De incremento Gymnasii sub Principibus Carrariensibus, & Clementis VI confirmatione. Cap. IV.

ANno M CCC XVIII publico Patavinorum civium consensu Iacobus Carrariensis cognomento Magnus, ad civitatem regendam electus mira animi magnitudine patriæ decora ampliare cœpit. Suburbia instauravit, & mœ-

nia urbis à templo S. Antonii usque ad pratum Vallis, quæ tunc penitus diruta erant, duxit: Gymnasium etiam reparare cogitaverat, sed bellis agitatus vitæque brevitate impeditus cæteris Principibus Carrariensibus id perficiendum reliquit. Quod quidem summa cum laude egerunt. Firmato sibi Principatu non solum civitati munimina construunt ad habitantium tutelam, sed Lanariorum artem ex Italiæ urbibus eius peritis introducunt; Privilegiis picturam, & architecturam, nobilioresque disciplinas stabiliunt; Gymnasium aperiunt, & literatis undique conquisitis augent. Quod potissimum sub Vbertino Carrariensi Duce III effloruit, qui Rainerium Arsendum Foroliviensem illustrem legum Doctorem Bartholi præceptorem stipendio 600 aureorum, quod tunc erat maximum, ad docendum conduxit.

Eodem animi ardore Ildebrandinus Romanus ex insigni familia comitum Tusculanorum Episcopus Patavinus ferebatur ad eiusdem Gymnasii splendorem, & incrementum, cumque urbs nostra inter alias Lombardiæ bonis affflueret, & bonis artibus, ac disciplinis omnibus floreret, ad hoc emporium juvenes undequaque confluebant, ut Iurisprudentiæ, Philosophiæ, & Medicinæ sub cl. Doctoribus operam navarent. Quibus post suorum laborum conatus à professoribus publicis cum Episcopo antiquissima consuetudine, tum Iuris utriusque, tum Medicinæ laurea traderetur. Consultissimum vero censuit Episcopus, quod ante annos LXXXIII ab Vrbano IV Transalgardus Episcopus impetraverat Pontificis auctoritate muniretur. Itaque anno MCCCXLV supplice libello Clementi VI porrecto, qui tunc Avinione degens summopere bonarum literarum studiosis favebat, eius petitioni satisfactum est sequenti diplomate.

CLEMENS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI ad perpetuam rei memoriam. Attendentes provide, quod ex literarum scientia veluti ex dono cælesti spiritualiter, & tempo-

poraliter bona publica proveniunt, & privata quoque ab ipsius professoribus, præsertim in Studiis generalibus fidelis instruitur populus, & reducitur exorbitans ad semitam veritatis, libenter ea concedimus, quæ Doctorum, & Magistrorum, ac Scholarium in Studiis generalibus insistentium commoditatem respiciunt, & per quæ scientiarum fructus valent adaugeri. Sane petitio Venerabilis Fratris nostri ILDOBRANDINI *Episcopi Paduani nobis nuper exhibita continebat, quod in civitate Paduæ de consuetudine ibidem inviolabiliter observata tanto ab hinc tempore, ut de eius contrario memoria non existat, viguit, & adhuc viget in Iure Canonico, & Civili, aliisque facultatibus præter Sacram Theologiam studium generale, sicuti per totam Italiam, & in aliis mundi partibus est apertè manifestum. Et quod auctoritas faciendi per Doctores, & Magistros in eodem Studio residentes in Iure, ac facultatibus supradictis examinari Scholares ad Doctoratum, seu Magisterium promovendos in Studio supradicto, & examinatos approbandi, seu etiam reprobandi similiter, & de antiqua consuetudine obtenta in eodem Studio ad Episcopum Paduanum, qui est pro tempore, pertinet, & pertinere etiam consuevit, & quod præfatus* ILDOBRANDINVS *Episcopus nonnullos Scholares in Iure Civili, & Canonico, ac Medicina coram se examinari fecit per Doctores ipsius Studii, ipsisque postea licentiam dedit; & quibusdam ex eis in examinatione prædicta licentiam, & auctoritatem legendi, & docendi tribuit, sicuti est in supradicta, & aliis etiam Studiis fieri generaliter consuetum. Quodque dudum Rectores universitatis Magistrorum, & Scholarium Paduæ deliberatione provida statuerunt, ut Scholares ipsius universitatis, qui deberent in Magistros assumi, coram Episcopo Paduano, qui esset pro tempore, examinari deberent diligenter præsentibus Doctoribus universitatis eiusdem: & ut eisdem Scholaribus, si reperirentur idonei, deberet licentiam concedere Episcopus memoratus. quodque deinceps Statutum huiusmodi est inviolabiliter observatum, ipsumque Statutum sicut erat provide factum, felicis recordationis* VRBANVS PAPA IIII.

præ-

prædecessor noster auctoritate Apostolica confirmavit, decernendo, ut, qui secus ibidem sibi Magistri nomen assumeret, pro Magistro nullatenus haberetur, prout confirmatio, & decretum huiusmodi in literis ipsius VRBANI prædecessoris nostri de re tali confectis, quarum tenorem de verbo ad verbum præsentibus inseri fecimus, plenius continetur. Nos igitur spectantes, quod ad civitatem prædictam Scholares eò promptius se causa studendi conferent, quò Studium ipsum in eadem civitate maiori fuerit auctoritate munitum, ac volentes propterea præfatum Studium, & Doctores, Magistros, & Scholares prædictos prosequi favorabiliter in hac parte, ipsius ILDOBRANDINI supplicationibus inclinati consuetudinem prædictam, & ea, quæ, ut superius narratur, rata, & grata habentes, auctoritate Apostolica ex certa scientia confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus; indulgentes nihilominus auctoritate prædicta omnibus, & singulis Doctoribus, Magistris, & Scholaribus, ut ipsi, dum in prædicto Studio docendo, vel audiendo institerint, Scholasticis disciplinis, omnibus libertatibus, & immunitatibus, ac privilegiis de iure communi, seu approbata consuetudine concessis, auctoritate Apostolica Doctoribus, Magistris, & Scholaribus in Studiis generalibus commorantibus, gaudeant, & utantur; statuentes etiam ad hoc, ut examinatio, approbatio, & reprobatio Scholarium promovendorum ad Magisterium in Studio memorato semper, sicut fieri debet cum puritate, & sine fraude procedat, ut Doctores in eodem Studio præsentes ab eodem Episcopo requisitis ad examinandum Scholares promovendos ad Magisterium, iusto impedimento cessante venire, & illi, qui in examinatione prædictorum Scholarium ibidem præsentes fuerint, de procedendo sine fraude, & dolo in omnibus, & singulis actibus in huiusmodi examinationibus opportunis, & fieri consuetis præstare teneantur in eiusdem Episcopi manibus corporaliter iuramentum, ac eidem Episcopo, sive eius vicem gerenti dumtaxat, votum ipsorum super idoneitate, ac sufficientia Scholaris examinati; utrum scilicet approbandus sit, an reprobandus, secretè, ac sigillatim, & in scri-

scriptis exponere, ac manifestare similiter teneantur. Iniungimus etiam Episcopo Paduano, qui erit pro tempore sub virtute obedientiæ, auctoritate prædicta, ut ipse in examinandis, approbandis, seu reprobandis personis examinatis, & Doctorum approbantium, seu non approbantium Scholares examinatos votis secrete tenendis sine dolo, & fraude procedat. Nos insuper irritum decernimus, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate contingeret attentari. Dictarum autem literarum tenor talis est: Vrbanus Episcopus servus servorum Dei, Venerabili Fratri Episcopo Paduano salutem, & Apostolicam benedictionem. Lecta coram nobis Fraternitatis tuæ petitio continebat, quod Rectores universitatis Magistrorum, & Scholarium Paduæ deliberatione provida statuerunt, ut Scholares ipsius universitatis, qui debent in Magistros assumi coram Episcopo Paduano præsentibus Doctoribus universitatis eiusdem examinari debeant diligenter, & idem Episcopus, si reperiantur idonei, debeat licentiam docendi concedere, & quod statutum huiusmodi est, ut affirmas, inviolabiliter observatum. Nos igitur tuis supplicationibus inclinati statutum ipsum, sicut est provide factum, ratum habentes, & gratum, auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus, decernentes, ut, qui secus ibidem, sibi Magistri nomen assumpserit, pro Magistro nullatenus habeatur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, uel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, se noverit incursurum. Datum apud Vrbem veterem v. Id. Ianuarii, Pontificatus nostri anno tertio. Hactenus Vrbanus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis, concessionis, statuti, immunitatis, & constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, se noverit incursurum. Datum apud Villam Nouam Avinionensis Diœcesis. xvij *Kal. Iunii. Pontificatus nostri anno quinto.*

Ita

Ita denuo antiqua ratio conferendi Lauream candidatis fuit confirmata, Gymnasium professoribus clarissimis undequaque magnis stipendiis auctum, cujus etiam decora ampliare conatus est IACOBVS CARRARIENSIS Dux, qui ingenia cl. virorum sui seculi plurimum æstimavit eorum consortio delectatus, tanta liberalitate, ac humanitate eos fovit, tantique fecit, quanti nemo unquam alius hominum memoria. Nec tantum Doctores magni nominis in Gymnasium conduxit, sed Franciscum Petrarcham cl. Poetam lautis conditionibus, ac summis precibus Patavium accersivit; canonicatu Ecclesiæ Cathedralis honestavit, & variis muneribus exornavit. Audiamus vatem ipsum hujus insignis benevolentiæ testem in calce epistolæ ad posteritatem. *Longum post tempus, viri optimi, & cuius nescio an è numero dominorum quisquam similis sua ætate vir fuerit, immo vere scio, quod nullus Iacobi de Carraria Iunioris famæ præconio benevolentiam adeptus, nunciis quoque & literis, usque trans Alpes, quando ibi eram, & per Italiam ubicumque fui, multos per annos tantis precibus fatigatus sum, & in suam solicitatus amicitiam, ut quamvis de felicibus nil sperarem, decreveram tandem ipsum adire, & videre, quid sibi hæc magni, & ignoti viri tanta vellet instantia? itaque sero quidem Patavium veni, ubi ab illo clarissimæ memoriæ viro, non humanè tantum, sed sicut in cælum felices animæ recipiuntur, acceptus sum tanto cum gaudio, tamque inæstimabili charitate, ac pietate, ut, quia æquare eam verbis posse non spero, silentio opprimenda sit. Inter multa sciens me clericalem vitam à pueritia tenuisse, ut me non sibi solum, sed etiam patriæ arctius astringeret, me Canonicum Paduæ fieri fecit, & ad summam, si vita sibi longior fuisset, mihi erroris, & itinerum omnium finis erat. certavit paribus in illum officiis cum IACOBO Patre FRANCISCVS filius paternæ virtutis studiosissimus æmulator.*

Hujus certe ingentibus meritis vere debetur, quod Plinius Trajano hac plena gratulationis oratione tribuit Encomiũ.

Quid,

Quid, vitam? quid mores iuventutis, quam principaliter formas? Quem honorem dicendi Magistris? quam dignitatem sapientiæ Doctoribus habes? ut sub te, & spiritum, & sanguinem, & patriam receperunt studia, quæ piorum temporum immanitas exiliis puniebat, cum sibi omnium vitiorum conscius princeps, inimicas vitiis artes non odio magis, quam reverentia relegabat. At tu easdem artes in complexu, oculis, auribus habes.

Hujus exemplo alii Carrarienses Duces decus Gymnasii, & erga literatos omnes benevolentiam egregiè sustinuerunt, ut in elencho Doctorum suo loco inferius patebit.

Professoribus autem ne deficerent stipendia, ad Gymnasii perennitatem jis assignarunt Carrarienses vectigal plaustrorum ferratorum, & non ferratorum, itemque Boum, quod Buccaticum vulgo appellatur, teste Antonio Riccobono Com. de Gymn. Patavino, Cap. VI. Nec Vbertino, neque Iacobo Ducibus quicquam cessit Franciscus senior invicti animi Princeps, qui primus Italiam belli splendorem sine Transalpinorum, Transmarinorumque auxiliis sustentare docuit.

Is, ne qua dignitas Gymnasio deesset, Theologorum collegium instituendum curavit, & ab Vrbano V, cum quo summam injerat familiaritatem, Theologiæ Lauream studiosis impetravit. Privilegio accessit, Abbatem S. Stephani de Carraria, Sede Episcopali vacante posse in aliis etiam facultatibus candidatis Lauream conferre. Porro ad pauperes juvenes in studiis juvandos collegium XII studiosorum instituit, ut ex vetustis annalibus Carrariensibus, qui asservantur apud Nobilissimos viros Bonifacium equitem Papafavam, & Robertum Abbatem eius filium, accepimus hisce verbis: *Quia virtus laudata vires cępit, non videtur mihi & hoc subiiciendum, quod hoc tempore, Anno salutis MCCCLXIII, per ipsum Magnificum Dominum Franciscum de Carraria in domibus, quæ quondam fuerunt quorundam pellipariorum, constituta fuit domus collegiata; in qua legali insistentes Studio*

Scholares duodecim pauperes educabantur , quam pro huiusmodi opportunis alimentis opipare dotavit.

Hujus Principis non tantum in publicos Gymnasii professores, & in studiosos juvenes eximia liberalitas effulsit, sed in Vniversitatem ipsam Iuristarum, cui domum donavit, ut Artistarum debito eximeret, quo jis obstringebatur. Sic enim ex actis Zilii quondam Facini de Calvis de Montegnana tabellionis anno M CCC XCIX vigesimó septimo Iulij: *Franciscus à Mella Capellanus Vltramontanus, & Ioannes Fufuda ex regno Calabriæ Citramontanus Rectores Iuristarum, Vniversitatis totius nomine, ut Magnifico Domino Francisco Carrariensi, tunc huius Regiæ urbis Dominium obtinenti, morem gererent, accepta prius ab eo donationis nomine ea domo, quam nunc Vniversitas nostra possidet, hac subiectione Artium Vniversitatem liberaliter exemerunt.*

De Gymnasio Patavino sub Serenißima Republica Veneta. Cap. V.

PRoperante jam ad finem Carrariensium imperio annó M CCCC IV bellis omnia fracta ad interitum devolvebantur, atque in primis celeberrimi Gymnasii decus, quod per tot secula, fauore præcipuè istorum Principum rebus eorum felicibus, floruerat, exiguo tempore, quo Mars sæviit, contaminatum est. At postquam Patavium anno M CCCC V. die XVII Novembris in Serenissimæ Reipublicæ Venetæ ditionem venisset, XVI Viris claues Vrbis & vexillum magna cum civium hilaritate Venetiis Duci Michaeli Stenno tradentibus, ibique à cl. Viro Francisco Zabarella oratione hàbita Statuta Vrbisq. consuetudines, Lanificiorum Ordines, & Gymnasium publicum Senatus summa cum liberalitate confirmavit, auxitque in dies hæc omnia. Præsertim ad Lycei incrementa augenda omnia Senato-

to-

torum vota erant propensa, sublatoque Gymnasio Tarvisino, cum urbem Patavinam optimarum artium studiis accommodatiorem viderent, in eandem transferendum curarunt.

Elapso igitur anno sequenti multa ad literarum splendorem excogitaverunt Patres, ante omnia verò rescripto constituerunt Doctores celebriores huc conducendos, quorum tamen stipendia quatuor millia ducatorum non excederent, quæ pecuniæ vis ea ætate ingens erat.

MCCCCVII. xiij. Septembris. Sapientes Consilii. Quod scribatur, & mandetur Potestati, & Capitaneo Padua in hac forma.

Quia informati fuimus quod quantitas Ducatorum trium millium concessa posse expendi nullo modo est sufficiens ad ponendum Studium Paduæ benè in ordine, quia Doctores famosi capiunt quasi dictam quantitatem, & ob hoc necesse est expendere plures denarios, quia sunt etiam omninò necessarii multi alii Doctores, ultra illos famosos. Cum nostris consiliis rogatorum, & additione vobis scribimus, & mandamus quatenus infrascripta in quantum ad vos spectant, debeatis observare, & facere observari, quia sic captum est in dictis nostris consiliis, videlicet: Quod infrascripti Doctores conduci, & accipi debeatis, ac intelligantur esse conducti pro anno futuro cum quantitate pecuniæ infrascripta, pro quolibet deputata, & si aliquis ipsorum non veniret, vel casu aliquo deficeret, debeat conduci de aliis Doctoribus famosis in simili gradu, loco ipsorum deficientium. Doctores autem alii, qui sunt conducti jam pro hoc anno futuro remaneant, & conducti esse intelligantur, & sint cum salario eis deputato, & pro hoc anno non debeat diminui, nec detrahi eis salarium suum, & si summa ascenderet ultra Ducatos quatuor mille illud plus expendatur solummodò pro hoc anno futuro, quo elapso nolumus quod plus expendatur pro dicto

Studio, quàm Ducati quatuor mille in anno vllo modo sine licentia nostra, & nostri consilii rogatorum, & Addictione.

Doctores famosi, de quibus superius fit mentio sunt infrascripti.

Dominus Benedictus de Plumbino habere debet	Duc.600	conducti
Dominus Franciscus de Zabarellis	Duc.300	
Magister Iacobus de Furliuio	Duc.600	
Magister Blasius de Parma	Duc.215	

Conducendi

Dominus Raffaël Fulgosus, vel alius similis	Duc.500
& experiatur si cum pauciori salario haberi poterit	
Magister Daniel Sancta Soffia	Duc.200
Magister Gaspar de Pergamo in Rhetoricis, & Moralibus	Duc.120
Dominus Henricus de Alano	Duc.100

Nomina vero & salaria aliorum Doctorum sunt ordinatè notata in Padua, ita quod non est necesse hic exprimere seriosè.

Quanta verò prudentia de Doctoribus soliciti Patres Gymnasiii incrementis animum impenderint ex sequentibus constat.

M CCCC VII. xxv. Septembris.

Quia informati sumus quod duo ex Doctoribus Medicis salariatis, qui erant in Padua habentes libras trecentas de provisione recesserunt à Studio, nolentes amplius ibi legere, nec morari, & sint aliqui Doctores sufficientes, qui propter paucitatem salarii nolunt legere nisi fiat eis aliqua parva subventio. Vadit pars quod detur libertas Collegio Domini Consiliorum Capitum, & Sapientum Consilii dividen-

di,

di, & dispensandi illas suprascriptas libras trecentas inter prçfatos Doctores per illum quam meliorem modum videbitur Collegio prædicto; ut Studium fiat cum majori solemnitate pro bono, & augmento ciuitatis nostræ prædictæ, & quod Doctores remaneant maius contenti.

M CCCC VII. xij. Februarij.

Dominus Dux.

Ser Nicolaus Vitturi,& Ser Bartholomæus Nani Sapientes Consilii. Cum comparuerit ad præsentiam nostri Dominii Dominus Episcopus Tragurii, & multi alii Scholares pro parte Studii nostri Paduani exponentes quod in dicto Studio sunt multi Scholares tam Domini,quàm Nobiles, & alii studentes in Iure Canonico, qui propter absentiam Domini Francisci de Zabarellis non possent vacare circa studium suum, quod esset cum totali ruina dicti Studii, & supplicantes,ut dignaremur providere, quod idem Dominus Franciscus remaneat ad Studium prædictum; & dictus Dominus Franciscus fuerit hodie ad præsentiam nostram exponens quod in cunctis sibi committendis per nostrum Dominium ipse tamquam fidelissimus servitor noster continuè operaretur,& faceret bono & lçto animo, sed ob conditionem personæ suæ videt nullo modo posse ire, & propterea supplicat ut dignemur habere eundem excusatum, quoniam etiam suum est legere Ius Canonicum, & non Civile: Vadit pars quod idem Dominus Franciscus absolvatur,& loco eius mittatur Dominus Iacobus de Fabris civis noster Veronensis cum illo salario, & conditionibus cum quibus ire debebat Dominus Franciscus, affirmante per sacramentum quod propter inconvalescentiam personæ ire non potest, & non alia de causa. 140. 1. 0.

Prudenti omnia consilio, non tantum ut Scholis prospicerent, verum & arduis Reipublicæ rebus fidos haberent con-

consiliarios. Etenim Duce Sabaudo inter Rempublicam, & Genuenses arbitro controversiis decidendis electo Socii Legatis additi Iurisconsultorum è Gymnasio bini: à quo munere cum Franciscus Zabarella Iuris Canonici professor se satis excusasset, in ejus locum Iacobus Faber Veronensis Collegæ suo Alberto de Petra Rubea Iuris Civilis licentiatus jungebatur.

Gymnasium confirmatum privilegio Eugenii IV. Cap. VI.

EVgenius Quartus è Condulmeria familia Veneta vigilantissimus & doctissimus Pastor non solum Religiosorum ordines privilegiis, opibusq. cumulavit: sed Academias etiam sua beneficentia exornare voluit, & inter has præsertim Patavinam antiquam toto orbi claram amplissimo diplomate comprobavit. Privilegia Pontif. Vrbani IV, & Clementis VI, aliorumque Pontificum, & Imperatorum indulgentia, aliaque clementer concessa sponte sua rata esse jussit. Immunitates nempe, honores, ac dignitates, itemque jura cum Romanæ Ecclesiæ, Academiæ Parisiensis, Oxoniensis, Bononiensis, Salamanticensis Doctoribus, Magistris, familiaribus & Officialibus largitus sancivit, quod Clerici & beneficiati possint percipere fructus beneficiorum suorum, dum in Patavinum Gymnasium per quinquennium juris studio dediti morantur, ac ibidem docere, disputare, licentiæ, ac Doctoratus insignia liberè impetrare, ea conditione quam ejus referunt literæ, motu proprio promulgatæ.

EVGENIVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI ad perpetuam rei memoriam. Dum intra arcana nostræ mentis solerti meditatione recolimus, quantum ad populum nostræ solicitudini commissum, Remque publicam debitè regendam viri li-

terarum scientia docti conscrant; cura nobis iniuncta dignum, immo debitum nostrum reputamus, ut non solum contenti simus Studia generalia concessis sibi ante privilegiis gaudere, verum etiam ipsis alia ad ampliorem eorundem Studiorum famam, & gloriam utilia concedamus, ut qui in illis voluntarios in humanæ eruditionis subsidium labores suscipiunt de tanto ipsorum beneficio præter divinum, quod non deerit, aliquod in terris munus se reportasse lętentur. Dudum siquidem felicis recordationis VRBANVS IV *prædecessor noster, pro felici statu, & incremento Studii Patavini, quod inter cætera Italiæ Studia generalia antiquissimum, & celeberrimum esse constat, nonnulla per Doctores, & Magistros eiusdem Studii salubriter statuta, & ordinata ratificavit, & approbavit, ac ex certa ipsius scientia confirmavit. Deinde* CLEMENS VI *prædecessor etiam noster, quæ per ipsum Vrbanum ratificata fuerant, grata habens, & approbans, quædam alia pro ipsius Studii amplificatione statuit, & ordinavit, prout ipsorum literis plenius continetur. Nos igitur attendentes quod à generalibus Studiis omnis divinorum, atque humanorum institutorum notitia proficiscitur, virique illa insigniti existunt, per quorum salutarem doctrinam effector omnium Deus agnoscitur & amatur, iustitia colitur, proficientes proficiunt, instruuntur indocti, & præmiis afficiuntur boni, versutis autem suorum erratorum pœnæ, quas merentur, adiiciuntur, omnisque humanæ eruditionis excellentia emanare dignoscitur: necnon ad dilectos filios universitatum prædicti Patavini Studii, quos singulos omni favore prosequimur, nostræ benignitatis oculos convertentes, ne ipsi in sua exercitatione commendabili adversus concessa sibi antea privilegia, quomodolibet indebitè infestentur, verum potius amplioribus gratiarum attollantur impendiis; motu proprio, non ad alicuius preces omnia, & singula privilegia, libertates, exemptiones, concessiones, & indulta alia eidem Studio tam per prædictos, & alios Romanos Pontifices prædecessores nostros, quam per Imperatores, aut alios temporales Dominos hactenus concessa, quorum formas, & tenores in præsentibus pro expressis haberi volumus,*

mus, rata, & grata habentes, illa auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus, omnes, & singulos, si qui intervenerint, defectus iisdem motu, atque auctoritate supplentes. Et nihilominus, quò Studium ipsum aliquod singulare ex nostræ liberalitatis dono consequatur munus, ut omnes, & singuli nunc, & pro tempore in eodem Studio existentes Doctores, & Scholastici, ac ipsorum familiares, & officiales omnibus, & singulis privilegiis, prærogativis, exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, concessionibus, honoribus, favoribus, & indultis aliis, quibuslibet, quocumque nomine censeantur, & quorum formas, & tenores in præsentibus pro sufficienter expressis haberi volumus, gaudeant, & utantur, quibus Romanæ Ecclesiæ Parisiensis, Oxoniensis, Bononiensis, Salamanticensis, Studiorum Doctores, & Officiales, ex quibusvis Apostolicis, Imperialibus, seu aliis Ecclesiasticis, vel temporalibus concessionibus, aut indultis gaudent, & utuntur gaudere, & uti possunt, ac poterunt in futurum. Vtque omnes prædicti, qui beneficiis Ecclesiasticis affecti fuerint, dum ipsi ibi resederint, omnium suorum beneficiorum Ecclesiasticorum, quæ nunc obtinent, & in posterum in quibusvis Ecclesiis, seu locis obtinebunt, quæcunque, quantacunque, & qualiacunque sint, & fuerint, etiamsi in illis personalem primam non fecerint residentiam consuetam, fructus, redditus, & proventus cum ea integritate, cum qua illos perciperent, si in Ecclesiis, seu locis huiusmodi personaliter residerent, quotidianis duntaxat exceptis distributionibus, per septennium percipere queant. Insuper, ut ipsi singuli, etiam in sacris ordinibus constituti, aut dignitates, vel personatus in Cathedralibus, aut aliis Ecclesiis, vel Parochiales Ecclesias obtinentes in eodem Studio legibus per quinquennium studere, legere, & disputare, ac in eis licentiæ gradum, necnon Doctoratus insignia liberè accipere, ac licitè valeant; motu, & auctoritate prædictis tenore præsentium concedimus, ac de specialis dono gratiæ indulgemus, non obstantibus felicis recordationis Honorii III Pontificis etiam prædecessoris nostri, & aliis Apostolicis, necnon in

Pro-

Provincialibus, & Synodalibus Conciliis, edictis, constitutionibus, & ordinationibus, statutis quoque & consuetudinibus Ecclesiarum, in quibus beneficia huiusmodi fuerint iureiurando, confirmatione Apostolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, cæterisque contrariis non obstantibus quibuscunque. Volumus autem, ut beneficia ipsa debitis propterea non fraudentur obsequiis; sed debitè sustineantur eorum onera consueta. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ ratihabitionis, confirmationis, suppletionis, concessionis, voluntatis infringere; vel ei ausu temerario contravenire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem præpotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Florentiæ anno Dominicæ Incarnationis M CCCC XXXIX. Kal. Decembris, Pontificatus nostri anno nono.

Auctum tanti Pontificis Privilegiis Gymnasium anno M CCCCXLIV Reipublicæ Venetæ Senatu consulto varias pro eodem institui leges cœperunt. de quibus suo loco.

De Moderatoribus Gymnasii, seu Reformatoribus à Senatu Veneto electis. Cap. VII.

GYmnasium Patavinum principio quatuor è primioribus civibus Patavinis regebant, quorum erat ea omnia prospicere, quæ Lycei frequentiam & commodum promovere possent. Tales anno M CCCC XX electos constat ex hoc rescripto: *Potestate Domino Marco Dandulo, & Capitaneo D. Laurentio Bragadino M CCCC XX. Vt Studium Scholarium summa cum diligentia conservetur. Statuimus & ordinamus quod singulis annis per DD. Potestatem, & Capitaneum Paduæ eligantur quatuor boni cives, qui eis videbuntur idonei, qui sint soliciti Tutores, & Reformatores Studii, ut semper soliti fuerunt esse omni tempore, & habeant inquirere, & examinare ea*

quæ sibi utilia videbunt pro Studio prædicto, & referre dictis DD. Rectoribus Paduę, ut ipsi Rectores ad eorum informationem, & solicitudinem possint Studium benè, & congruis temporibus reformare de bonis Doctoribus prout dictis Domino Potestati, & Capitaneo melius videbitur. Quæ reformatio debet fieri quolibet anno per totum mensem Maii, uel secundum consuetum & continentiam Statutorum Universitatis.

His à Senatu Veneto aliquandiu post tres Veneti è primis Senatorii ordinis Reformatorum titulo subrogati, quorum munus nostra ætate biennium durat. Factum id anno M D XVII. XXIX Augusti. Civis Venetus jis est à libellis, quando res Gymnasii expenduntur.

Horum est Professores eligere, seu proponere, stipendiaque destinare: hac tamen lege, ut quidquid ab jis sancitum fuerit Rogatorum suffragiis subjiciatur, quæ tamen sibi raro adversa experiuntur.

Quantum vero Senatus Venetus in Gymnasii splendorem, conservationem & incrementum perpetuis votis conspiraverit, difficile & arduum esset referre, verum omni tempore aliquid magni factum novimus, unum æterna memoria dignum præterire nequeo Republica septeni bello contra hostem Christiano orbi infensissimum, jam satis vexata, ac liberalibus Professorum auctariis imminuto Lycei ærario anno M D C L I die XXIX Septembris in Rogatorum Consilio decretum fuisse Ducatorum sex millia in Professorum stipendia è publico Principis ære solvenda.

De Scholis antiquis ad D. Blasium. Cap. VIII.

ANtiquitus Iurium, & Artium professores tam Romæ, quàm Constantinopoli in Capitoliis docebant, quæ erant in octavis regionibus utriusque civitatis, ubi diversæ

erant cellæ, in quibus singuli suas artes profitebantur. Idem Patavii factum arbitror variis in vicis, ut hodie Parisiis, Oxoniæ, atque Cantabrigiæ. Sub regimine tandem Principum Carrariensium in vico S. Blasii prope Orphani-tropheum, ubi antiquitus reperta fuerunt ossa Antenoris hujus urbis conditoris, constitutæ fuerunt Scholæ publicæ, fere in sinu scholarium, qui ab eo tempore in hunc diem eos vicos habitant. Visitur adhuc alta, & magnifica domus, quam pluribus annis tenuit Presbyter Antonellus scriptor privilegiorum, nunc cives Tranbachini. Nulla hic memoria præter stemmata vicecomitum in pariete horti depicta. Docebant hic supremi ordines Iuris Civilis, & Canonici professores. In minore domo contigua secundi ordinis Iurisconsulti. Artistis inserviebat domus una ad Ecclesiam domus Dei; altera in D. Catharinæ vico cognomine aurea, nuper penitus diruta. In quibus ædibus majorum memoria habemus, totum legendi munus publicos professores obiisse. Extabant etiam aliæ Scholæ inter hortos Monialium S. Bernardini, & Ecclesiam S. Blasii, ubi hodie cœnobium alterum Monialium ordinis S. Benedicti constitutum est, & ad earundem horrea paucis ab hinc annis adhuc XL stemmata scholarium in parietibus videbantur. Supersunt multi viri majori fide digni, qui ea viderint: memoriæ argumentum ibidem professores Gymnasii publicè docuisse. Hæ Moniales anno MDIX ex suburbio in civitatem translatæ, locum illum Ecclesiæ vicinum publicis exercitationibus dicatum emerunt, cum jam nobiliori urbis situ scholæ essent erectæ.

De novis Scholis ad Bovem. *Cap. IX.*

E Regione vetustissimæ ædis D. Martino sacræ urbe media, antiquissimæ, ac splendidissimæ Dominorum Carrariensium ædes binis turribus eminebant. Spectatæ celsitu-

dinis major, quę adhuc extat, & vulgo appellatur *il Campanile del Bò:* unde domus alba à Turre appellabatur, quum altera vicina Domus Magna nova, ac tertia demum à Moneta vocaretur. Omnes hæreditario majorum jure nobili, ac potenti Dynastæ Domino Iacobino de Carraria olim cessere. Hic ille, cui Papafavæ agnomen impositum fuit, quum puer in Monasterio Brunduli, ad fauces maritimi portus in honorem Archangeli Michaelis, insigni olim pietate à Carrariensium primoribus, ut Gattarus Senior antiquus scriptor memorat, extructo, & in Bagnolio Patavini agri vico prope Anguillariam plurimis redditibus aucto, pestilentiæ tempore servatus, fabæ pulmentum avidjus papparet, seu manducaret; Pappa quidem fabaceus, ut auctoris non ignobilis de ea re vocabulo utar, à sodalibus ejusdem ætatis pueris per jocum appellatus. Atque adeo cum ipsius adolescentia nomen hoc puerile, atque jocosum invaluisse notavimus, ut, natalitio Iacobini demisso, nedum vulgo, sed in ipsis quoque sæpissimè documentis, & apud illius ævi scriptores Dominus Papafava de Carraria nominatus fuerit.

Ad quatuor exinde ipsius Iacobini filios cum Anguillariæ comitatu, & amplissimis facultatibus illæ devenere, nempe ad Petrum Comitem, Albertinum, Marsilium, & Bonifacium, quos ex nobili, & admodum illius ævi scriptoribus celebri matrona Adelmota, Bontraversi Maltraversi Comitis Castri novi filia, cujus soror Beatrix Acciolino de Romano tyranno postea nupsit, Princepes in Patavina Republica viros susceperat. Prima, ut constat ex publicis tabulis, quibus anno Domini M C C L X X X I X. xix. Iunii bonorum inter eosdem fratres divisio, tabellione Alberto Albregeti à Sancta Sophia òlim filio, descripta est, Bonifacio obtigit. Secunda Albertino, à quo series legitima Nobilium Carrariensium propagata est, qui postea successu rerum antiquato penitus Carrariæ nomine, aliud Pappafava, & vulgaris, sed communiter receptæ pronunciationis, & scriptio-

ptionis vitio, unico P Papafavæ, in familiæ gentilium transtulere, in hunc usque diem, & excellenti virorum probitate, & insigni honorum, opumque affluentia, non in patria modo, sed universa quoque Venetorum ditione præstantissimi, Venetoque Senatui ob singularem fidem, summamque virtutem probatissimi. Tertia istarum ædium Marsilio obtigit. Petrus Comes verò illa domicilia sortitus est, quæ postea Carrariensium Principum munificentia arti lanariæ concessa, quo loco poliendis pannis ædes commodissimæ, & admodum amplæ cum pluribus tabernis dicatæ sunt, quæ vulgo hodie *La Garzaria*.

Ex Albertino, Iacobini filio, orti sunt Rainaldus ætate major, Marsilius, qui Minor, & Marsiliettus appellatus est, Albertini III Ducis, aliorumque Principum Carrariensium in Patavino Principatu universisque facultatibus hæres, & Petrus Comes cæteris minor, qui brevi extinctus est. Eum secutus paulo post Rainaldus, relicto unico filio Iacobo, qui & Iacobinus fuit nominatus, ex Furlaria, quam patris gentisque nomine suppresso inter nobilissimas Marchiæ matronas prisci Carrariensium annales commemorant, illustri muliere genito; cum quo partitis post obitum patruorum, & patruelium jisdem, & plurimis aliis per urbem ædibus, ut ex divisionum, quas perlegimus, publicis tabulis constat, magnam partem earum, quæ in dicta regione sita sunt, successionis jure obtinuit.

Quo quidem Marsilio, qui, ut jam diximus, ad Majoris, qui secundus regnaverat differentiam, Minor appellatus est, post adeptum, vivente adhuc Vbertino, cessione, ac testamento ejusdem, urbis Principatum præ invidia interemto, Iacobus Carrariensis etiam Minor ad magni discrimen vocatus, primus ex familia regnandi libidine percitus gentili sanguine polluit manus, nec urbis duntaxat dominium, quod Marsilii hæredibus debebatur, sed facultates etiam eiusdem omnes, quæ Iacobini nepotis juribus annexis, universum

Car-

Carrarienſis familiæ patrimonium continebant, per ſummam injuriam arripuit. Qui, ut à legitimis Principatus hæredibus ſibi caveret Iacobinum Marſilii nepotem, cum Albertino eiuſdem filio impubere ex Ayca, Guecilionis de Camino, Tarviſinorum, Feltrenſium, ac Bellunenſium Principis filia, genito, dolo captum in munitiſſimam Pendiſianam arcem, quæ in edita, præcipitique Euganeorum montium rupe ſita erat, rebus omnibus cum ipſo Anguillariæ Comitatu ſpoliatos, ablegavit.

Iacobo tandem (juſto Dei judicio) è vivis ſublato occupati Principatus vix quinquennio ob æmulorum, qui cuſtodiebantur in urbe inter cognatos affinesque, quorum præcipui Lucii Comitis erant, potentium vita ſuſpicionum plena emenſo, quamvis & ſatis feliciter; ipſoque, qui optimus alioqui Princeps fuit, imprimisque literatorum fautor omni ævo celebratiſſimus, manu Guilhelmi, qui Iacobi magni nothus fuerat, immaniter, iteratis pugionis ictibus, perfoſſo, poſt aliquot annos regnante Franciſco Carrarienſi, qui Senior ad junioris differentiam appellabatur, revocatus à Pendiſiana cuſtodia Albertinus, qui Iacobino patri Minoris Iacobi juſſu jampridem veneno, ut credebatur, extincto, ne inclitæ gentis ſtirpe modo deficiente ſoboles penitus intercideret, ſingulari Dei providentia ſupervixerat, paternis tantum bonis, agnatorumque ſucceſſioni, non æque debito ſibi Principatui, patruive Marſilii immenſis propemodum facultatibus, quæ reliquorum omnium civium Patavinorum bona exæquare vulgo dicebantur, reſtitutus eſt anno M CCC LXIV, ut ex Franciſci reſcripto anni ejuſdem conſtat. Quo tempore quum non exigua iſtarum ædium pars cum Domo alba à turre Albertino ceſſiſſet Franciſcus, quæ ſibi ex jis, ut Marſilii minoris injuſto hæredi remanſerunt, foro nempe vicinas, nundinisque percommodas Patavium adventantibus in hoſpitium publicum convertit, appenſo etiam Bovis ſigno, non caſu, ſed argumento, ut opinari licet, emblematis,

quod

quod aureus bos chartulam hoc titulo MEMOR in ore ferens exprimebat, ab Francisco excogitati, ut se post iniquas, ut reputabat, ejusdem pacis conditiones veluti bovem colla jugo submisisse, sed futurum vindicandæ injuriæ non immemorem indicaret. Quod postea rerum ex voto successu admodum celebre habuit, multisque in locis cum familiæ insignibus pingi jussit. Atque illud quidem Bovis hospitio nomen valde honorabile primo inditum, nunc vero publicis Scholis meliori fato servatum, pro certo haberemus, ni ratio temporum obstare videretur. Hospitium namque Bovis in tabulis anni MCCCLXIV nominatum legimus, quum post septuagesimum ejusdem seculi annum excogitatum emblema, ut auctores tradunt, alia ex parte probe noverimus. Sed rescriptum fortasse, in quo restitutio bonorum anno MCCCLXIV accuratè, fusèque describitur, idem tabellio, regnante adhuc Francisco, post aliquot annos renovavit, verbaque illa apposuit; *ubi est hospitium bovis*, sic enim habet: *Infrascripta est domus à turri posita in contrata S. Martini apud domum magnam, ubi est hospitium bovis*, quæ forte in priori desiderabantur, ad majorem finium certitudinem, notitiamque clariorem.

Post mortem vero Albertini, qui anno MCCCXCV discessit, relictis filiis Iacobo, & Marsilio, Rainaldo ex Catharina, Ansedisii Schinellæ Comitis Revolonensis filia, & unica paternarum facultatum hærede: iisdemque ex codicillis Francisco juniore VIII Patavii Principe tutore nominato, accessit Bovis hospitio palatium à Turre appellatum; quod ea ratione non minus pupillorum commoditati, quam suæ consulere Franciscus videretur. Id autem ex locationis tabulis ejusdem hospitii videre est, ubi ex tribus partibus viæ publicæ fines assignati sunt, & in cubiculorum serie turris magna nominata, quæ ad pupillos Carrarienses pertinebat.

Itaque amplissimæ domus partes duæ. Altera turre gemina eminens, quæ ad pupillorum Carrariensium jura specta-

ctabat, unum supra viginti numerabat perampla cubicula, præter aulas, atria, aliaque loca, & plura stabula: Alia tandem fermè cubicula, quæ omnia magnificentia Principum exornavit, utensilibus, anno M CCCXCIX librarum quatuor millibus æstimatis in tabulis locationis cum Nicolao, & Arnoldo Florentinis: pecuniæ summa jis temporibus mehercle haud spernenda.

Turbatis deinde Carrariensium rebus anno M CCCCV, ab eodem Francisco, annonæ urbanæ subsidio ad Bolzaninos transiere, quorum studio, & impendio, urbe dura obsidione pressa, carnium, vis ingens populo, & militibus suppeditata fuit. Eadem occasione Bolzaninis accessere alia duo palatia, alterum quidem ad Pratum vallis, quod juris pupillorum erat, ubi nunc speciosissimæ Grimanorum ædes visuntur, aliud ad Pontem molendinorum, ubi olim, mea sententia, Maltraversorum fuere domicilia: in ea quippe urbis regione, minimè verò ad D. Martini, ut quidam perperam arbitrati sunt, (nisi ad Maltraversos, qui eiusdem familiæ, Lucii Comitis alterius stirpis trahas, quorum ædes olim perduellionis crimine in Iacobum minorem, publicatæ, ac solo ęquatæ nouum urbi forum à lignorum mercatu Lignarium appellatum, suis ea in regione ruinis addidere) eosdem antiquitus habitasse ex tabulis summa fide dignis constat.

Quæ quidem domus ob amplitudinem, & insignem structuram ab antiquo scriptore Petro Borromeo in libello de Patavinorum Ciuium origine in Bolzanina familia Regum Palatia nominantur.

Ea ratione Albertini quoque filii suo jure exciderunt, quorum tamen hæredibus Albertino nempe, Oppizoni, & Iacobo, filiis Iacobi senioris, quos ille, qui anno M CCCCV IV. Non. Augusti, extinctus, belli laboribus, quos fortissimè tulerat, confectus ex Thadæa, filia nobilissimi inter Bononienses viri Francisci Ariosti, & Polentesiæ, Ostasii Polentani Ravennæ Principis filiæ, Nicolai claudi Estensis Ferra-

rien-

rienſium Principis avuncula reliquerat, quædam palatia ibidem remanſerunt, ut conſtat ex tabulis hæreditatis, quas Thadæa, dum in aula Eſtenſium Principis nepotis ſui, obſidionis Patavinæ tempore, cum filiis adhuc infantibus moraretur poſt coniugis mortem ab Raynerio quondam Raynerii Ferrarienſi Notario confici curavit. Matrona hæc omnium quidem virtutum genere laudatiſſima, ſed ea præſertim cauſa, quod viro defuncto nondum vigeſimum ætatis annum ingreſſa, ſpretis aliis nuptiis ad ultimam uſque ſenectam filiorum, nepotumque curam difficillimis temporibus geſſerit, remque familiarem ſummo ſtudio, & vigilantia procuraverit. Diſceſſit an. M CCCC LIX ſepulta apud Moniales S. Mariæ Bethlem Patavij.

Præter ea jura nonnulla quoque domicilia pupillis Carrarienſibus Thadææ ex Iacobo filiis ad annum vſque M CCCC XXVIII fuiſſe publicæ tabulæ teſtantur. Quæ hæredibus eorumdem ex Albertino, Albertinus ex Magdalena, Friderici de Capite liſtæ patricii Patavini filia unicum filium ſuſceperat an. M CCCC XXVIII, ac deinceps ad an. uſque M CCCC XCIII perpetuo jure ceſſiſſe plurima documenta, quæ heic proximè annectuntur, venditionis Hoſpitii Bovis publicæ tabulæ oſtendunt. Cum etiam aliud palatium ad hæc uſque tempora, quod è regione Gymnaſii D. Martini ædi obiectum iiſdem ſervatum eſſe conſtet.

Longiori quidem narratione provectum me video, quam fortaſſis par eſſet; Verum ut rem tot ſeculorum decurſu obliteratam altius repeterem æquum exiſtimavi, operæ pretium facturos nos arbitratus, ſi quod ædium ſplendori ſordida nimium de hoſpitio ſtabuloque memoria, quæ ſola nunc viget, detrahere videbatur, præcellenti earumdem antiquitate, ac Principis familiæ, quæ ab immemorabili ævo primam, ac præcipuam manſionem tot æternitate dignorum Heroum in illis jactat, noſtris laboribus redderemus. Quod

E qui-

quidem & nos præstitisse lætamur, & quod opus gratum sit futurum speramus, dum uno, eodemque tempore non ędium modo, quæ nunc jure meritò literariis disciplinis dicatę sunt, insignem antiquitatem, nobilitatem, splendorem, ac jura accuratè, fideliterque describimus, sed etiam illius gentis, quæ florentissimum hoc Gymnasium, totoque orbe clarissimum reddidit, non minimam partem decurrimus, quæ ad notitiam rerum ad Academiam pertinentium facere videtur, ac ad Patavinam historiam, quæ non inutilis est ad pleniorem rerum notitiam, quæ toto hoc opere pertractantur. Ne memorem easdem ædes Iacobum Carrariensem primum Patavinorum Ducem habitasse relictis iis, quas in regione S. Margaritæ, quæ hodie S. Francisci maioris vocatur amplissimas tenebat, cum nondum Carrariensium regia esset instructa, quæ postea Vbertini Principis III regio sumtu cępta, & absoluta est, ut refert Vngarellus Annalium Patavinorum antiquus scriptor. Quarum & Io. de Nono scriptor pervetustus meminit hisce verbis: *Fulget in clypeis horum Nobilium de Carraria, qui nunc de Papafava dicuntur, unus Leo lazurus in colore albo, & possident usque in hodiernam diem unum magnum palatium cum una magna turre, ædificatum ex opposito S. Martini.* Harum, & Mussatus meminit, tum cæteri ferè omnes eiusdem ævi scriptores dum Pauli Dentis adversum animum in Carrarienses narrat, qui ædes illas aggressus factiosorum manu rem Carrariensem in summum discrimen adduxit. Easque longè ante illa tempora Actiolinum III de Romano, eiectis vrbe Carrariensibus sibi infensis, publicis carceribus dedicasse idem auctor scribit. Quod insignem illo quoque seculo ædium magnificentiam addit.

Testantur id etiam annales Carrarienses antiqui auctoris prægrandi Codice in membranis accuratè conscripti, pagina tertia: *Domini Petrus Comes, Albertinus, Marsilius, & Bonifacius fratres Domino Iacobino cognomento Papafava filii successerunt. Hi viri fuere magnifici, amicorum multitudine vallati,*

sen-

feudis, vassallis, & omnium opum affluentia divites. Castro Anguillariæ præfuerunt. Ingentia pericula animorum magnitudine contempserunt. Eminentia Palatia, quasi Castra habuerunt viri armorum strenuitate, personarum multitudine, & amicorum præsidio ab omnibus formidati; fortunas suas liberales, quasi nimis, cum se diligentibus communicabant, armis, & equis piorum more delectati in comessationibus assidui, nulli unquam amicorum, qualitercumque peteretur, opem denegarunt postulatam.

Ædium splendori accedit, à Republica Patavina in illis veluti omnium quotquot in Vrbe eminebant splendidissimis singulari magnificentia Reginam Clementiam Rudolphi Romanorum Regis filiam, Caroli Regis Neapolitani uxorem anno M C C L X X X I exceptam fuisse, ut vetustus quidam eorum temporum scriptor memorat.

Anno tandem M C C C C X C I I I Marino Venerio Vrbis Prætore, & Marino Leonio Præfecto, Iacobus Bolzaninus Eques & I.C. Bernardo Gilo Rectori studiosorum Iuris has ædes in emphyteusim concessit, ut heic publicæ scholæ constituerentur. Destructis itaque stabulis, & mensis tabernæ sublatis, his subsellia ad legentium, & studiosorum commodum substructa summaque omnium lætitia ad Serenissimæ Reipublicæ decus antiquum palatium ipsa vetustate, ac mole prope sua corruens instauratur, inque formam elegantiorem, quæ recentis ævi ingenium, luxumque fabricandi exprimeret, & scholarum æquè dignitati responderet, undique exornatur. Vniversam verò contractus rationem legentium curiositate dignam, proque Gymnasii Iuribus à quavis hominum, temporum, vel fortunæ iniuria vindicandis heic opportunam censui.

IN CHRISTI NOMINE AMEN. Anno eiusdem Natiuitatis M C C C C·X C I I I, Indict. X I, Die Martis sexto mensis Augusti Paduæ super plathea Dominationis sub Logia parva, eundo versùs stratam maiorem, præsentibus subnota-

tis &c. Coram Magnificis ac præclarissimis DD. Marino Venerio, & Marino Leono pro Serenissimo, & Excellentissimo Duc. D. Venetiarum dignissimis Potestati, & Capitaneo Paduæ sedentibus sub dicta Logia: præsentibus Magnifico & Generoso D. Benedicto Bono dignissimo Camerario Paduæ, D. Augustino Superantio q. Magnifici D. Nicolai Superantii procuratoris de contrata Prati Vallis, Spectabilibus Iuris Doctoribus D. Michaele de Milliario q. Spect. Iuris Doct. D. Hieronymi de contrata S. Francisci, D. Antonio de Rubertis q. D. Ioannis de contrata S. Nicolai testibus infrascriptis habitis, vocatis, specialiterque rogatis, & aliis multis spectabilibus civibus, ibidemque tunc existentibus: Sp. & Gen. Eques, ac I.V.D. D. Iacobus de Bonzagnis q. Sp. & Claris. Equitis D. Bonzanini habitator Paduæ in contrata Prati Vallis solemniter promisit investire Magnificum & Clarissimum D. Bernardum Gium de Valentia ad præsens dignissimum Rectorem Spectabilium DD. Iuristarum sacri Gymnasii Vrbis Patavæ, nec non infrascriptos DD. Spectabiles DD. Consiliarios, videlicet, D. Augustinum Morarium Horomatensem, D. Stephanum Vngarum, D. Pelagium Burges de Maiorica, D. Iacobum à Bobus de Verona, D. Andreonum de Artusinis de Ravenna, D. Antonium de Tridento de Vincentia, ad præsens Consiliarios præfati Sacri Gymnasii Patavi stipulantes, & acceptantes nomine totius Vniversitatis Sp. DD. Legistarum tam pro tempore præsenti, quàm futuro quoad usque Sacræ Sanctiones in infrascripta domo legentur, videl. Iure livelli perpetualis renovandi in capite x x i x annorum conficiendi in forma debita cum clausulis necessariis, pactis tamen, & conditionibus infrascriptis, videlicet: De parte unius domus de muro, & de lignamine solerata coopertæ cuppis, & primò de toto ingressu dictæ domus olim appellatæ Hospitium Bovis: exceptuatis tamen duobus magazenis ab utroque latere dicti ingressus, quæ magazena præfatus D. Iacobus sibi reservavit & reservat. Item promisit investire de tota curia dictæ partis domus usque ad domum præfati D. Iacobi, quæ est manu leua dicti ingressus, appellatam domum albam: quam domum sic appellatam domum Albam totam cum podiolis ab extra & alii

suis

suis ædificiis tam intus, quàm extra sibi reservavit & reseruat, videlicet; de tota curia tendente recto tramite usque ad domunculam de novo constructam habentem duas fenestras supra curiam dictæ domus; quæ est prope putheum existens in dicta curia: & quæ domus habet duas fenestras ferratas: quam cum dictis fenestris etiam sibi reservavit, & reservat. Item similiter sibi reservavit medietatem stabuli existentis penes dictam domum nuper constructam, & recto tramite tendentem usque ad viam publicam cum medietate talami de supra eundo ad ipsam per unum podiolum existens super duabus columnis quadrellorum, sive laterum. A manu verò dextra promisit investire de tota reliqua parte domus de supra, & de subtus, hoc est, de parte inferiore, dempto tamen stabulo confinante cum nobilibus de Papafabis, & Capitibusvaccæ, quod sibi reservavit. In quo quidem stabulo possit fabricari facere unam cameram à parte posteriori usque ad ostium, quod nunc apparet, & de præsenti extat, quæ est pedum x x ij, vel circa. Pactis, modis & conditionibus infrascriptis: Primò quod construantur & fabricentur Scholæ expensis Serenissimi Dominii Venetiarum, in quibus Spectabiles & Clarissimi Iurisconsulti tam præsentes, quàm futuri in infinitum legent singulis diebus, quibus soliti sunt legere lectiones publicas. Item quod ullo unquam tempore possint, nec valeant dictam partem domus sic allivellendam vendere, vel aliter alienare, neque permutare, aut obligare, seu pignori tradere, quod si quo tempore contrafactum fuerit, non valeat, neque teneat de iure, vel de facto, sed ipsò facto consolidetur ius utile cum directo; Ita quòd incontinenti sine aliqua alia solemnitate Iuris revertatur, & intelligatur reverti in præfatum D. Iacobum & hæredes suos. Item quòd si constructis & ædificatis Scholis non legeretur, seu mutaretur locus legendi, quòd illico & incontinenti dicta pars domus cum Scholis, & omnibus aliis ædificiis in ea fabricandis revertatur & consolidetur cum dominio directo præfati D. Iacobi & hæredum suorum, non obstantibus quibuscunque concessionibus, & iuribus in contrarium dicentibus, quibus ex nunc prout ex tunc, & è contra,

tra, pacto expresso renunciarunt : & quòd propterea præfatus D. Iacobus, & hæredes sui non teneantur, neque aliquo pacto astringi possint ad solutionem aliquam pro ipsis Scholis, seu fabricis in ea faciendis, sed ipso facto revertantur liberè in ipsum D. Iacobum & hæredes suos sine ulla pretii solutione aliquorum melioramentorum construendorum ut supra à quocunque, quomodocunque, & qualitercunque fabricatorum. Item quòd si vellent reducere, seu reduci ipsam partem domus sic livellatam fabricatam in alium usum, quòd nullatenus possint, nec valeant, sed ipso facto cadant à Iuribus suis, & illicò revertatur in præfatum D. Iacobum, & hæredes suos. Item quòd non possit privari lumine in aliqua parte partis domus sibi reservatæ ipsi D. Iacobo & hæredibus suis, sed quod undecunque possit, seu possint habere lumen, & construi facere fenestras & podiolos, eisque dare lumen circum circa in quacunque parte dictæ partis sic reservatæ ad sui & hæredum suorum beneplacitum. Item quòd habere debeant introitum & exitum ad magazenos suos, & in eis construi facere apothecas, sicuti sibi placuerit & fenestras versus viam publicam. Item quòd nullatenus possint destruere merlaturas tam à parte anteriori, quàm posteriori dictæ domus, cum sint ad eius decorem & ornamentum. Item quòd præfati Dominus Rector & Consiliarii tam præsentes, quàm futuri teneantur & obligati sint effectualiter revera in prompta pecunia dare, solvere, & reddere de livello præfato D. Iacobo & hæredibus suis singulo anno ad festa Natalitia Domini Nostri IESV CHRISTI, incipiendo currere annus MCCCCXCIV. & incipiendo currere solutio livelli de anno MCCCCXCV. extindeque sequatur solutio annualis singulis subsequentibus annis Duc. quinquaginta quinque auri, videlicet Ducatos 55 auri boni & iusti ponderis Venetiarum, similiterque fiant solutiones per Magnificos Dominos Camerarios Paduæ tam præsentes, quàm futuros de pecuniis Sp. DD. Legentium tam in Iure Civili, quàm in Iure Canonico cum uno pari cyrothecarum à milite. Item quòd deficientibus prædictis circa solutionem, seu partem solutionis dicti livelli Ducatorum

rum

rum LV auri ut supra annuatim, quòd ex tunc & eo casu præfatus D. Iacobus propria authoritate possit retinere claves & claudere Scholas quoadusque sibi erit integrè satisfactum. Item quòd si quo tempore per præfatum D. Rectorem, & Consiliarios suos, aut eorum successores ageretur contra obtenta per eos in eorum consilio circa confectionem præsentis contractus & pactorum suprascriptorum, & authoritatem allegandam invalidam, & quod esset contra formam Statutorum Universitatis, sive quia minùs solemniter factam, quod tunc & eo casu intelligatur esse derogatum statutis suis, imo quòd præsens contractus habeat vim legis, ac si solemniter & plus quàm solemniter celebratus esset. Item quòd præfati D. Rector, & Consiliarii obligare habeant ultra generalem obligationem bonorum Universitatis omnes fictus domorum positarum in contrata Scholarum, & specialiter Ducatos XX, quos annuatim percipiunt de domo Universitatis, quæ dicitur dal Pesce, & Ducatos L. de salario percipiendo annuatim per D. Rectorem, & omne iur. promotor. & omnes introitus pervenientes ad manus Bidelli Universitatis prædictæ, necnon ipsum Bidellum, & ratas taxatas omnium Doctorum legentium: & denique quòd non augeatur solutio dadiarum in æstimo plus eo quàm de præsenti solvit pro dictis Ducatis LV persolvendis ut supra tantùm. Item quòd Ducatus percipiendus pro honorantia dictæ domus tempore cursus equorum detur singulo anno præfato D. Iacobo, & hæredibus suis temporibus, quibus datur cursus equis, sicuti semper fuit solitum dari Suæ Spectabilitati, & convertatur de dicta domo data pro Scholis domui sibi reservatæ, videlicet, domui albæ habenti podiolum supra viam publicam. Item quod intentato uno ex istis pactis pro solutione sibi fienda de dictis Ducatis LV auri persolvendis, ut supra, quòd nihilominus non præiudicet sibi, quin possit etiam alios partitos intentare in totum & in parte ad hoc ut deveniat ad plenam satisfactionem. Item, quòd præsens contractus conficiendus confirmetur per Serenissimum Duc. Dom. Venetiarum in Excelso Consilio Rogatorum cum additione pro maiori validitate, & ipsius confirmatione.

Hæc

Hæc sunt pacta & conventiones inter Magnificum Militem & Iuris utriusque Doctorem D. Iacobum Bonzaninum, & Universitatem Iuristarum facta de livello domus suæ, quæ appellatur Hospitium Bovis, me Bernardo Gil de Valentia tunc Gymnasio Præsidente, seu Rectore, & in fidem propria hæc scripsi, ne veritati opponi possit. Et hæc sunt illa, quæ in Illustrissimo Dominio præsentata fuerunt & confirmata.

Idem Bernardus Gil nunc Donus Hieronymus S. Iustinæ Monacus.

Ego Franciscus à Prato nâtus q. Sapientis Notarii Ser Ioannis à Prato civis & habitator Paduæ in quarterio Turricellarum cent. S. Danielis & contrata Prati Vallis publicus Imperiali authoritate Notarius & Iudex ordinarius suprascriptis omnibus & singulis, dum sic agerentur præsens fui, eaque rogatus per aliam mihi fidam personam in hanc publicam formam redegi, aliis præpeditus negotiis, & in præmissorum fidem me subscripsi sub meis signo & nomine consuetis, auscultatis primò omnibus suprascriptis cum autentico, ac cum eo concordare repertis: ne forte puncto littera vel syllaba. Ad Dei laudem.

Ab hac pensione livellaria Ducatorum viginti cum dimidio se exemit Universitas anno M D XXXIX. die IX Septembris.

Appellatio, inscriptio, & ædificii universi constructio ac delineatio. Cap. X.

NOvis quidem Scholis SAPIENTIÆ nomen initio destinatum erat à Cl. Viris, attamen à signo Bovis ab omnibus Bovinæ Scholæ sunt appellatæ, ut jam longo usu Bovis nomen Gymnasium Patavinum obtinuerit.

Magnifica structura est ædificium variis temporibus sic iubente Senatu Veneto à Præsidibus Patavinis auctum. Ordine





GYMNASIVM PA



PATAVINVM



dine est corinthio ut uocant. Spectatur insignis porta duplicibus columnis hinc inde ornata, alta & pomposa, supra quam Leonis statua inaurata, & insignibus Rectorum Vrbis Venetorum hac inscriptione.

GYMNASIVM OMNIVM DISCIPLINARVM.
PRINCIPE PASCHALI CICONIA,
PRÆSIDIB. IOANNE SVPERANTIO EQ.
ET FEDERICO SANVTO,
REFORMATORIBVS
IO. FRANC. PRIOLO DOCTORE,
ZACHARIA SAGREDO,
LEONARDO DONATO EQ.
INSTAVRATVM ANNO MDXCI.

In suprema palatii contignatione sub insignibus Ciconeæ Ducis leguntur.

Sic ingredere ut te ipso quotidie doctior;
Sic egredere, vt in dies patriæ, Christianæq. Reipublicæ
utilior evadas.
Ita demum Gymnasium à te feliciter ornatum existimabitur.
Ioannes Cornelius Prætor, & Antonius Priolus Præfectus
Anno salutis M D C.

Ex sequentibus inscriptionibus partem exteriorem fuisse renovatam constat: In altiori parte literis aureis

IOANNES BAPTISTA BERNARDVS PRÆTOR
ET LEONARDVS MOCENICVS
PRÆFECTVS.

Sub quibus in medio prospectus inter fenestras

HANC GYMNASII PARTEM VETVSTATE
DEFORMATAM IN MELIOREM FACIEM
A FVNDAMENTIS RESTIT.

Anno M D XLIII Io. Andreas Baduarius Prætor, & Philippus Tronus Præfectus januam posteriorem extruendam, curarunt. Moderatoribus Sebastiano Fuscareno Doctore & Equite, Antonio Suriano itidem Doctore & Equite.

M D XLVII Delphinus Delphinus Prætor, Matthęus Dandulus Præfectus post ingressum anterioris januæ scalam magnificam & sinistram partem Scholarum perficiendam curarunt. Post triennium Nicolaus Pontius Doctor & Eques, ac Moderator eam partem incæptam perfecit. Et biennio post M. Antonius Venerius Doctor & Eques Prætor, Franciscus Contarenus Pręfectus anteriorem Gymnasii partem ædificandam mandarunt. Et posteriorem partem perfecit Nicolaus Pontius Prætor, & Iustinianus Contarenus Præfectus anno M D LIX.

Partem dexteram exornatam fuisse Rectoribus Vrbis M. Antonio Memo, & Petro Marcello an. M D LXXXVII. Moderatoribus Lycei Laurentio Priolo Equite, Aloysio Georgio, & Marco Barbaro Equite, & D. Marci Procuratore. Scalam verò eiusdem dexteræ partis ædificarunt M D XCIII Ioannes Superantius Eques Prætor, & Federicus Sanutus Præfectus. Moderatoribus Io. Francisco Priolo D. Marci Procuratore, Zacharia Contareno, & Leonardo Donato Equite.

Nihil deerat ad Gymnasii ædificium, quam turrim Campanæ, & Horologii construere, quod quidem magnis expensis anno M D LXXI, & M D LXXII Rectores civitatis Iacobus Aimus, & Petrus Fuscarus perfeci curarunt.

Pri-

Primum Moderatoribus Nicolao Pontio, Friderico Valaressio, Marino Caballo: deinde Ioanne Michaele Equite, Iacobo Fuscareno Doctore, & Iacobo Sanuto Equite.

De Gymnasii Turri, Campana, & Horologio. Cap. XI.

TVrris Gymnasii altitudine & structura, necnon marmoribus & pinnaculis supremis ornamentis inter alias Vrbis nostræ speciosa consurgit. Hæc illa, quæ in Tab. diuisionū inter nobiles Carrarienses fratres, Iacobini, cognomento Papafavæ Anguillariæ Comitis filios an. M CC LXXXIX. 11 Iunii Domum Albam à turre denominabat, quam magnam turrem Ioannes de Nono antiquus Scriptor vocat, cujus quidem sumitas insignis altitudinis anno M D L X X I Aimo Prætore, & Petro Fuscaro Præfecto, Moderatoribus Gymnasii Nicolao Pontio, Friderico Valaressio, & Marino Caballo, novo fabricæ genere cooperiente fastigium testudine plumbea, fenestris e marmore eleganti structura ornata est, addita etiam dealbatio parietum in exteriori parte qua gratior & pulchrior intuentibus antiquissimę turris aspectus redderetur. In interiori adhuc parte murum laterum cementi color, supra veterem fabricam additamēta testatur.

Accessit Campana anno M D C I I I, cujus sonus per universam latissimam Vrbem dulcissimus exauditur, & auribus præcipuè studiosorum gratus excipitur, quo ad prælectiones, disputationes aliaque Gymnasii solemnia convocantur. Addita insuper horaria machina ad horas distinguendas, tempusque legendi singulis Doctoribus assignandum. Pulsatur autem campana à Festo Omnium Sanctorum usque ad primam diem Iulii, mercede Ducatorum ...., qui persolvuntur ab Artistis, totidemque ab Iurisconsultis. Idque hora matutina XIV ad XV, & pomeridiana vigesima

ad vigeſimam primam vſque ad quadrageſimam, ex quo diei incrementum Rectoris arbitrio ſenſim horæ anticipantur. Signum verum continuè datur ad horæ quadrantem, deinde interpolitis vicibus, cum primus Lector Cathedram conſcendit, in qua moratur uſque ad finem horæ. Ceteri Profeſſores horam integram conſumunt, quam excedere minimè licitum eſt, ne aliis tempus præripiatur.

Gymnaſii conſtitutio. Cap. XII.

VNiverſa Academia Patavina tanquam ex membris ex ſtudioſis juvenibus, omnium Nationum, & ex Profeſſoribus ſcientias docentibus conſtat. Studioſi unoquoque anno eligunt Officiales ac Magiſtratus. Academia enim mixti generis eſſe videtur, ut ſunt omnes ferè Reſpublicæ, Democraticæ tamen ſpecies manifeſtior, niſi Rectoris monarchia offuſcaretur, quæ noſtris tamen temporibus deſiit. Ejus initio hæc fuit forma.

Rectores bini creantur: alter Iuriſconſultis, alter Philoſophis Medicisque præeſt. Penes eos ſumma eſt Gymnaſii, quæ hodie multis ex cauſis aliquando eſt imminuta.

Vicarius, Rectoris Conſiliarius, & Auxiliarius ſubſtitutus ab ipſo Rectore, ſi quando per octo dies Vrbe abeſſe cogitur, deſignatus.

Vice Rector, cum ultra menſem Vrbe abeſſe Rector cogitur, ab Vniverſitate eligitur. Isque hodie frequentiſſimus eſt, quoniam ob immodicos ſumtus, & ob diminutam auctoritatem raro Rector eligitur.

Sapiens cuilibet Rectori, ſuus veluti Legatus, atque Syndicus additur, Magiſtratu annuo.

Conſiliarii utrique Rectori ex Nationibus ſingulis junguntur. Iuriſconſultorum quidem numero XXIII. Medicorum XII.

Syndici præterea quatuor, defunctorum Magiſtratu Recto-

ctoris, & ministrorum acta omnia indicant.

Congregator item unus ex Consiliariorum numero delectus, qui si quando Rector vel absens, vel actor, vel reus est, munus Pedelli (qui tanquam Rectori juratus famulus est suspectus) in convocandis subit Consiliariis.

Pidellus, Viator Academiæ, Rectori, & Academicis, à lingua, à pedibus manibusque convocando, indicendo, affigendo, publicando, denunciando, purgando, aperiendo, claudendo, & Iurisconsulti quidem Generalem habent omnium Doctorum, sex alios speciales singulis professoribus ministrantes.

Medici verò unum generalem, alterum specialem, qui partim collegæ adest, partim absentis vices gerit.

Massarius sive dispensator, rationes accepti, & expensi publici curat.

Notarius, Instrumenta, Statuta, Privilegia publico nomine scribit.

Librarius, à studiosis concreditos libros bona fide distribuendos curat.

De Vniversitatibus Legistarum, & Artistarum. Cap. XIII.

VNa initio erat Vniversitas Gymnasii Patavini. Vnus Rector, quæ crescente paulatim studiosorum frequentia in geminam fuit divisa: quarum altera Iurisconsultis, altera Philosophis, Medicis, ac Theologis communi Artistarum nomine adsignata. Suas unaquæque leges sanctionesque habuit, suas quoque nationes, in quas studiosi cuilibet addicti referuntur Iurisconsulti ex tribus & viginti conflantur nationibus; primumque locum obtinet Germana, quam reliquæ sequuntur hoc ordine: Polona, Bohema, Vngara, Provincialis, Burgunda, Anglica, Hispana, Vltramarina, Scota,

Ro-

Romana, Sicula, Marca Anconitana, Lombarda, Mediolanensis, Genuensis, Tusca, Veneta, Marca Tarvisina, Foroiuliensis, Dalmata, Pedemontana, Patavina. Artistarum Vniversitas ex septem nationibus. Quarum una est Tuscorum, cui Romandiola cum Vrbino & ejus tractu. Vltramontana, seu Trasalpina. Vltramarina, seu Cypria cum Illyriis, Dalmatis, Histris, ac Siculis. Lombarda eorum, qui sunt ultra Athesim. Marca Tarvisina cum Foroiulio. Romana sub qua Lucani, Abruti, Terræ Laboris, Calabri, & Apuli, Marca Anconitana. Quarum unaquæque binos habet Consiliarios, aliter quam Iurisconsulti, quorum singuli suam nationem repræsentant. Quælibet autem Vniversitas habet suum Rectorem, seu Vice Rectorem tanquam caput & Ducem per quam præcipuè regitur. Suos Sapientes, Consiliarios. Massarium, Notarium, & Bidellum generalem, & specialem, qui habent sua honoraria.

Reliquis Nationibus omissis, quibus nihil est peculiare, de exteris earumque privilegiis paulo exactius acturi sumus.

De natione Germanica. Cap. XIV.

GErmani hisque vicinæ gentes armorum gloria celebres una cum Christi Domini Nostri cultu mansuescentes literis animum excoluere. Eaque natio, ut semper fuit curiosior, in exteris virtuti operari cępit, quæ expulsa Gothorum barbarie in Italia Lombardorum ingenio paulatim revixit. Hi enim ferè renascente Gymnasio, ut ex statutis Iurisconsultorum percipimus, primos Rectoratus honores obtinuerunt. Nimirum anno M CC LXI Henricus de Sancta Petronilla Præpositus Frisensis. Anno M CC LXVII alter Ioannes Præpositus Germanus. Anno M CC LXIX Amon quidam Gebennensis, qui plura de electione Doctorum, & de litibus inter scholares, & Librarios decrevit, & M CCC I Rudulphus de Augusta inter ceteros eminuere.

re. Hos itaque Patavini Lycei primordiis incrementa dedisse, minimè dubium est: quanquam nulla huius rei memoria in Annalibus huius Nationis exstet. Hi namque primum erepti à Philosophis, Medicis, & Theologis, postquam ad meliorem ordinem sponte separati essent à Iurisconsultis anno M D L X. Quod ante factum planè incertum, nec quibus vixerint legibus planum est. Credibile est reliquarum Nationum more paruisse Rectori, suisque institutis vixisse quemlibet. Augescente verò in dies numero, has optimo sibi consilio iunxisse privilegiis à Serenissima Republica Veneta gratiosè concessis atque confirmatis: quorum beneficio præ reliquis ad Imperii Romani decus, & Reipublicæ ornamentum eminet. Hinc enim tanquā ex equo Troiano innumerabiles prodiisse Principes Ducesque Imperio, rebus belli pacisque tempore præclarè gestis, aliosque dignitatibus Ecclesiasticis, prudentia, doctrina, ingeniique monumentis celebres indicant nomina in Album relata, cujus initium apud Iurisconsultos incidit in annum Salutis M D . . . . apud Philosophos & Medicos ab anno M D LIII Iul. 2. numeratur.

Mutua in primis concordia se tuetur, nunquam animis inter se divisis, legibusque suis sanctè obtemperat, digna cui tales Princeps indulserit. Res mira: ingenio, sermone diversi, augusto Imperii nomine insignibusque AQVILÆ Germani appellantur, atque à priscis Germanis oriundi. Ad hos itaque referuntur Dani, Noruegi, Bohemi, Moravi, Transilvani, Tirolenses, Lotharingi etiam linguæ Germanicæ ignari, unique parent Consiliario, cui primus inter Iurisconsultos in Vniversitate locus, apud Philosophos & Medicos pariter, ex quo abolita fuit Tusca, quæ primas à Syndico tenuit. Vniversitatis consessibus adesse, vel abesse Germanis liberum est, iisque solis ense cinctis peculiari privilegio comparere, etiam dum Comitia apud Vrbis Rectores solemniter celebrantur. Applaudente jam dudum Senatu Veneto,

& ap-

& approbante Vniversitate ab annis M D L I I I. è Germanorum quoque Medicorum cœtu quotannis præter Italam ab Vniversitate electum Consiliarius Anatomicus à Natione nominatur. Solis Germanis Serenissima Respublica peculiarem anno M D C I X matriculam concessit, quam à Consiliario accipiunt. Iurisconsultis defunctis apud Eremitanos est conditorium, Philosophis & Medicis in D. Sophiæ Templo: quod primitus arbitrarium fuisse indicant diversis in templis monumenta. Bibliothecam præterea studiis commodam civium suorum aliorum ingenii monumentis celebrium Virorum liberalitate utraque habet satis locupletem in ædibus Bidellorum suorum, suis indicibus facilem, libris Aquila signatis. Huic apud Medicos præficitur Consiliarii Bohemici in Vniversitate titulo Germanorum aliquis annuo ad summum (sicut & Consiliarius atque Procuratores) munere. Consiliarius vero civium suffragiis in publicis Nationum congressibus, Iurisconsultis in peculiari Eremitanorum exedra, Medicis in S. Sophiæ sacrario, ad minimum ter quovis anno institutis, decernitur, qui etiam indicuntur, quoties Consiliarius magistratum deponit; cui è quatuor civibus bini pro alterius electione omnium calculis subiiciuntur. Ceteri Nationis officiis præfecti in privato consessu eliguntur, binis semper propositis; quorum alter calculis superior remanet. Bibliothecario, dum hæc condimus, anno M D C X L I X Iurisconsultorum exemplo apud Medicos additus fuit socius, ut labore sublevaretur. Ærarii curam cum Consiliario gerunt bini Procuratores, quorum suam quisque habet clavem, in quod reconditur prçter argenteam supellectilem civium symbolis confectam, civiumque pignora & deposita, aliaque Nationis rara, quicquid æris ex matricula, solẽnitatibus Doctoralibus, Legatis, donis Nationi cædit in publicas impensas pro locatione bibliothecæ, egentium subsidio, aliisque rebus Nationi decoris. Ministro autem, sive Bidello Germano, aut linguæ saltem Germanicæ

pe-

perito, mercedem trimestrem solvunt civium singuli. Hi quatuor cum Consiliario, si quis fuerit, atque sex Assessoribus, quos appellare placuit Seniores, privatum efficiunt conventum: cujus est Nationis negotia decernere: quæ si maioris momenti ad publicum omnium concilium deferuntur: quod uni licitum est Consiliario indicare. Nec à Nationis judicio magistratum civilem appellare cuiquam fas est: Imo singulari privilegio ne debitores quidem coram alio Iudice compellare. Iurisconsulti præter Consiliarium etiam suum habent Syndicum, qui Consiliarii absentis vices gerit, quas inter Philosophos & Medicos sustinet Bibliothecarius, nisi fortè sit Exconsiliarius, quod raro accidit. *Syndici*, seu Prorectoris vices in Vniversitate gerit utriusque Nationis Consiliarius. Prudenti porro cautum est instituto, Natione, quæ minimum denis constet, pestis, aut belli metu Vrbem relinquente, ærarium in cœnobium aliquod maioris securitatis gratia transferendum. Ceterum, ut gestorum ad posteros memoria supersit, Consiliarii manu apud Philosophos ac Medicos, Syndici apud Iurisconsultos Consiliarii nomine in Annales reducitur quicquid ea dignum: quorum fides singulorum omniumque calculis confirmatur. Nec sanè horum opera lucubrationibus nostris parum lucis accessit. Hac vitæ ratione ob singularem in studiis præcipuè Anatomico, Botanico, & Medico vigilantiam, ob summam in Rempublicam fidem, in Doctores demum observantiam, qua primos sibi quovis tempore Professores, devinxit, eximia apud Venetos gratia valet. Cui maiorem in modum stabiliendæ Patronos è celeberrimis Doctoribus sibi semper elegit utriusque Facultatis natio. Nostra memoria Ioan. Baptista Silvaticus Iurisconsultis adfuit, Cæsar Cremoninus Philosophus primæ Sedis Philosophis & Medicis, successorem nactus Benedictum Silvaticum Primæ Cathedræ practicæ Medicum Professorem, cujus fratri pro Iurisconsultis subrogatur Ioannes Galvanus.

Alios præterea sibi quandoque è primoribus Vrbis Germani suis conciliavit obsequiis, Roberti Papafavæ Equitis in Philosophos Medicosque Germanos in ipsorum Annalibus commemorantur summis laudibus officia. Vberrimos autem grati hospitii fructus reddidit etiam Gymnasio ipsi Natio, non modo spectata lectissimorum auditorum frequentia, qui varia Lycei munera singulari existimatione gesserunt, sed & Doctorum numero non pœnitendo Melchiorem Guilandinum admirata fuit superior ætas, nostra Adrianum Spigelium Equitem, Ioannem Prevotium, Bartholomæum Soverum, Ioannem Thuilium collegas, nuperrimèq. Ioannem Veslingium Equitem, rebus omnes humanis immortali fama exemtos. Itaque prudenti consilio Serenissima Respublica Veneta mutuis Augustissimis Imperatoris vicibus huic Nationi advigilat, eiusque commodis singulari providentia privilegiisque facultatis utriusque studiosis communibus insigni cura consulit. Nimirum seposita sub Comitibus Palatinis Doctorum licentia in Gymnasio ipso auctoritate Veneta Germanis multo id tempore petentibus tandemque impetrantibus, à Præside in triennium è primis Cathedris ordinariis electo, cum reliquis primæ Cathedræ ordinariis, & extraordinariis Professoribus Anno MDCXVI. XXII Aprilis Philosophiæ & Medicinæ Doctores, & anno MDCXXXVIII. IV Martii Chrirurgiæ Magistros. Iurisque pariter utriusque Doctores anno MDCXXXV. XXIV Maii publico decreto creari jussit. E primis Cathedris ordinariis apud Medicos & Philosophos à Reformatoribus electis, initio accesserunt reliqui Professores Philosophi & Medici ad arbitrium Candidatorum, nunc autem quatuor primæ Cathedræ totidem secundæ Cathedræ ordinariæ, & iis deficientibus primæ Cathedræ extraordinariæ ad seriem in pagina publica editam. Iurisconsulti numerum constituunt novenarium, cui aliquando omnes I.C. Professores adduntur. Quod beneficium eximia Principis indulgentia reliquis

po-

postea Nationibus, privatim id merentibus, commune factum. Adeo invia virtuti nulla est via.

De natione Gallica. Cap. XV.

NOn minus quam hodie Germanorum, florente jam Gymnasio numerosa olim erat Gallorum natio, cum Iuris ac Medicinæ præstantissimorum Professorum fama allecti, tum exercitiis Gymnasticis, quibus peritissimi olim Patavii præficiebantur magistri. Gliscentibus autem bellis civilibus, institutisque pluribus in Gallia Academiis paulatim cœpit horum imminui numerus. Locus ei peculiaris est in Vniversitate Iurisconsultorum. Matriculam, ut reliquæ, præter Germanam exteræ nationes, ab Vniversitatis habet Syndico. Album autem habuit suum, in quo Illustria spectabantur plurimorum nomina; Sed cum bibliotheca, quæ fuit perexigua, nullis hujus Nationis civibus in Vrbe præsentibus ob grassantem anno M D C X X X pestem vna cum Bidelli Gallici supellectili iniquis manibus direptum fuit. Vidit involucro holoserico violacei coloris è membranis volumen auro pictum amicus noster Ioannes Rhodius, in cujus fronte patronos sibi elegerat nobilissima natio è Patavinis Vincentium Doctum Mathematicæ peritissimum, & peregrinatione clarum, & Ascanium Zabarellam virum fortissimum, è Professoribus publicis Ioannem Galvanum publicum Iuris Interpretem, & Ottonellum Discaltium I.C. omnes nobilitate & doctrina clarissimos. Privilegia nulla ei fuere peculiaria, præter jus gladii in publicis congressibus Vniversitatis. Nec ullas sibi leges constituit præter paucissimas ad ærarii potissimum rationem spectantes Anno M D C X X I X sua lingua. Bini quippe hujus fuere Consiliarii Provincialis ac Burgundus. Ærario illatum fuit symbolum à civibus pro inscriptione & Doctoris gradu perexiguum. Coalescentibus tunc tandem post longa dissidia

Christiani Orbis beneficio Principum animis Gymnasii nostri incremento generosam hanc nationem ad Musas redituram vovemus.

De natione Britannica. Cap. XVI.

BRitannorum nomine, ut imperio junctos, Anglos, Scotos, ac Hibernos accipio. Quibus literæ tantum certè quantum ulli nationi debent. Ab iis nempe Caroli Magni consilio ad Gallos translatæ. Quarum tam ingens domi cultura, ut vix reliquum sit, quod foris quærat, sive doctorum, sive optimorum librorum, aut studiosorum proventum consideres. Italia tamen huic nationi semper admirationi fuit, maximèque eius gentis primoribus, qui civili prudentiæ animum applicant. Quorum adhuc in Collegio videntur monumenta, qui pluribus hinc annis Rectoris & Consiliarii munere claruerunt. Privilegiis à reliquis nationibus nihil diversi junctis animis in uno quidem nationis simul describuntur albo, quod ab anno M D C X V I solum superest, reliquis omnibus omissis per pestilentiæ contagium, quæ tunc nationis Bidello relicta fuerant. Angli, & Scoti in Universitate, quibus se sistunt distinctos habent Consiliarios, à Iurisconsultorum Syndico matriculam poscunt, etiamsi non minima pars Philosophiæ, ac Medicinæ operam navat. Ærarii hactenus apud eos nulla fuit ratio, nec bibliothecæ, quæ hoc primum anno M D C X L I X Germanorum exemplo iisdem ferè legibus instituta. Summa inter se concordia benevolentiaque agunt, etiamsi civilibus dissidiis optimi Regis interitu patria exardescat, imo in publico hoc fortunarum discrimine, ingenii acumine varia eruditione, ac morum integritate conspicui ad maiorem vitæ securitatem longè quam ante numerosiores ad asylum veluti confugientes Patavina subsellia, & Doctorum pulpita cohonestant.

De natione Polona. Cap. XVII.

NEc adeo fera gens ulla, quin literis possit mollescere; Sarmatis nihil olim immitius. At nihil hodie iis humanius, qui bonis literis cum divino cultu animum imbuere, Thracibus ipsis horrendi eleganti Romani sermonis, sapientiamque divinam & humanam omni ingenua contentione sectantur. Nec ulli ferè populo Italiæ mores, maiori fuere in pretio. Quotquot enim se dicarunt rebus divinis, Romanam curiam visunt. Sed & aliis disciplinis dediti, potissimum Arti Medicæ Patavium sibi studiorum sedem eligunt. Iurisconsultorum Vniversitas hujus Consiliarium inter suos numerat, eiusque civibus matriculam impertitur, cui eius nationis omnes nomen obsequiumque profitentur. In hoc Liceo antiquitus floruit hæc natio. Anno enim MCCLXXI Nicolaum Polonum Archidiaconum Cracoviensem Iurisconsultorum Rectorem electum toti Gymnasio præfuisse, constat ex Statutorum volumine. Bibliotheca satis intra mediocritatem est tenuis: nec ærarii notabilis opulentia, quia minor plerumque est civium numerus, qui se disciplinarum studiis tradunt. Egregios suggessit quandoque viros, quibus supremi etiam crediti fuere Gymnasii fasces, ut de Nicolao Polono Archidiacono Cracoviensi Rectore legitur in Lib. Statutorum anno MCCLXXI, nostraque ætate alios; inter quos Ioannes Zamochius Magnus postea Regni Cancellarius Sigonii disciplina clarus, æterna nominis gloria facilè primus memoratur.

De Transmarinis, sive Græcis. Cap. XVIII.

NEc silenda eorum diligentia, quod mari Tyrrheno sejuncti Antenoris maiorumque suorum cineres venerati ad hoc quoque scientiarum emporium conveniunt Græ-

ci

ci veteris disciplinæ splendorem à Latinis reposcentes, etiam qui jugo Othomanici subiecti. Obvius hisce Romæ favor in Collegio hujus genti dicato, & à Serenissima Republica Veneta nihilo minor est. Nam & Patavii crescente ipsorum frequentia afflictis præcipuè ab hostili incursione Cretensium rebus, contubernium iis peculiare patet, procurante id potissimum Francisco Mauroceno D. Marci Procuratore, regni huius olim Produce. Cujus inspectio atque tutela Cl. Viro Ioanni Galvano I.C. magni nominis, nostræque patriæ ornamento multis ab hinc annis credita. Natio hæc non solum Philosophorum, & Medicorum, sed etiam Iurisconsultorum universitate locum obtinet, nihil à reliquis exteris Italiæve indigenis peculiare jactat, quorum suo de Consiliario loco justa mentio est.

De Rectoris electione. Cap. XIX.

RE Ctorem Gymnasii studiosi primitus geminum elegere, Iurisconsulti unum, Artibus dediti alterum, amplioribus nempe privilegiis, maiorique auctoritate. Sed quoniam plura fierent protervè, placuit Senatui Veneto paulatim moderamen addere. Quo factum ut postea unicus utriusque Vniversitatis Rector alternatim nominaretur, nunc Vltramontanus, nunc Citramontanus: & si non inveniretur idoneus in una Vniversitate, dignitas ea magistratus ad aliam transferretur: qui verò munus gesserat rarò confirmabatur. Imminuta nostris temporibus scholasticorum frequentia, ob libertatem nimiam, & ob ingentes sumtus rarò quisquam honorem istum suscipit. Sed Prorectori, aut Syndico Gymnasii cura omnis committitur. Rector autem coram Præsidibus Vrbis creabatur à Consiliariis Vniversitatis: quorum est seligere Virum illustrem, providum, eloquentem, ac divitem, quique eo pollet rerum usu, ut Gymnasii decora ipsius gubernatione & splendore augeãtur. Si quem huic muneri destinarunt, quidem liberum est onus ei recusare: causæ

ta-

tamen ab Vniversitate expenduntur. Electus autem, & à Senatu Veneto confirmatus intra biduum spectabili comitatu visitare consuevit Episcopum Vrbis, Prætorem, & Præfectum, deinde scholasticos opiparo convivio excipiebat.

Huic festivitati apud Iurisprudẽtes decimus Augusti dies, apud Philosophos, Medicosq. dies quintus, ac decimus eiusdem mensis erat dicatus, quo pileum solemniter imponebatur in Basilica Cathedrali. Nec memoria prætereundum videtur, qua solemnitate hæc peracta fuere comitia.

Rector pro dignitate tanti magistratus laudabili cõsuetudine pridie festi S. Laurentii hastas non minus, quam ducentas cum chirothecis studiosis equitãtibus initio elargiri consuevit: qui tibicinibus Reuerendiss. Episcopum, & Illustriss. Rectores Civitatis in diem sequentem ad celebranda in Basilica Cathedrali solemnia more invitabant. Paratis heic subselleis D. Episcopo, Rectoribus, & Quæstoribus invitatis Rector magna pompa accedens postquam Capitium ab Episcopo accepisset, Illustrissimis Rectoribus, Præcessori suo, ac Quæstoribus Civitatis singillatim par chirothecarum cum sceptris elegantioribus, vulgo *Masse*, necnon panem Martium destinavit. Doctoribus Collegii pariter chirothecas, Syndico autem, & Vicario, atq; Consiliariis, ceterisq. secum reversis præeunte tibicinum turba epulum opiparum exhibuit. Post prandium hi omnes equis Rectorem cum Præsidibus ad decursionem aliosve ludos equestres deduxere. Quibus Professores conveniens precium constituebant, quod Rector victori distribuebat. Multa præterea maximis fiebant expensis. Quibus postea modum ponere libuit.

De habitu Rectoris, eiusq. auctoritate, prærogatiua, & commodis. Cap. XX.

Rectoris vestis æstate serica coccinei coloris, hyeme ex holoserico purpureo cum caputio supra sinistrum hume-

me-

merum auro & gemmis contexto, soleisque rubeis. Nec unquam prodiit in publicum nisi cum insignibus Rectoris & comitatu, numeroque famulorum.

Iurisconsultorum Rector præcedit Rectorem Artistarum, uterque Quæstores, Deputatos, Equites, & omnes dignitate Ecclesiastica fulgentes præter Episcopum Patavinum, Vrbisque Rectores, post quos proximus iis locus concedebatur. Omnis ipsorum auctoritas versabatur in regimine Vniversitatis, tuendisque & augendis privilegiis scholasticis. Munus præterea ipsorum Doctores officii monere. Dissensiones litesque inter studiosos natas integrè componere. Quavis hebdomada, præcipuè die Iovis in curia causas à Professoribus, studiosis, aliisque Vniversitatis nomen professis in medium allatas auscultare, imposito etiam jurejurando plena sententia dirimere, nefas alium Iudicem compellare; quamvis supplicare integrum. Tribunalia etiamnum versus occidentem in Palatio spectantur duo. Rectorum Iurisdictio est ut vocant Legistæ, ordinaria.

Nec onus illud commodis caret. Cathedram centenis Ducatis obtinet. Candidati, qui Doctoris titulum in jure civili consequuntur, ipsi duos coronatos, in utroque Iure tres pendunt; nisi gradus Iuris Canonici gratis conferatur.

Rectori Artistarum olim dabatur quidem par chirothecarum, quæ de pelle caprina serico pictæ, itemque annulus, qualis solebat dari Doctoribus pretio solidorum quinquaginta, pileolus etiam laneus quatuor libris æstimatus. Nec aliter Baccalaurei. Sed consuetudo ista obsolevit, solisque relicta fuit nobilibus, qui adhuc chirothecas tribui curant. Rector sibi socioque Doctoris gradum sine impensis habet. Civibus Patavinis adscribitur, & dignitate Equestri à Principe Veneto decoratur, aliasque prærogativas obtinet, quarum Statuta meminere.



Gymnasii Patauini Rector.

Pro-Rector & Syndicus.

Quibus ritibus Caputium Rectori conferebatur. *Cap. XXI.*

SOlemnitas hæc tanto peragebatur impendio, ut nemo jamdiu hanc dignitatem ambierit, quæ ea quoque de causa ferè desiit. Rector præsentibus Illustrissimis Vrbis Rectoribus ab Vniversitate electus Venetias concessit, ut decreto Principis confirmaretur, quod postea Bidellus Generalis Vrbis Rectoribus exhibuit, eoque in tabulas relato mox Rectori ex ærario Gymnasii centum Ducati Veneti numerabantur. Is verò Doctoribus, & studiosis comitatus ad Episcopum deinde Illustriss. Rectores quadrigis contendit, qui eum veluti Gymnasii caput perhumaniter excipiebant. Demumque reversus Doctores, & Comites solemni symposio excipiebat. Vicarium sibi elegit & Syndicum, quorum consilio uteretur, duodecim præterea studiosos, qui fasciis ornati baculos gererent inauratos & binos, qui lancibus argenteis Statuta, & sigillum præferrent.

Vrbis Rectoribus cum Episcopo invitatis à Rectore, & Assessoribus à prandio, Professoribus autem à Bidello Generali cum Sceptro duodecim istos equestri pompa præcedente, cui Gymnasii Doctores equos procurabant, die constituto in Templo Cathedrali subselliis instructo pariete auleis sericis undiquaque velatis.

Rector Vniversitatis, Consiliarii, & Doctores comitantibus studiosis hoc ordine in ædem se conferebant. Præeuntes quatuor tibicines vestibus Rectoris stemmate insigniti totidem sequebantur tympanistæ, totidemque pedisequi, ac bini Ephœbi honorarii. Quos excipiebant XII studiosi fasces aureatos manu tenentes, & tandem bini quorum alter lance argentea sigillum, & Statuta Vniversitatis, alter itidem coccineum ex holoserico Caputium gerebat. Hos viator

Vni-

Vniversitatis sequebatur toga indutus violacea, stolaque & caputio rubro sceptrum humero gestans. Post hos Rector toga si libet auro contexta vel rubra, eiusdemque coloris veste, crepidisque ex holoserico. Ei à sinistra erat Professor caputium impositurus. Sequebantur bini, Vicarius, & Syndicus, mox Vniversitatis Consiliarii Professores ad sinistrum latus ducebant. Templum quum essent ingressi Rectoribus Vrbis cum Episcopo, & Decurionibus parte dextra considentibus, & Rectore loco inter hos medio ad alterum paulo mẽsam, in qua caputium, Statuta, sigilla in lancibus erant reposita: cui à dextra Collegii Prior, à sinistra Vicarius, Syndicus, ac Professores è regione duodecim illi fascibus conspicui stabant. Conticescentibus jam omnibus, studiosus è suggestu de magistratus dignitate, ac Rectoris laudibus Panegyricum dixit luculentissimum. Hinc Professor eleganti oratione Rectori caputium auro & gemmis distinctum pellibusq. mustellinis suffultum indidit, deinde sigillum, & statuta præbuit. Episcopo, & Vrbis Rectoribus, ceterisque de honore brevi sermone Rector gratias egit: Chirothecis iuxta consuetudinem, & Statuta distributis, editisque publicæ lætitiæ signis Episcopus, & Rectores domum redeunt. Eodem ordine Rector ad suas ædes deducitur, ubi solemni epuli splendore comitatus omnis excipiebatur. Antistiti, Rectoribus Vrbis, ac Quæstoribus varii generis bellaria mittebantur. Decursiones equestres olim ludique instituebantur per Vrbem, nec quicquam ad tantæ festivitatis elegantiam omissum, quam temporum calamitas infestis, toti orbi armis intervertit.

Idem stolæ Prorectori tradendæ ritus, hoc solo discrimine, quod is quinquaginta Ducat. ex ærario pręnumeratis, toga nigra, veste rubra, pileolo ex holoserico nigro quadrato, stolaq. coccinea ex holoserico, crepidisq. de holoserico nigris, prodiret, nec Bidellus cum duodecim istis fasces gerentibus pompa equestri ea solemnia indicaret.

De Rectoris officio. Cap. XXII.

Rectoris officium est quieti & splendori Gymnasii incumbere: Procurare ut Professores suis temporibus legant: Disputationes publicas celebrent: scholares doceāt. Ejus quoque est lectionibus & disputationibus & examinibus studiosorum in Collegiis adesse. Statutis vigorem conservare, sedulo curare, ut ministri suas partes exerceant, sua omnibus honoraria decernere. Immunitates Professorum & studiosorum tueri, atque augere. Convocatis frequenter consiliariis cum iis deliberet quid suæ dignitati, tantique Gymnasii maiestati convenit. Episcopum, Prætorem, Præfectum noviter advenientes spectabili comitatu salutet, hisq. munere perfuncti in discessu Vniversitatem commendet. Duci Veneto in primis electo omnesq. vna Consiliarii gratulantur. Delinquentibus mulctam irroget, statutis diebus jus dicat. Concordiam & pacem inter dissidentes procuret, controversias planè componat. Neminem à literis alienum in studiosorum album admittat. Vniversitatis ære omnia privilegia in unum volumen redigat. Doctoribus electis jusjurandum exigat. Electionis suæ die Doctoribus, & studiosis bellaria exhibeat. De idoneo sibi successore maturè prospiciat, & libenter stet syndicatu.

Si recedere contigerit non reversurus, licentiā impetret, & Prorector ab Vniversitate eligatur, ita ut semper Gymnasio aliquis præsit. Vniversitatis I. C. nomine in D. Andreæ Æde, ut sacra de more fiant, procuret.

De Vicerectore, Syndico, & Consiliariis. Cap. XXIII.

Cvm Rector vel haberi nequit, vel iis qui electus est ultra mensem abesse cogitur, ab Vniversitate tum Me-

di-

dicorum, quam Iurisconsultorum Vicerector, vel Prorector eligitur talis, qui Rectoratu dignus sit. Frequens hic honor erat in Gymnasio. Sustinet partes Rectoris, & Iurisdictionis juramento eodem quo Rector adigitur, eminentia & commodis perfruitur, uno excepto nempe caputii dignitate, & habitu Rectoris purpureo exteriori. Incedebat veste oblonga cum manicis amplis instar Rectoris colore tamen nigro, & sub hac veste exteriori, vestimenta gerebat rubra. Solemni pompa in Ecclesia Cathedrali stolam suscipiebat, & comitatu numeroso ad suos lares deducebatur. Vltimus Vicerector Artistarum fuit Dominus Samuel Geisusius MDCXVII, qui grâvi ex equo lapsu obiit. Ab hoc tempore cum desiisset, hæc Gymnasii dignitas, Syndicus parvis ab hinc annis Vicerectoris titulo ad maiorem muneris auctoritatem honestatus fuit. Is enim solemnibus Vniversitatis muneribus, scilicet Disputationibus, & Doctorum promotionibus tunica induitur talari, & supra iniecta altera oblonga manicata ex serico nigri coloris, quæ Vniversitatis ære parata apud Bidellum asservatur. Cuivis Vniuersitati suus est Syndicus, qui velut caput ejusdem ea omnia peragit, quæ olim Rector, & Vicerector imperabant. Syndico adsunt Consiliarii, qui unoquoque anno statuto die Comitiorum mensis Augusti initio eliguntur coram Illustrissimis Vrbis Rectoribus ea serie, eoque numero, quem superius exposcimus. Absente verò Syndico aliquo, tam Iurisconsultorum, quàm Artistarum, utriusque nationis Germanicæ Consiliarii ejus vices gerunt.

De Statutis utriusque Vniversitatis. Cap. XXIV.

VNiversitas Gymnasii Patavini ab anno nostræ Salutis M.CCLX gaudet suis Constitutionibus, & Statutis. Eo

Eo quippe tempore in unum redacta, separatum à reliquis civibus jus habere cœpit, primumque Rectorem utriusque Vniversitatis Gosaldum quemdam Hispanum fuisse, qui Statuta nonnulla ad utilitatem & commodum scholarium sancivit. Post eum anno sequenti duo Rectores Henricus de Sancta Petronilla, Præpositus Frisensis, & Franciscus de Novara Canonicus Patavinus pleraque Statuta condiderunt, & in unum volumen redigerunt. Anno MCCLXXVII Ioannes Præpositus Germanus Vniversitatem plurimis privilegiis, de conducendis ædibus, de eligendis Doctoribus, aliisque similibus ampliavit. Eaque temporum progressu sic à Rectoribus aucta, ut nunc duo volumina Statutorum veterum & recentiorum typis vulgata prostent. Et præsertim Iurisconsultorum, quæ M CCCC LXIII reformata, & anno pariter M CCCC LXXXV Statuta in Lib. quatuor distincta. Quibus anno M D L I Paulus Michiel Vicentinus Rector Titulos præfixit, & multa addidit, eaque tandem anno M D.L X I I sub Petro Maccioleno Bergomensi, & Ioanne Zamoscio Polono edita, & à Senatu Veneto confirmata hoc titulo: *De Constitutionibus, & Immunitatibus almæ Vniversitatis Iuristarum Libri IV ex Illustrissimi Senatus Veneti auctoritate denuo correcta & emendata.*

Eadem forma Statuta Vniversitatis DD. Philosophorum & Medicorum cognomento Artistarum sæpius edita sunt, utraque digna, quæ curiosis oculis lustrentur.

De Sceptris Vniversitatum, & Collegiorum. *Cap. X X V.*

IN signum Iurisdictionis veluti Consulibus Romanis præerant fasces, ita nunc Vniversitatibus Iurisdictionem & immunitates habentibus sceptrum, seu baculus, vel ut Italicè Massa argentea habere convenit. Quod præcipuè Patavi-

ni

ni Gymnasii utraque Universitas obtinet. In omnibus solemnitatibus Academicis sceptro utuntur, quod à ministro, vulgo Bidello Generali tamquam Universitatis publicus minister ante Rectorem, & Consiliarios præfertur. Custoditur in scriniis Universitatis, quæ ex Statuto, olim in sacrario S. Antonii Patavii conservanda erant, in qua etiam volumen Statutorum autographum, & Notarii actus, instrumenta quoque privilegia, & pecuniæ reponi jubebantur. Sceptrum est argenteum valoris Ducatorum centum, quod ob aliquam causam, seu necessitatem pignorari, concedi, obligari non potest, oppignoratum hodie tamen aliquoties meminimus, attamen partim ære Universitatis, partim Syndicorum liberalitate subitò redemptum.

Collegium Theologorum habet suum sceptrum argenteum cum Icone D. Hieronymi. Collegia verò Iurisconsultorum, & Medicorum, ac Philosophorum sceptra Universitatum usurpant. Referunt sceptrum Artistarum olim fuisse Principum Carrariensium.

Formam horum sceptrum hic delineatam damus.





De

De Sigillis Universitatum, & Collegiorum. Cap. XXVI.

TAm Universitas Iuristarum, quàm Artistarum habet pro suo sigillo, quo instrumenta, privilegia, & literæ signantur Imaginem Domini Nostri Iesu Christi gloriosam ex sepulcro resurgentem, sicuti pingitur cum vexillo crucis rubeæ, quantitatis ferè Ducatus argenti figuræ rotundæ. Sigillum autem Artistarum figuræ similis ovi, ut differat à sigillo Iuristarum cum hisce verbis:

Sigillum Universitatis DD. Iuristarum Studii Pat.

Sigillum Universitatis DD. Philosophorum & Medicorum Studii Patavini.

Est sigillum Collegii Theologorum cum effigie S. Hieronymi eiusdem Collegii Patroni.

Est sigillum Collegii Veneti Iuristarum cum effigie Leonis D. Marci, in cujus ambitu legitur:

NAT. GER. IVR. FAC. CON. IOAN.
CONR. HEROLDT
NOB. FRANCO F. F. MDCXXXVII.






SIGILLVM THEOLOGORVM


SIGILLVM ALMAE VNIVER. D.D. PHIL. ET MED. PAT. GYMNAS


BIBLIOTH. PATAV.
SE NA TVS
Musis Euga neis


PAX TIBI MARCE EVANGELISTA MEVS


SIGILLVM VNIVERSITATIS IVRISTARVM PADVÆ

De Ærario utriusque Universitatis. Cap. XXVII.

VNiversitatis utriusque ærarium olim erat ex quibusdam redditibus ædium, quæ iam divenditæ, hodie ex promotionibus candidatorum, & speciatim Chirurgorum apud Medicos, item ex matriculis & honorariis, quæ liberalitate Principis unoquoque anno conferuntur. Quorum ope publicæ fiunt expensæ. Ex Statutis ærarium Vniversitatis Artistarum, seu capsa locanda erat in Sacrario S. Antonii de Padua, in qua volumen Statutorum, Sceptrum Vniversitatis, & Notarii actus cum pecuniis erant deponenda.

De regimine Gymnasii. Cap. XXVIII.

BEnignitate civium, dum Vrbs Patavina suis legibus fruebatur, Principum nedum illis subiecta, Rector ab Vniversitate electus totius Gymnasii curam cum Consiliariis gerebat. Professores publicos partim seligebat, partim electos confirmabat. Ministros, itemque alia jura publica suo tempore moderabatur. Doctorum autem stipendia, quæ præter ea ad loci conservationem spectabant, aliaque maioris ponderis penes quatuor civium arbitrium erant, etiam ab Episcopo dependebant; hinc à Principibus Carrariensibus; tandemque hodierna consuetudine Senatus Veneti vigilantia Gymnasii onus ad tres Senatores Venetos, qui Reformatores vocant translatum est, qui omnia decernunt ac dirigunt; hæc à Senatu confirmata postea ut exsequentur ad Illustrissimos Vrbis Patavinæ Rectores committunt. Quorum est etiam Senatus decreta exsequi, summaque vigilantia omnia ad tranquillitatem & splendorem Gymnasii decernere. Hi publicos Vniversitatis utriusque consessus

præsentia sua condecorant. Invitati primis lectionibus cujuscunque novi Professoris adsunt; necnon Disputationibus publicis candidatorum, civiumque Patavinorum. Ministros de rebus Gymnasii sæpe audiunt. Procurant ut immunitates Doctorum, & scholarium conserventur sua honoraria, quique recipiant Doctores & cætera omnia, quæ ad conservationem, incrementum, & decus Gymnasii pertinent, ut rectè fiant unanimes invigilant.

Quædam disciplinæ hic antiquitus tradebantur. *Cap. XXIX.*

ARtibus liberalibus juvenes antiquitus potissimum instruebantur, unde multa de magistris Grammaticam docentibus statuta nobis relicta, omne quippe studium parentum in eo versebatur, ut filii hoc doctrinarum genere exornarentur.

Qui ingenio pollebant, ad Legum studia se se convertebant, honesto desiderio, alios judicare, & clientes defendere pro rostris, & coram Iudicibus causas dicere.

Alii ad Mathematicas disciplinas & artes divinatrices ferebantur. Quas ætate Acciolini anno MCXCIV nati floruisse certum est. Legimus enim genethliacam figuram Acciolini extructam fuisse, ex qua filii potentia eius Genitrix auspicata est. Fuit etiam ipse diligens Astrologiæ observator, secum Astrologos habuit. Plurima etiam intelligimus ex Rolandino juxta syderum coniunctiones & positus se peragrasse & præsertim Lib. xii. Cap. ii.

Astrologiæ in Gymnasio patet ex rotulis, & ex veteri Statuto Artistarum Lib. ii. Cap. iv, ubi post Moralis Philosophiæ Cathedram suffragiis Lector Astrologiæ seligebatur. Et anno MCCCCXXXIV Candus de Cando hanc Lecturam legebat vnà cum Lectura Medicinæ practicæ extraordinariæ.

Quam

Quam quidem usque ad annum M D L X X X V permansisse puto, quo Xistus V Summus Pontifex diplomate Astrologiam judiciariam præter id quod ad agriculturam, ad Medicinam, & ad res maritimas, ad aeris mutationes, & ad corporis temperamentum & mores, alia omnia vetuit.

Geomantiæ studia, etiam Patavii, diuque ante Petri Aponensis ætatem in Lombardia viguisse mihi persuadet Rolandinus, qui Lib. x. Cap. x i ubi refert, Acciolino interroganti quid Patavini in carceribus Veronæ dicerent, cum Patavium versus exercitum duceret, respondisse custodem: *Unus per puncta quædam unius artis, quam dicunt nescio quam Geomantiam dicere videbatur, quod Padua non poterat his temporibus capi. Nescio quid allegans quod figura primæ domus exercitui attributa videbatur fortuna minor, figura vero septimæ, quæ stabat pro inimicis, erat fortuna maior* &c.

Quæ disciplinæ hodie tradantur, quo tempore, ordine, ac modo. Cap. X X X.

IN hac celeberrima totius Orbis Patavina Universitate omnes scientiæ ac disciplinæ, quæ in precio sunt traduntur: Doctoribus celebrioribus magnis stipendiis undique accitis. Nil amplius ad splendorem Gymnasiii accedere potest, quam indefessa Senatus Veneti cura ac diligentia in iis perquirendis. Quos è Gymnasiis non solum Italiæ, sed Germaniæ, Hispaniæ, & Galliæ sæpius conducere consueverunt: ita ut in hoc Lyceo primi in unoquoque genere Viri Cl. locum habuerint.

Duplici ordine distinguuntur Cathedræ. Aliæ Iurisconsultorum titulo, quæ vulgo Universitas Legistarum. Aliæ Artistarum ab Artistarum Universitate.

Iurisconsultorum Lectiones ordinariæ rursus duplices sunt, quædam matutinæ, quædam vespertinæ. Ita Ius Cano-

nonicum legitur mane primo, secundo & tertio loco, totidemque de sero cum suis concurrentibus. Additur his Cathedra Pandectarum, Codicis, & Institutionum. Extra ordinem verò, quas vocant extraordinarias, sunt Lectura Criminalium, Feudorum, Authenticarum, de Regulis Iuris, & Artis Notariæ.

Altera Vniversitas est eorum, qui divinis & humanis literis incumbunt. Ad divinas spectant Theologia scholastica ex decretis S. Thomæ, & Scoti, & Sacri Textus expositio.

Ad humanas Logica ex Aristotelis textu. Metaphysica ad normam S. Thomæ, & Scoti. Philosophia naturalis ad Aristotelis textum. Moralis ex instituto Peripateticorum. Medicina Theorica, & Practica. Item Pharmatia, Botanica, Anatomica, Chirurgia. Literæ humaniores Græcæ, & Latinæ Oratorum, & Poetarum explicatione. Mathematica textum Euclidis insumitur.

Dato signo campanæ ex turri edita Gymnasii hisce omnibus conveniunt horæ matutinæ quatuor, totidem pomeridianæ; quo hic sequuntur ordine, sic tamen ne ullus Doctor horam excedens alteri sit impedimento, quando Minister horam denunciat.

Diebus ordinariis Iuris Canonicis Lectionibus matutinis deputatur hora secunda Primus, Secundus, ac Tertius Doctorum locus, in qua olim etiam legebatur Primus, & Secundus Liber Decretalium.

Vespertinis pariter Primus, Secundus, & Tertius locus hora tertia Liber Tertius, IV, & V Decretalium nostro tempore non exponitur. Iuris Cæsarei Lectionibus matutinis hora prima Primus, Secundus. Vespertinis hora secunda Prima, Secunda, & Tertia Cathedra.

His accedit hora matutina secunda Lectura Pandectarum, & à meridie hora secunda Lectura Codicis. De mane postremam horam Institutionum Imperialium Professores tres occupant.

Die-

Diebus extraordinariis hora Prima matutina Lectura Criminalium ordinaria, & Feudorum. Item de Regulis Iuris h.... & Artis Notariæ h.... tractantur. Post meridiem Authentica traduntur; olim erat Lectura Text. & Bartoli matutina, & altera vespertina.

Artistæ porrò, quos Gymnasii recepta consuetudine appellare convenit, suis etiam horis distinctè docent. Diebus ordinariis Theologi D. Thomæ, sectator pariter Scoti, Magistrum Sententiarum hora tertia matutina enarrando & disputando exponunt. Metaphysici utriusque sectæ hora secunda textum Metaphysicę Aristotelis explicant. Lectiones in pulsatione campanæ mane orditur Simplicium Professor, qui Libros Dioscoridis explicare solet. Quem sequuntur mox Medici Theorici bini hora matutina explanantes in triennium, Primam Fen Avicennæ, Artem Parvam Galeni, & primam & secundam sectionem Aphorismorum Hippocratis. Eadem hora tres Logici Organum Aristotelis explicant.

Hora secunda Medici tres practicæ extraordinarię primo anno docent de febribus ad ordinem quarti Fen Avicennę. Secundo de morbis capitis & mediæ regionis corporis humani. Tertio de vitiis infimæ regionis. Eadem hora bini humaniorum literarum Professores nunc Historicum, nunc Oratorem, nunc Poetam explicant.

Hora tertia bini Chirurgi primo anno de Tumoribus agunt, altero de Vulneribus, & Vlceribus. Tertio de Luxationibus & Fracturis.

A meridie in pulsatione campanæ tres Theoricæ Medicinæ extraordinariæ Professores eandem materiam persequuntur, quam Theoricę Ordinariæ Doctores, sed ordine vario, ut auditores uno eodemque anno diversas corporis affectiones cognoscant.

Hora prima Practicæ Ordinariæ Medicinæ bini Doctores eandem materiam tractant, quam practicæ extraordinariæ,

sed

ſed ordine diverſo, ut nuper de Theoricis monui. Eadem hora tres Philoſophiæ extraordinariæ Doctores triennio Ariſtotelis Libros Phyſicæ auſcultationis, de Cœlo, de ortu & interitu, & de anima.

Hora ſecunda bini Philoſophi ordinarii eodem modo, quo extraordinarii Ariſtotelis Philoſophiam prælegunt, mutato ordine.

Hora tertia Mathematum Profeſſor, nunc ſphæricam doctrinam, nunc elementa Euclidis demonſtrat.

Hoc ipſo tempore bini Medici Practici de febribus & morbis particularibus agunt, quos triennio abſoluunt, ordine ab ordinariis Profeſſoribus diverſo.

A meridie prima hora Philoſophiæ Moralis Profeſſor Ariſtotelis Placita proponit.

Diebus extraordinariis. Prima hora Græcæ linguæ Profeſſor è veteribus aliquem exponere conſuevit. Eadem hora matutina Sacri Codicis Profeſſor ad libitum aliquem Librum enarrat.

Hora ſecunda Theoricæ extraordinariæ Profeſſor Medicus idem argumentum quod ordinariæ & extraordinariæ Medicinæ Doctores tractat.

Menſe autem Ianuario rigente bruma, humani corporis diſſectio horis matutinis quandoque urgente ſic neceſſitate etiam pomeridianis ad viginti ſex dies & interdum ultra extendi ſolet à primæ Sedis Anatomico, feriantibus reliquis quarumcumque diſciplinarum Doctoribus, quo ſingulis ingenuarum artium ſtudioſis nobilis ſtructura innoteſcat. Quam exactis Saturnalibus poſt reditum ad ordinarias Lectiones hora tertia matutina ſecundi loci Profeſſor iterat.


Menſe Maio hora ſecunda pomeridiana, qua Profeſſores à docendo ceſſant, in horto Medico ſtirpes obviæ omnibus in horam vigeſimam tertiam oſtenduntur.

Bono autem rei literariæ Moderatorum inſtituto iam diu in ſcholis publicis exolevit dictandi mos, qui tamen inter pri-

privatos parietes in gratiam tyronum adhuc obtinuit.

Vberiori ſtudioſorum commodo peculiariter Iuris Profeſsores nonnulli quolibet trimeſtri Lectionum ſuarum hypotypoſin paginæ titulo edunt. Varia enim & in immenſum diffuſa Legum materia Doctoris arbitrio videtur arctanda. Breviarium ſcilicet futuræ diſputationis proponitur, additis rationibus & auctoritatibus: qua diſcentium animi ad privatam meditationem præferuntur. Reliquis Profeſsoribus hoc labore ſuperſedere promtius erat, ſiquidem ipſorum diſsertationes, materiam & horam vulgatus index ſingulis annis diſtinctè oſtendit.

Medicorum diſcipulis præ cęteris id commodi accedit, quod in Xenodochio non minus Medicis, quàm Chirurgis ſuis horis præſto eſse poſsunt, ſi quid rari occurrit, ubi & à peculiari Profeſsore ſtatis temporibus omnis pulſuum atque urinæ ratio exponitur, & demonſtratur. Ne dicam frequentem decumbentium in Vrbe cum Doctoribus inſpectionem. Liberum etiam ad Conſilia verno præcipuè tempore aditum, qualia & privatim juvenioribus ad exercitationem à Profeſsoribus diebus feriis proponuntur.



THEATRVM ANATOMICVM *Lycei Patauini*.

De Anatomia, & Anatomicis, deque theatro extructo. Cap. XXXI.

HVmani corporis contemplatione nihil utilius ad medicinæ facultatem, dum in similarium partium ipsius corporis inspectione, quæ ex diligenti membrorum dissectatione exoritur, ea videre & manu tangere licet, quæ oculis omnino abscondita veluti è tenebris in theatris conspiciuntur. Quod quidem opus exercitati est Anatomici. Priscis seculis Herophilus, Erasistratus, & Galenus tum cadaver dissecabant, tum naturam, usumque partium discipulos docebant: subsequente ævo, quia pauci Medicorum Anatomicarum administrationum periti, divisa fuerunt officia, sic ut dissector alter, alter verò Lector, sive Doctor Anatomicus esset. Dissectores plerique Chirurgi fuerunt, utpotè quorum præcipuè intererat in vita defunctis discere, qua salutari manu in viventibus moliri debebant. Viget in amplissimo Medicorum Venetorum Collegio, atque in Galliis aliquot Academiis hic mos.

Patavii Medici primum hanc utilem opportunamque facultatem privatim in suis ædibus scholaribus præbuerunt, mox in scholis, vel in aliquo Collegio, vel publico loco publicè. Antiquitus Patavii aliquis Doctor inter extraordinarios legebat textum Anatomiæ Mundini, & alter ex Doctoribus ordinariis sive practicæ, sive theoricæ declarabat eundem textum, & monstrabat ea in ipso cadavere præparato.

Videtur autem hæc lectio cum Chirurgia coniuncta fuisse. Quam cum laudabili methodo explicaret Andreas Vesalius, anno M D X L ei à Gymnasii Moderatoribus iniunctum est onus Anatomiæ faciendæ, aucto pro tali labore honorario.

Hic summa cum scholarium frequentatione usque ad an-

num M D XLIV eam explicavit, quo tempore cum studendi causa ad orientis partes profectus fuisset, in eius locum suffectus est Matthæus Realdus Cremonensis, eo quia Vesalii vices aliquandiu substinuisset, plurimumque in hac arte polleret. Huic anno M D XLVII Ioannes Paulus Guiducius Vesalii discipulus, qui utramque & Chirurgiæ, & Anatomiæ Cathedram obtinuit.

Huic successit Gabriel Fallopius anno M D L I qui Chirurgiæ & Anatomiæ lecturam vnà cum Simplicium in horto ostensione habuit usque ad suæ vitæ extremum. Extabant olim in superiori Gymnasii parte ad Boream in scalarum fronte apud sceleton humanum depictum in pariete hæc verba:

GABRIEL FALLOPEIVS
A. PH. E.

Ex publicis Libris accepi anno M D LXII Francisco Lendenara pro Lectione Anatomiæ datum fuisse honorarium Ducatorum x x x v. Et anno M D L X I V, die xvii Ianuarii Prosper Borgarucius destinatus ad Anatomiæ administrationem.

Hoc ipso anno, ut ex actis Germanicæ Nationis, habui quod Nicolaus Bucella Medicus Patavinus exhibuit Nationi Germanicæ Anatomiam in propriis ædibus ad D. Mariam Servorum. Idemque anno M D L X X I I I humanum corpus publicè secuit. Anno verò M D L X X I V aliorum Medicorum invidiam declinans in Poloniam abiit ubi Serenissimi Stephani Regis Medicus summa cum laude mansit usque ad annum M D C X, quo senectute confectus obiit.

Anno M D L X V Hieronymus Fabricius ab Aquapendente domesticus & discipulus Fallopii electus est ad Chirurgiæ & Anatomiæ professionem honorario Florenorum centum.

Solebant Professores Anatomiæ hanc initio exercere vel in propriis ędibus, vel in aliquo Collegio, ut legimus de Col-

le-

legio S. Catharinæ ubi Anatomen per plures annos ostendit Cl. V.

Item in Schola superiori Gymnasii ubi quotannis construebatur Theatrum ligneum.

Tunc Vniversitas studiosorum solebat eligere locum pro ipsa Anatomia facienda, magno cum incommodo & expensis Vniversitatis. Procurantibus igitur id ad splendorem publici Gymnasii Iustiniano Iustiniano Prætore, & Nicolao Gussono Præfecto Vrbis anno M D X C I V constructum est Theatrum.

A dextra per gradus boreales in porticum Gymnasii superiorem ascendentibus, apparent amphitheatri Anatomici valvæ. Non insana substructionis mole, non versatili Scauri libramento, morumque civilium corruptela, sed publica bonæ valetudinis utilitate famosi. Supra valvas marmori candido incisa, decumanis literis sequentia leguntur:

THEATRVM ANATOMICVM
IVSTINIANO IVSTINIANO PRÆTORE,
NICOLAO GVSSONO PRÆFECTO,
IOANNE SVPERANTIO EQVITE,
MARINO GRIMANO EQ. ET D. M. PROC.
LEONARDO DONATO EQ.
ET D. M. PROC.
GYMNASII MODERATORIBVS
M D XCIIII.

HIERONYMO FABRICIO AB AQVAPENDENTE
xxx jam Annos Anatomiæ Professore.

Patentibus valvis, geminæ sese offerunt portæ, quarum quæ à latere dextro est, aream ostendit, è qua assurgentes ex oppo-

po-

positis locis ligneæ ſcalæ, in cuneos amphitheatri turbã ſpectatorum perducunt. Adverſa altera conclave aperit, in quo præſentibus variarum nationum ſtudioſis, quæ publicè demonſtranda ſunt, apertis cadaveribus exſcindi ac præparari conſueverunt. Hujus fores & parietes Anatomicorum inſignia exornant, grata Vniverſitate, tum ingenio docentium, tum laboribus naturæ arcana ſcrutantium, honorem hunc exhibente. Ex eo in ſpatium aliud porta ducit, in cujus ſecretiore angulo cadavera, eorumque partes diſſectæ aſſervantur. In eodem arræ ſunt & conditoria, veſtimentis, ſceletis, inſtrumentisque Anatomicorum cuſtodiendis apta. Ceterum amphitheatrum ipſum, in edita, quadratique lateris aula fundatur, cujus contignatio leviter convexa, vermiculato circa medium opere decore, patentibus ad Boream, Zephyrumque feneſtris perflutilis eſt. Structura tota lignea cõſpicitur, validis è robore trabibus machinam impoſitam ſuſtinentibus. Octo in illa pegmatum ordines, magnus ſpectatorum numerus ſtipet: quorum inferiores ovali forma prędití ſunt, ſuperiores reliqui exactiores in circulos rotundantur. Anterior facies, è nucea materia ſcalptis eleganter elaborata, pulchram ſextuplicis periſtylii ſeriem ſuſpicientium oculis obiicit. Circa medium verſatilis occupat menſa, cui cadaver, caput velatum, pannoque opertum lugubri imponitur. Aſſidet illi Anatomiæ Profeſſor, cum Conſiliariis duobus & miniſtris. In ambitu caveæ, ſtratis tapetiis Illuſtriſſimi Vrbis Patavinæ Prætor, & Præfectus, cum Gymnaſii Prorectore frequenter ſpectant, aliàs Profeſſoribus, Collegiique Patavini Doctoribus locus deſtinatus eſt. Anguſtias illius geminæ ex adverſo parte laxant: obſcuritatem verò quam altitudo fabricæ parit, faces maiores, minoresque è cera incenſæ candelæ, ſumptu publico ſubminiſtratæ, facilè vincunt. Dignum profectò Veneta maieſtate opus, quodque non minus in gloriæ ſuæ parte ponat, quam antiquitas Circos ſuos ac Palœſtras. Meditabatur olim hujus theatri

par-

partem superiorem imaginibus Anatomicorum exornare aliisque ad splendorem & decus hujus loci addere, quæ omnia adhuc speranda.

Anatomicus singula corporis humani membra detecta spectatoribus demonstrat & explicat, eo ordine & modo, quem nuper Sistemate Anatomico in gratiam Auditorum ad vivum diligentissimè bono publico vulgavit Clariss. Vir Ioannes Veslingius Eques S. Sepulcri hujus facultatis publicus Professor.

In primo caveæ loco sedent Rector Vniversitatis, vel Prorector, & Professores publici, ex opposito tabulæ sectionis ministri.

Post festum S. Antonii die XVII Ianuarii olim solebat institui Anatomia. Rectore Artistarum, & Consiliariis prius electis duobus studiosis idoneis, & qui aliàs Anatomiæ interfuerint, qui vulgo vocabantur Massarii Anatomiæ. Horum erat antequam theatrum conficeretur, de loco, de instrumentis, & de aliis necessaris providere, & precium spectatoribus imponere. Quo etiam tempore nemo admittebatur, nisi matriculatus, & qui medicinæ ad minimum per annum operam dedisset. Nunc maiori libertate & sine precio promiscuè omnis generis spectatores admittuntur.

Rectores Vrbis legibus obligantur cadaver alicuius supplicii affecti præbere, eoque deficiente ex valetudinario publico, interdum ex vicinis pagis & municipiis, quorum si copia desit interdum Venetiis petuntur. Hinc factum, ut eo die quo Anatomiam adoritur publicus Professor reliquis Doctoribus indicatur, ne quis tam iucunda & necessaria contemplatione fraudetur. Solemnis enim celebratur concursus & pomposa præparatio omnium. Coronantur Lauro Gymnasii limina cum stemmatibus Illustrissimorum Rectorum Civitatis, Rectoris Vniversitatis, & Anatomici, musica interdum Doctoris orationi præmissa. Horis matutinis hæc peraguntur, interdum urgente aeris intemperie pomeridia-

nis,

nis, quæ aliàs partium præparationi præsentibus Medicorum fili s dicatæ. Interdum etiam diebus festis si qua imminet par ium corruptela.

Finita universi corporis humani Anatomia, ossa summa celebritate comitante Clero, & Presbyterorum turba cum tota Vniversitate cereis accensis in capsa reposita panno coperta deferuntur in Ecclesia Heremitarum, vel D. Antonii, constructo magnifico feretro, ibique collocata de more Ecclesiæ justa persolvuntur. Oratio etiam funebris ab aliquo Humanarum literarum Professore fiebat. Hac solemnitate Ioannem Thuilium sæpè orantem audivi, postea ossa monumento reponuntur. Hodie privato funere ante Ecclesiam S. Martini peculiari sepulcro conduntur. Hæc curiosorum oculis prolixius subiicere libuit: Ad Professores nunc me cęptus ordo ducit. Inter quos Hieronymus ab Aquapendente summa cum sui nominis immortalitate hanc lecturam voce & scriptis vsque ad annum M DC XIX. xxiv Maii explicavit, quo fatis senex admodum concessit. Ei non renuenti Iulius Casserius Placentinus jam decrepito in ea professione substituitur anno M D C I X die xxv Augusti usque ad annum M D C X V. die iii Octobris, quo de novo aucto honorario conductus est, prioribus annis reverentia senis non in theatro, sed in curia Præfecti publicè secuit. Anno M D C X V I cum obiisset Placentinus die xxii Decembris eiusdem anni è Moravia, ubi Ordinum agebat Medicum accitus est Adrianus Spigelius Brussellensis Aquapendentis discipulus, cujus apud Senatum Venetum judicio par censebatur tanto oneri, summæ diligentiæ vir. Hic Eques D. Marci creatus auro torque decoratus, & honorario aucto ætatis suæ X L V I I laboribus confectus anno M D C X X I obiit.

M D C X I X. die x Martii Franciscus Plazzonus Patavinus cum fidelem in castris Foroiuliensibus Reip. Venetæ medendo operam navasset, Adriano Spigelio additus fuit,

no-

novo planè exemplo secundi ordinis collega, qui anno M D C X X I V febris maligna juvenis excessit, privato funere in æde D. Iustinæ conditus.

M D C X X V. VI Novembris Pompeius Caimus Vtinensis Primarius Theoricæ Medicinæ interpres instituto jam planè obsoleto in Theatro dissertationis partes Venetiis impetravit. Hieronymum Sabionum è Montesilice ortum dissectatorem nactus.

M D C X X X I I ex Cairo, seu Memphi Ægypti Eques Ioannes Veslingius Mindanus accitus est, qui ante suam profectionem ex Palæstina Venetiis in theatro Anatomico publicum dederat suæ diligentiæ specimen. Quam Spartam ille sic adornavit ut paucis post annis ad numerum prælectionum ac demonstrationum Anatomicarum totidem capitibus distinctum ederet Systema Anatomicum pari elegantia, ac brevitate perspicua digestum. Quod tam avidis Medicorum manibus abripiebatur, ut mox Francofurti concinniori quidem forma, sed minori diligentia recuderetur. Ea verò constantia, eoque labore in corporum dissectione versabatur, ut singularum partium præparationes se præsente delineandas præberet, quas ipse postea pingendi non mediocriter peritus, recognitas cælatori accurato & diligenti committebat: quod nunc magno discentium commodo spectantur in ipsius Anatomia acutiori paulo ante mortem edita, eo omnium applausu, ut opus illud in Batavia mox ficto Patavii titulo prodierit, ac nuper icones minori forma summi viri Ioannis Riolani Enchiridio Anatomico accesserint.



VIRIDARIVM GYMNASII PATAVINI MEDICVM.

Io Georg. sculps.



ERECTA FRONTIS IMAGO VIRIDARII PATAVINI.

Horti Medici descriptio. Cap. XXXII.

AD Gymnasii Patavini splendorem nihil magis accedebat, quam omnium stirpium, herbarumque medicinalium viridarium extruere: Danielis Barbari Patriarchæ Aquileiensis consilio factum refert Bellonius Lib. III Obseruationum Cap. L. & Libro de neglecto stirpium cultu Problemate xx. Anno M D XXXIII Serenissimi Senatus Veneti decreto amœnissimus ei locus inter splendida D. Antonii, & D. Iustinæ Templa selectus aquis undique irriguus, suadente id plurimum Clarissimo Medico Francisco Bonafidio Patavino, qui Moderatoribus Gymnasii Sebastiano Foscareno, & Nicolao Theupolo primus ibidem studiosis Medicinæ in re herbaria erudiendis præficitur. Anno M D XLII auctum est stipendium Bonafidio ut diligentior esset in adunandis stirpibus rarioribus, constituto honorario Ducatorum anno M D XLVII Aloysio Hortulano, vel Herbario, & domo in Horto, Hujus loci fabricam perfici summopere cupientes Gymnasii Moderatores eodem anno ob senectutem, vel adversam valetudinem Bonafidii elegerunt Petrum Noalem Patavinum Medicum & rei Botanicæ studiosissimum, ut preesset operi, eique preceperunt ut Andreę architecti Ædis S. Iustinæ consilio & ingenio uteretur. Anno M D LII eiusdem constructioni rogatus à Patribus D. Petrus Antonius Michiel præficitur, iterum Herbario auctum stipendium ad Ducatos centum. Rectores Patavini à Senatu admoniti, curarunt, ut quævis Vrbis sordes ad Hortum stercorandum transportarentur. Ab eo tempore Hortus suum incrementum persensit.

Loci elegantiam ostendit Iconologia. Ostii vero superliminare hac inscriptione in marmore enitet, qua Leges ingredientibus præscribuntur.

TRIVM-

TRIVMVIRI LITERARII.

I. Portam hanc decumanam ne pulsato ante diem Marci Euangelistæ ante horam vigesimam secundam.

II. Per decumanam ingressus extra decumanam ne declinato.

III. In viridario scapum, ne confringito, neve florem decerpito, ne semen, fructuumve sustollito, radicem ne effodito.

IV. Stirpium pusillum, succrescentemque ne attrectato, neve areolam conculcato, transilitone.

V. Viridarii iniuria non afficiuntor.

VI. Nihil invito præfecto attentato.

VII. Qui secus faxit, aere, carcere, exilio mulctator.

Ad levam portæ ingredientibus occurrit domus in adito satis commoda Præfecto Horti, cui hortulus adiacet rariorum stirpium è longinquis regionibus, quæ hyeme hypocausto conservantur, ulterius progredienti ad dexteram altera recens erecta fuit primo Hortulano. Ante ipsius viridarii limen saxo in terra sito hæc incisa sunt:

A. A. Q. M. D.

. . . .

NE HAS FORES PVLSATO
ANTE DIEM MARCI E.
NEC ANTE HORAM.

Hortus ipse figuræ circularis muro cingitur satis alto. Extra quem circumiacent prata & vineta, ubi extra parietes Horti versus rivum, qui interfluit cœnobium Sancti Antonii Aquæductus est hac inscriptione:

Heu Viator bene precare præstantissimis Senatoribus
IACOBO FOSCARENO DOCTORI, Prætorique Patavino,
& FRANCISCO DVODO Præfecto Patavino,
Qui Stirpes sitientes, adducta in viridarium aqua, largè refoverunt An. M D L X X V.

Hic

Hic verò aquæductus cum ob rivi decrementum votis sæpè non responderet: extra portam Horti decumanam alius constructus est, aquis è maiore Brentæ ramo in ædiculam huic fini paratam corrivatis. E' qua rotæ amplæ circumactu, per fistulas plumbeas, in quatuor Horti quadrantis copiosè refunduntur. Qui sartam tectamque machinam hanc tuetur, annuum viginti Ducatorum salarium obtinet.

Hortus areolis, pulvillis distinctus, qua hic lustratur, figura.

Graphicam eius descriptionem ad V. Cl. Petrum Servium Medicinæ professorem Romæ omni literarum genere cultissimum perelegante Epistola misit Vir Excell. Ioannes Veslingius Eques S. Sepulcri Horti Præfectus, Phœbi delicium, nostræque amicitiæ decus: quam Lectori non ingratam censui.

PETRO SERVIO V. Cl.
Ioannes Veslingius S. P. D.

TE verò felicem mi Servi, tam otii, quàm curarum! Et quanto tu dignior amœno illo Ianiculi secessu, quem scitè eleganterque describis, quàm aut seditiosa plebs, aut vano metu perculsa pectora. Sequor institutum tuum, & per vestigia tua repo, quamvis longo intervallo. Nam quod fugere te fortè non debet, à quo tempore Horto Medico Præfectus sum, locum inhabito Patavinæ Vrbis longè amœnissimum, remotum à forensi tumultu, à rhedarum, opificumque strepitu, inter duo augusta, D. Antonii Confessoris, & Diuæ Iustinæ martyris Templa comprehensum, prope Brentæ ripas,

Quod per amœnam Vrbem leni fluit agmine flumen.

Ex eo versus Boream, Septemq; triones, alpes prospicio, quæ patriæ fines, & lento bello funeratam Germaniam, non sine suavi morsu mihi repræsentant. In proximo verò curiam amplissimam, palatia, tum publicam illam Minervæ arcem, atque in ea thea-

trum

trum illud, quod Vesalii, Fallopii, Fabritii, Spigelii, hominum doctissimorum utilissimi labores, non cruenti gladiatorum ludi, satis nobilitarunt. Orientem versus in campos excurrunt oculi, frugum fertilitate, vinique saluberrimi copia nulli secundos, quos bellantibus undis iracundus Adria deinceps excipit, & illæ Neptuni dicam, an Apollinis manu fundatæ Venetiæ. Cum ad Occidentem Solem convertor, veniunt in conspectum Euganei colles, pulchra serie, lætissimoque virore mirè voluptatem oculorum accendentes, tum è tot medicatorum torrentium venis assurgens fumus. Aponus præsertim verè ἄπονός τε καὶ λυσίπονος de quo rectè, non ambitiosè Claudiani Musa cecinit.

Ille pater rerum, qui secula dividit astris,
    Inter prima poli, te quoque dona dedit.

Phalangium Indicum flore violaceo.
Phalaris.
Phaseolus Indicus flore miniato.
Phaseolus Turcicus fructu albo.
Phaseolus Turcicus fructus rubro, nigro, vario.
Phillyrea latifolia.
Phillyrea media.
Phillyrea angustifolia.
Phyllitis, seu lingua cervina.
Phyllitis laciniata.
Phyllitis ramosa.
Pilosella maior.
Pilosella minor.
Pilosella maior flammea.
Pimpinella maior.
Pimpinella minor.
Pimpinella agrimonioides.
Pimpinella spinosa Cretica.
Pinguicula alpestris flore albo.
Pinguicula flore cæruleo.
Pinus.
Pisum domesticum.
Pisum gryseum maculatum.
Pisum sylvestre.
Plantago latifolia glabra vulgaris.
Plantago media glabra vulgaris.
Plantago minor glabra.
Plantago alopecuroides.
Plantago aquatica maior.
Plantago aquatica minor.
Platanus.
Polemonium flore albo.
Polemonium flore purpureo Creticum.
Polium montanum.
Polium minus maritimum.
Polium arborescẽs Creticũ.
Polium odoratius Creticum
Polium gnaphaloides Creticum Alpini.
Polygala recentiorum flore purpureo.
Polygala recentiorum flore cæruleo.

Po-

Polygonum mas, sive centinodia maior.
Polygonum marinum Creticum.
Polypodium officinarum.
Polygonatum maius latifolium.
Polygonatum minus latifolium.
Polygonatum angustifolium
Polytrichum aureum Lobelii.
Polytrichum officinarum.
Pomum amoris maius.
Pomum amoris minus.
Populus alba.
Populus nigra.
Populus Libyca.
Portulaca.
Porrum.
Porrum sectile.
Potamogetum maius.
Potamogetum angustifoliũ.
Potentilla, seu argentina.
Primula veris flore pallido.
Primula veris umbellifera.
Primula veris prolifera.
Primula veris flore pallido pleno.
Prunella flore purpureo.
Prunella flore albo.
Prunella alba folio laciniato.
Prunus hortensis.
Prunus sylvestris.
Psyllium officinarum.
Psyllium perenne.
Ptarmica vulgaris.
Pulegium maius rotundo folio.
Pulmonaria Gallica maculosa.
Pulmonaria Gallica flore luteo.
Pulmonaria Gallica flore purpureo alpestris.
Pulsatilla flore purpureo.
Pulsatilla flore albo.
Pyracantha.
Pyri domestici species.
Pyrus cydoneatus.
Pyrola rotundifolia.
Pyrola minor Alpestris.

Q

Quamoclit Indicum.
Quercus.
Quinquefolium fragiferum Clusii.
Quinquefolium fragiferum repens flore luteo.

R

Radix rhodia.
Ranunculi pratenses varii.
Ranunculus bulbosus flore luteo pleno.
Ranunculus Illyricus.
Ranunculus flore glomerato Clusii.

Ra-

Ro-

Rosa flore pleno incarnato.
Rosa centifolia Batava.
Rosa moscata flore albo simplici.
Rosa moscata flore pleno.
Rosa Damascena flore simplici.
Rosa Damascena flo. pleno.
Rosa flore luteo multiplici.
Rosa sylvestris.
Rosmarinus coronarius.
Rubia tinctorum.
Rubia lævis Turinensium.
Rubia sylvestris aspera.
Rubia arborescens Cretica.
Rubia spicata Creti.
Rubus vulgaris.
Rubus sine spinis.
Rubus fructu albo.
Ruscus.
Ruta hortensis.
Ruta sylvestris.
Ruta muralis.
Ruta canina fœtida Lobelii.
Ruta hypericoides sylvestris Dodonei.

S

SAbina.
Sagitta aquatica.
Salix perticalis vulgaris.
Salix latifolia montana.
Salix angustifolia aquatica.
Salix pumila rotundifolia maior.
Salix pumila alpestris minor.
Salvia officinarum flore cæruleo.
Salvia flore albo.
Salvia baccifera Cretica.
Salvia agrestis Tabernæmontani maior.
Salvia agrestis minor.
Sambucus vulgatior.
Sambucus lacinianis foliis.
Sambucus fructu albo.
Sambucus aquatica, seu rosea.
Sanamunda Clusii prima.
Sanicula, sive diapensia Fuchsii.
Sanicula adulterina, seu astrantia nigra.
Sanicula alpestris flore guttato.
Saponaria flore simplici.
Saponaria flore duplici.
Satureia.
Saxifraga pimpinella maior.
Saxifraga pimpinella minor altera.
Saxifraga pimpinella minor Lobelii.
Saxifragia alba petræa Ponę
Saxifragia aurea.
Saxifragia Bavarica Ponæ.
Saxifragia hircina Veneta.
Saxifragia tertia Matthioli.
Saxifragia magna Matthioli.

Sca-

Scabioſa vulgaris foliis diſſe-ctis.
Scabioſa Indica flore atro purpureo.
Scabioſa alpeſtris maior flore pallido.
Scabioſa latifolia maior.
Scabioſa latifolia Auſtriaca Cluſii.
Scabioſa arboreſcens Cretica.
Scabioſa centauroides.
Scabioſa peregrina flore incarnato moſchato.
Scabioſa folio gramineo alpeſtris.
Scammonia Syriaca vera.
Scandix.
Scilla candida.
Scilla rubra, Pancraticum Cluſii.
Scolopendriũ, ſeu ceterach.
Scolymus Theophraſti flore albo.
Scoparia, ſive Oſyris Græcorum Dodonei.
Scordium officinarum.
Scorpioides leguminoſa Matthioli.
Scorpioides bupleuri folio.
Scorpioides bupleuri folio echinata.
Scorpioides bupleori folio Cretica.
Scorzonera latifolia alpeſtris.
Scorzonera anguſtifolia Cluſii flore luteo.
Scorzonera anguſtifolia flore purpuraſcente.
Scorzonera anguſtifolia Cretica.
Scrophularia radice nodoſa.
Scrophularia urticę folio flore rubro.
Scrophularia urticæ folio flore luteo.
Scutellaria flore purpureo.
Secale.
Securidaca vulgaris.
Securidaca peregrina Cluſii.
Securidaca flore purpureo.
Sedum vulgare maius.
Sedum arboreſcens Creticũ
Sedum alpeſtre flore guttato.
Sedum minus folio obtuſo.
Sedum minus folio acuto.
Sedum minimum, ſeu illecebra.
Sedum alpeſtre minimum IV. Cluſii.
Sedum minimum VI. Cluſii.
Sena Orientalis.
Senecio maior.
Senecio minor vulgaris.
Serpentina Matthioli.
Serpillum odoratum.

Serpillum inodorum.
Serratula.
Sesamoides maior Matthioli
Sesamum Creticum.
Sesban Ægyptium.
Seseli Æthiopicum frutex.
Seseli Æthiopicum herba Matthioli.
Seseli Masiliense Matthioli.
Seseli Peloponense Lobelii.
Seseli nodosum Creticum.
Sideritis Heraclea.
Sideritis montana I. Clusii.
Siler montanum.
Siliqua ceratonia Theophrasti.
Sinapi erucæfolium sativum.
Sinapi sylvestre.
Sisarum.
Sium pastinacæ folio.
Sium Cratævæ Lobelii.
Sium minimum alpestre, herba impatiens.
Smilax aspera spinosior.
Smilax aspera altera minus spinosa.
Smyrnium Matthioli.
Smyrnium perfoliatum Creticum.
Smyrnium non perfoliatum Creticum.
Solanum hortense.
Solanum somniferum, seu bella donna.
Solanum antiquorum Creticum.
Solanum bacciferũ vulgare.
Soldanella marina.
Sonchus lævis vulgaris.
Sonchus lævis latifolius flore cæruleo.
Sonchus lævis tenuius laciniatus cæruleus.
Sonchus lævis flore purpureo Creticus.
Sonchus Mauritanicus.
Sonchus asper vulgaris.
Sophera Ægyptia.
Sophia Chirurgorum.
Sorbus hortensis.
Sorbus torminalis.
Sparganium.
Spartium herba.
Spina infectoria.
Spina solstitialis.
Stachys Fuchsii.
Stachys odore sclareæ Cretica.
Staphisagria.
Staphylodendrum.
Stoebe Salamantica maior Clusii.
Stoebe minor.
Stoechas Arabica officinarũ.
Stoechas serrato folio Clusii
Stoechas citrina tenuifolia.
Stoechas citrina altera Lobelii.

Stoechas citrina altera Lobelii foleis aculeatis Cretica.
Stoechas citrina latifolia Cretica.
Strammonium flore simplici albo.
Strãmoniũ flore albo pleno.
Styrax.
Succisa folio glabro.
Succisa hirsuta.
Succisa flore incarnato.
Sylibum minus Saxonum.
Symphytum maius flore pallido.
Symphytum maius flore purpureo.
Symphytum, siue pulmonaria maculosa.
Symphytum nõ maculosum.
Syringa flore albo.
Syringa flore cęruleo Hispanica.

T

TAbacũ, sive Nicotiana.
Tamarindus.
Tamariscus.
Tanacetum vulgare.
Tanacetum crispum Anglicũ
Tanacetum inodorum.
Taraxacum, seu dens leonis.
Taxus.
Telephium maius, crassula.
Terebinthus.
Teucrium regium flore cæruleo.
Teucrium regium flore albo.
Teucrium Boeticum.
Teucrium pratense maius.
Teucrium pratense minus.
Talictrum maius.
Talictrum medium.
Talictrum minus.
Tapsia latifolia Hispanica.
Thapsia carotæ folio.
Thlaspi fruticosum Creticũ.
Thlaspi incanum alpestre.
Thlaspi myagrodes alpestre Ponæ.
Thlaspi umbellatum Creticum flore albo.
Thlaspi umbellatum flore purpureo Creticum.
Thlaspi semper virens Creticum.
Thlaspi arborescẽs Creticũ.
Thlaspi peltatum hieracifolium.
Thlaspi peltatum alterum.
Thora.
Thymbra annua.
Thymus capitatus Creticus.
Thymus vulgaris durior.
Typha maior, & minor.
Tilia.
Tithymalus amygdaloides.
Tithymalus characias.
Tithymalus helioscopus.

Ti-

Tithymalus latifolius.
Tithymalus parallius.
Tithymalus arborescẽs Creticus.
Tithymalus cyparissias.
Tordilium Creticum.
Tormentilla.
Trachelium maius Dodonei.
Trachelium minus.
Trachelium minus alterum alpestre.
Trachelium alpestre flore albo.
Trachelium maximum, seu medium Dioscoridis.
Trachelium valerianoides.
Trachelium petræũ Creticũ.
Tragacantha Cretica.
Tragopogum flore luteo.
Tragopogũ flore purpureo Creticum.
Tragopogum incanum è zacyntho.
Tragopogum minus fol. laciniatis Germanicum.
Tragoriganum Creticum.
Tragoriganum alterum Creticum.
Tribulus aquaticus.
Tribulus terrestris.
Trifolium pratẽse flore albo.
Trifolium pratense fl. rubro.
Trifolium luteum maius, & minus.
Trifolium bituminosum.
Trifolium Americanum spicatum.
Trifolium vesicarium Creticum.
Trifolium falcatum Creticũ.
Trifolium corniculatum Creticum.
Trifolium fibrinum.
Trifolium stellatum C. Bauhini.
Tripolium maius.
Tulipæ floris colore simplici.
Tulipæ floris colore vario.
Tulipa flore duplici.
Tulipa sylvestris.
Turrita Lobelii.
Tussilago alpestris I. Clusii.

V

VAccaria.
Valeriana maior.
Valeriana Græca flore albo.
Valeriana Græca flore cæruleo.
Valeriana alpestris prima Bauhini.
Valeriana sylvestris.
Valeriana peregrina rubra.
Valeriana campestris maior.
Valeriana campestris minor.
Valerianella echinata Columnæ.
Verbascum album flore albo
Verbascum albũ flore luteo.

Verbascum album folio intubaceo.
Verbascum nigrum flore albo.
Verbascum salviæ folio fruticans.
Verbascum cistifolium Creticum.
Verbena surrecta vulgaris.
Verbena nodiflora.
Veronica mas repens.
Veronica serpillifolio maior.
Veronica serpillifolio minor.
Veronica teucrii effigie fruticosa.
Veronica erecta herbariorũ.
Viburnum.
Vicia sativa.
Vicia sylvestris.
Vicia sylvestris lutea Cretica.
Vicia aquatica.
Viola matronalis flore albo.
Viola lunaria purpurea.
Viola obsoleto flore Cretica.
Viola assurgens flore cæruleo.
Viola tricolor.
Viola Martia.
Viola Martia flore albo.
Viola Martia flore flavo.
Viola Martia flore purpureo pleno.
Viola segetum, speculum Veneris.
Virga aurea vulgaris.
Virga aurea Indica, seu Virginiana.
Vitis vinifera.
Vitis vinifera fructu bicolori Cl. Salæ.
Vitis Indica trifolia.
Vitis sylvestris, seu Bryonia nigra.
Vlmus.
Vlmaria flore collecto.
Vlmaria flore sparso, seu barba capræ.
Vnifolium.
Vrtica iners lactea.
Vrticula pillulis sphæriceis Cretica.
Vua crispa.

X

Xyris, seu spatula fœtida.

Z

Zacinta Matthioli.
Zizyphus alba Columellæ, seu oliva Bohemica.
Zizyphus alba Monspelientium, seu pseudosycomorus.
Zizyphus rubra.

De

De exercitationibus Scholasticis publicis, & privatis. *Cap. XXXVI.*

AD erudiendos juvenes non solum privatis in ædibus Professores disputationibus usi fuerant, sed publicè post Lectiones ordinarias quolibet die hora vigesima tertia conveniebant Doctores Gymnasii in magna schola ad circulares quas vocant disputationes, ubi per horam disputabatur ab ipso Professore eruta è Lectionibus à se prælectis aliqua conclusio, contra quam à Bidello prius publicatam nemini contendere fas erat, nisi Rectori Gymnasio, & Doctoribus. Sin autem studiosorum aliquis de Lectionibus auditis Thesin aliquam substinere vellet eam præcedenti die in scholis publicari curabat. Benignè omnia & quietè summa cum juvenum utilitate sine jurgiis, & excitabantur ingenia hisce studiosis exercitationibus. Qui mos usque ad annum M D C V perduravit, quo tempore nescio quo modo, vel ob scholarium insolentiam, vel potius Professorum incommodum penitus fuit sublatus magna discentium jactura.

De aliis exercitiis Gymnasticis. *Cap. XXXVII.*

IVvenes & præsertim Germani præ cæteris studiosores, cum rarioribus disciplinis, linguam Italicam, Hispanicam, Gallicam, Grecam, & Hebraicam discunt, eleganterque scribere, delineare, ac pingere. Mathematicas præterea disciplinas, Geometriam, Arithmeticam, Astronomiam, Astrologiam, Gnomicam, Mechanicas, Architecturam ciuilem atq; in primis militarem. Musicam insuper tam voce, quàm diversis instrumentorum generibus excolunt. Variè se etiam

exer-

exercent, saltationibus, armis, vexillis, equitatione, artificioso præsectionis modulo: ut non solum se militiæ commodent, sed aulicis etiam deliciis, Principibusque Viris vario ingenii, corporisque cultu commendent. Vario molimini adhuc Magistri peritia celeberrimi, quorum pars maior Magistratus prudentia publicè suā quique artem docet, alii privatim ad cuiusq. arbitrium, omnium ædes accedunt, alios in suis domicilis instruunt. At verò magna horum meliorque pars pestilentia, quæ nuper Italiam miserè infestavit publico decremento, interiit. Nostra memoria in iis excelluerunt Mathematici Petrus Sardus Romanus, & Gaspar Pignanus Patavinus. Linguarum notitia clari Abraham Copenius Germanus Græcè Latinè doctus. Ioannes Bianchi Florentinus Etruscam linguam, Antonius Mazius Patavinus Italicam, & Gaspar Torellus docebant. Equites, Colles & Capivacceus Patavini, Eques Aquinas, aliique plures. In Gymnasticis Salvator de Fabris Regis Daniæ Eques, & Magister, Antonius Tortellus, Tagliaferrus, Gaspar Maganinus, hodie Franciscus Alfieri diversis etiam scriptis notus. In saltationibus Annibal Venetus, Orlandus Gagliardus, Zacharias, & Bartholomæus Zambari hodie celebris.

De antiqua consuetudine eligendi Professores. Cap. XXXVIII.

PRofessores Gymnasii olim studiosorum calculis quolibet anno eligebantur, vel electi confirmabantur. Neque quicquam ad Lycei decus magis conferre videbatur, quam si literis strenuè dediti, & non ex ingenii libidine de iis judicium ferrent. Rector igitur intra vigesimum ab assumpto caputio singulis annis convocata Vniversitate coram Vrbis Rectoribus, ad maiorem quietem, Professores omnes vel de novo eligebat, vel priores confirmabat. Facto à Cathe-

thedris Medicinæ superioribus initio. Videlicet à Theorica Medicinæ, postea ab ordinaria practicæ, tertio ab extraordinaria Theoricæ, quarto ab extraordinaria practicæ, ad Chirurgiam usque progressus. Tandem ad Lecturam Vniversitatis, sive tertii Avicennæ. Quæ omnes studiorum Medicinæ suffragia experiri poterant. Metaphysica verò, & Philosophia moralis, & Astrologia, Medicinæ & Philosophiæ studiosorum suffragiis subiiciebantur. Postea Philosophia naturalis ordinaria, & extraordinaria à solis Philosophiæ cultoribus decernebatur, ac demum Rhetorica totius Vniversitatis calculos expectabat.

Plures tamen Doctorum inter Professores publicos isti censuræ singulari privilegio eximebantur, inter quos diversis temporibus memorantur Gaetanus de Thienis, Sigismundus de Polcastris, & Mattheolus Perusinus, Magister Ioannes de Aquila, Mag. Hieronymus de Turre, Mag. Gabriel Zerbi, Mag. Petrus Trapulinus, Mag. Petrus de Mantua, Mag. Augustinus Suessanus, Mag. Benedictus de Triaca, & Mag. Nicoletus, viri ob singularem doctrinæ excellentiam, nominisque claritatem ingenio, menteque partam insignes.

De confirmatione rotuli. Cap. XXXIX.

DOctoribus ea ratione electis & confirmatis, rotulus, quem vocant, à Consiliariis Vniversitatis Præsidibus Vrbis consignabatur, quem postea Venetias ad Senatum mittebant confirmandum, ut suo tempore evulgaretur. Hodie à Generali Bidello ad Gymnasii Moderatores Venetias mittitur.

De facultate eligendi Professores, & quomodo ablata fuerit ab Vniuersitate studiosorum. Cap. XL.

FAcultas eligendi & reiiciendi unoquoque anno Gymnasii Professores Scholaribus partim consuetudine antiqua, partim favore Maiorum & Principum concessa, ob eorumdem ingenia versatila quum tumultibus plurimis & litibus esset obnoxia, visum est Sapientissimo Venetorum Senatui anno M CCCCXLV eam tollere. Sed implorantibus suppliciter studiosis, ita eius temporis conditio exigens paulo post conceditur hoc pacto, ut electio Doctorum facta Prætori, ac Præfecto aperiretur, electique interrogarentur, an obstringere se Venetæ Reip. vellent, iisque ita obligatis constituto in Senatu præmia persolverentur.

Anno M CCCC LXVII in civium Patavinorum gratiam Senatus Venetus decrevit, ut Interpretes constituerentur duo tertii loci in Iure Civili; duo in Iure Canonico, & duo in Medicinis, & Artibus cum annuo honorario Florenorum xx. Facta electione ab utroque Præside Prætore & Præfecto Vrbis, ab utroque Quæstore, à Rectore Vniversitatis, & ab uno Decurionum Civitatis.

Anno M D XXIII Senatus Venetus decrevit præcipuas Gymnasii Cathedras sibi retinere. Duas nempe Lecturas Iuris Pontificii tum Ciuilis, totidemque ordinarias Theoricæ & Practicæ Medicinæ, itemque ordinarias Philosophiæ, reliquas ad arbitrium tamen Senatus Studiosis relinqui; & paucæ quædam reservarentur Vniversitati Iuris Studiosorum, ac sex Vniversitati Artistarum. s. locus secundus extraordinariæ Medicinæ, locus primus, & secundus libri tertii Avicennæ, uterque itidem locus Sophisticæ facultatis, & explicatio Philosophiæ Moralis.

Publico verò tranquillitatis studio consuetudo ea sublata fuit

fuit anno M.D L X, quum varia in eligendis Professoribus inter studiosos orta essent dissidia, jusque omne Senatui Veneto cessit, relictis Urbi Patavinæ tertiis Cathedris, quæ minori contentione desiderabantur.

De Professorum præmiis, pecuniaque ipsorum salariis destinata. Cap. X L I.

QVamvis Pomponius affirmet Masurum Sabinum I.C. ab auditoribus sustentatum, ut credere pronum sit, Professoribus non semper honorarium antiquitus ex publico ærario fuisse designatum, tamen ex lege Caronde quam meminit Diodorus, antiquissimam fuisse consuetudinem, publicè mercedem dari literarum Magistris legimus, aucta post modum à Romanis Imperatoribus. Ita refert Paulus Antoninum rescripsisse Iuris studiosos, quo nomine docentes appellat, salarium exigere posse. Quibus etiam Flavius Vespesianus è Fisco centena annua Romæ Rhetoribus, & Grammaticis dedit. Idem præstitit Valens, & Gratianus & quod rarum est Gothorum Reges, qui Italiam præfuerunt paulo ante Iustinianum voluisse salarii tardius persoluti Professoribus etiam usuras haberi. Ita Athalarico Theodorici nepote regnante Cassiodorus Lib. ix Variarum Epist. xi ad Senatum scribit Iurium & liberalium artium Professoribus Romæ sexto quoque mense dimidium honorarii solvendum esse.

Professores nostri Gymnasii ante Carrarienses Duces, nescio quibus rationibus, sua stipendia conficiebantur, certum est Respublica Patavina iisdem salaria sua solvisse, & etiam Medicos conduxisse, ut de Petro Apono constat. Hæc verò è Fisco sumpsisse credibile est.

Carrarienses restaurato Gymnasio, & undique magnos Viros in unaquaque facultate è variis orbis partibus, accitos,

pro eorumdem stipendiis antiquum vectigal quod Buccaticum nuncupatum assignarunt, ut placet Riccobono. Quod quidem in fidem recepta Vrbe Patavina Senatus Venetus non initio Professorum honorarii applicuit, sed solum anno M CCCC XCV IV Aprilis. Solvebantur enim Doctorum stipendia ex publico ærario. At verò aucto Professorum numero addidit etiam vectigalia instrumentorum & testamentorum, & vectigal de peregrinorum schedulis persoluendis. Quorum omnium summa nostris temporibus conficit viginti milia penè Florenorum.

De Lectionibus abolitis, & denuò institutis. Cap. XLII.

ANno MDVI. XXIX Iunii Senatus decreto in Gymnasio Doctoribus in posterum omittenda fuerunt

In Iure

Decretum.	Prima Feudorum.
Clementinæ.	Secunda Artis Notoriatus.

In Artibus

Extraordinaria Theorica Medicina, quæ anno MDXX in Hieronymum Pedemontem renovata fuit.

Secundus locus Philosophiæ Moralis.

Secunda Cathedra Lib. III Avicennæ: sed an. MDXCIV XXVIII Octobris D. Hieronymo Fracanzano fuit reddita.

Astrologia reliquæ Mathesi coniuncta fuit.

Secunda etiam Chirurgiæ sublata, quæ postea Francisco Plazzoni anno MDCXIX. IV Martii reddita, quum in castris Foroiuliensis eximia militiæ operam præstitisset.

Lecturæ Anno MDLXXIX sublatæ

In Iure

Secundi loci Iuris Canonici. Sed anno MDLXXXVI VII Iunii secundus locus matutinus redditus est D. Terentio

tio Terentio. Vespertinus autem D. Michaeli Trevisano.

Lecturę duę Tertii loci Iuris Civilis. Anno MDCXXVIII xxx Ianuarii D Iosepho Angelo traditus.

Tertius locus Institutionum Imperialium cum satis esset Tertius locus earumdem Institutionum Patavinis Civibus concessus.

Lectura textus, Glossæ & Bartholi.

Lectura Feudorum ad secundam Cathedram Iuris civilis. Hæc anno M D LXXXVI. VIII Iunii tradita est D. Herculi Bursato Mantuano, quum nemo Interpres secundi loci ordinarii hoc onus Feuda interpretandi voluerit.

In Artibus

Tertii libri Avicennæ Lecturæ duæ, sed anno M D X C I. VI Maii in Hieronymum Nigrum renovata secunda lectura. Anno M D C I. xx Octobris abolitus, mox M DC.XXXIV. XXIV Iunii in D. Bernardinum Bianchinum renovatur.

Lectura secundi loci Philosophiæ extraordinariæ, quæ anno M D C VIII. XXIX Septemb. D. Mario Maxoleni concessa.

Explicationes duæ secundi loci Medicinæ extraordinariæ, sed anno M D X C VIII. VI Martii D. Alexandro Vigontia Theoricæ locus traditus est. Et anno M D X C I X. XV Ianuarii Practicæ alter locus D. Nicolao Trevisano.

Explicationes noviter institutæ

In Iure

M D L X X V I I I. XIII Iulii Lectura Pandectarum, & D. Angelo Mathæcio concessa.

M D L X X X V I. XVII Iulii De Regulis Iuris D. Marco Antonio Otthelio.

M D C I I. III Iulii. Codicis D. Tadeo Soacia.

M D C X X. XXIV Martii. Autenticæ Iacobo Pacio.

In Artibus

M D X C I V. XIX Aprilis Lectura Simplicium multis annis prætermissa D. Prospero Alpino reddita.

S 2 MDCI.

M D C I. xx Octobris. De Pul. & orinis D. Hieronymo Nigro.

M D C I I. III Novemb. De Meteoris coniuncta cum Philosophia extraordinaria D. Camillo Bellono, & anno M D C IX. xxv Augusti seiuncta, D. Gaspari Venturæ Leonici permissa.

M D C I I. III Decembr. Theoricæ extraordinariæ Medicinæ in diebus festivis D. Benedicto Silvatico.

M D C I I I. IV. Oct. Humanitatis Græcæ, & Latinæ in diebus festivis D. Vicentio Contareno.

M D C V I. III Novemb. Secundi loci Humanitatis Græcæ, & Latinæ in dieb. ordinariis D. Vicentio Contareno.

De Privilegiis Studiosorum, & Professorum. Cap. XLIII.

STudiosi & Doctores huius Gymnasii non solum auctoritate Apostolica gaudent omnibus privilegiis, & immunitatibus à Summis Pontificibus & Imperatoribus concessis, Parisiensi, Oxoniensi, Salamanticensi, ac Bononiensi Gymnasio, sed aliis pluribus à civibus Patavinis, mox à Principibus Carrariensibus, tandem à Serenissimo Senatu Veneto benignè collatis. Longum esset hæc omnia recenseri, quæ in Statutis obvia sunt, attamen ut curiosis Lectoribus satisfaciam nonnulla hic recensebo nostra recepta ætate.

Rectores Universitatis post Urbis Rectores, omnes, nempe Quæstores, Deputatos, Priores Collegii & Collaterales præcedunt: pariter Vice Rectores, & Syndici in Scholis.

Scholares & Professores cum suis familiaribus per ditiones, & oppida Serenissimi Dominii Veneti immunes sunt ab omnibus vectigalibus, & conducere possunt suos libros, supellectilem, vinum, & frumentum, farina, ligna, olea, & omnia ad usum necessaria sine vectigalibus. Item in Patavino ter-

territorio hæc omnia emere, & in civitatem introducere possunt. Pannum itidem sericum, tragemata, aliaque pro suis solemnitatibus liberè Venetiis afferre, exempti represalibus cuiuscunque loci, oppidi, ac civitatis.

Gaudent privilegio civium quo ad commoda. Non possunt accusari à civibus Patavinis prætextu alicuius privilegii spectantis ad eosdem contra scholares. Possunt ferre arma. Capi non possunt nisi licentia Rectoris: nec trahi ad vetita examina, præter quam coram Rectore, nec torturæ subiici sine Rectoris præsentia. Eorum multæ applicentur Universitati. Privilegia etiam multa circa ædes conducendas, circa suos libros, & pignora, circa fideiussionem obtinent.

Professores verò cum uxore & filiis sunt immunes ab omnibus personalibus & realibus oneribus: Non ad equos publicos conferre, non ad militiam, non ad hospites recipere coguntur, nec inviti personaliter in judicium trahi.

Privilegia, quæ bonarum artium literarumque Doctoribus, ac Professoribus tribuit vetus constitutio Constantina consistunt, vel in immunitate, vel in honorario, vel in aliqua fori præscriptione. Et Iuris professoribus honores etiam jure quodam magis singulari additi sunt. Nam Valentinianus Imperator statuit Iurisperitos, qui in Vrbe Constantinopolitana longo tempore docuissent vicaria illa dignitate ornari, quam deinde Zeno Imperator suis comitibus, qui provincias rexerant, summi honoris causa concessit. Item cum Professores annos docuissent, quiescebant, iisque dignitatibus fruebantur, quod & Quintilianus his verbis indicat. *Post impetratam studiis meis quietem, quæ per annos* x x *erudiendis iuvenibus impenderam*, & nostri Doctores, qui per annos x x docuerint Iurisprudentiam Comites fierent. Hodie supraordinarii titulo gaudent seniores decreto Senatus cum libertate legendi ad libitum.

Singularis memoriæ sunt Summi Pontificis Martini V. privilegia bina Calend. Februarii anno secundo sui Pontificatus,

catus, & alterum XII Aprilis eodem anno. Vnum hic referam pro Clericis & beneficiatis, quod possint percipere fructus beneficiorum suorum dum in Gymnasio morantur.

MARTINUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI. Dilectis filiis universis Doctoribus Magistris, & Scholaribus Universitatis Studii Paduani præsentibus, & futuris salutem, & Apostolicam benedictionem. Dum attentè considerationis indagine perscrutamur, quod per literarum studia cooperante illo, à quo omnium charismatum dona procedunt, viri efficiuntur scientiis eruditi, per quos æquum ab iniquo discernitur, erudiuntur rudes, provecti ad altiora conscendunt, Fides Catholica roboratur, non solum loca, ubi huiusmodi pollent Studia, munimus gratiis, sed etiam libertatibus honoramus. Vestris itaque in hac parte supplicationibus inclinati, omnibus, & singulis personis Ecclesiasticis secularibus, & regularibus præsentibus, & futuris in Studio civitatis Paduanæ in quacunque facultate licita Studentibus, seu Legentibus, auctoritate præsentium indulgemus, ut septennium literarum studio huiusmodi in civitate prædicta insistendo, fructus, redditus, & proventus omnium beneficiorum suorum Ecclesiasticorum cum cura, vel sine cura secularium, & regularium ordinum quorumcumque, etiam si dignitates personatus perpetuæ administrationes, & officia in Metropolitanis, Cathedralibus, vel Collegiatis Ecclesiis, & dignitates ipsæ in eisdem Metropolitanis, vel aliis Cathedralibus, post Pontificiales maiores, aut Collegiatis Ecclesiis, principales fuerint, & ad eas necnon personatus administrationes, vel officia huiusmodi, qui per electionem assumi consueverunt, quæ nunc in quibusvis Ecclesiis, sive locis obtinent, & in posterum obtinebunt, cum ea integritate usque ad septennium à dat. literarum eiusdem Studii sigillo impendenti munitarum, super hoc vestrum singulis concedendarum, duntaxat in antea computandum liberè percipere valeant, quotidianis distributionibus duntaxat exceptis, cum qua illos perciperent, si in eisdem Ecclesiis, sive locis in quibus beneficia ipsa fuerint, personaliter residerent,

rent,

rent, & ad residendum interim in eisdem minime teneantur, neque ad id inviti à quoque valeant coarctari. Non obstantibus si alias eisdem personis in eodem studio pro tempore studentibus, & huiusmodi fructus, redditus, & proventus in perpetuum, vel ad certum tempus percipere possent Apostolica, vel ordinaria auctoritate fuerit concessum, aut si personæ ipsæ in Ecclesiis, sive locis ipsis primum non fuerint personalem residentiam consuetam, & tam Apostolicis generalibus, vel specialibus per Sedem Apostolicam, vel Legatos eius, ac in Provincialibus, vel Synodalibus Conciliis editis, quam aliis Constitutionibus quibuscunque, ac Statutis, & consuetudinibus Ecclesiarum, seu locorum, in quibus huiusmodi beneficia fuerint, contrariis iuramento, confirmatione Apostolica, vel quacunque firmitate alia vallatis, etiam si de illis observandis, & non impetrandis literis Apostolicis contra ea, & ipsis literis non utendo etiam ab alio, vel aliis impetratis, seu alias quoquomodo concessis prædictæ personæ per se, vel procuratores earum præstiterint hactenus, vel in posterum ipsas præstare contigerit forsitan iuramentum, seu si locorum Ordinariis à præfata sit Sede concessum, vel in posterum concedi contingat, quod Canonicos, & personas Ecclesiarum suarum civitatum, & Diœcesi, etiam in dignitatibus personatibus, administrationibus, aut officiis constitutas per subtractionem proventuum suorum Ecclesiasticorum, aut alias compellere valeant ad residendum personaliter in eisdem, aut si eisdem Ordinariis, & dilectis filiis capitulis earundem Ecclesiarum, vel quibusvis aliis communiter, vel divisim ab eadem sit Sede indultum, vel in posterum indulgeri contingat, quod Canonicis & personis dictarum Ecclesiarum etiam in dignitatibus personatibus, seu officiis constitutis non residentibus in eisdem, vel qui primam in iis personalem residentiam non fecerint, fructus, redditus, & proventus Canonicatuum, & præbendarum ac dignitatum, personatuum, administrationum, vel officiorum suorum Ecclesiasticorum ministrare minimè teneantur, & ad id compelli non possint per literas Apostolicas, non facientes plenam, ac expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hu-

huiusmodi mentionem, & quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis, & literis Apostolicis generalibus, vel specialibus quorumcunque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris literis mentio specialis, proviso, quod beneficia huiusmodi debitis interim obsequiis non fraudentur, & animarum iura in eis, quibus illa imminet, nullatenus negligatur, sed per bonos, & sufficientes Vicarios, quibus de huiusmodi beneficiorum proventibus necessaria congruè ministrentur; diligenter exerceatur, & deserviatur inibi laudabiliter in divinis præsentibus, perpetuis futuris temporibus duraturis.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem attentare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se noviter incursurum. Datum Mantuæ XVIII *Kalend. Februarii Pontificatus nostri anno secundo.*

Studiosorum autem hæc est, quam vocant Matricula. Quę paucis ab hinc annis vulgari sermone Latinæ addita, in gratiam Ministrorum, qui vectigalia exigunt.

NOS ADAMVS HENNINGVS Fraust. Silesius Almæ Universit. DD. Theologorum, Medicorum, ac Philosophorum celeberrimi Patavini Gymnasii P. Rector, cum singularium Nationum Consiliariis, Universis, & singulis præsentem visuris, fidem facimus, & attestamur, infrascriptum studiosum esse Scholarem nostræ Universitatis scriptum in nostro libro Matriculæ, ideòque debere gaudere omnibus scholasticis Privilegiis, & immunitatibus concessis à Serenis. Duc. Dom. Veneto Universitati nostræ. Propterea auctoritate, qua fungimur, concessa à prædicto Serenis. Dom. Univerfit. prædictæ, & pro debita executione Statutorum præcipimus, & mandamus omnibus, & singulis Datiariis, vel Datiorum præsidentibus, & adstantibus, & ministris deputatis ad quæcunque

Da-

Datia, vel Gabellas locorum omnium, & terrarum, præsertim Inclitæ Civitatis Venetiarum, & quibuslibet fluminum Palateriis, Portitoribus, & Civitatum Portarum custodibus præscripti Serenifs. Dom. vt infrascriptum D. Scholarem accedentem Patavium, commorantem, & recedentem, nunciosque suos, res, atque bona generis cuiuscunque per loca prædicta portare, alias res, bona emere, eosque cum rebus emptis, & omnibus bonis suis ad victum, & vestitum honorificè necessariis pro usu suo, & familiæ, ire, transire, conducere, & exportare sine aliqua Datii, Gabellæ, Regalium, Portitorii, transitus, Pontium, represaliarum, & introitus solutione omnium prædictorum permittant, etiamsi vina transueherentur huc, aut emerentur alterius Territorii, quam Patavini, provt exequi iure tenentur iuxta formam Statutorum. Non audeat igitur aliquis Datiarius, vel minister ipsorum ullam inferre molestiam ipsi D. Scholari, nunciis, bonis, & rebus suis, nec quicquam opponere in iudicio, vel extra, contra prædicta privilegia, sub pœna librarum centum parvarum, & aliis pœnis in ipsis Statutis declaratis auferendis irremissibiliter, nostræ Vniversitatis ærario applicandis. Pro præmissorum autem executione iuxta eadem Statuta requirimus omnes, & singulos Illustrifs. DD. Rectores Vrbium, ac locorum omnium antedicti Serenifs. Dom. ut prædicta privilegia, & hæc præcepta nostra, provt iacet obseruent, & inviolabiliter obseruari præcipiant. In quorum fid. has nostras literas fieri iussimus per Cancellarium Vniversit. nostræ infrascriptum, & consueto sigillo Vniversit. eiusdem communiri.

Dat. Patavii ex Offic. Vniversit. Artist. Anno D.N. MDCXLVI. Indict. XIV. *Die* XV. *Mensis Decembris.*

NOI ADAMO HENNINGO di Fraustad Silesio, Prorettore dell'alma Vniversità de' Signori Teologi, Filosofi, Medici del famosissimo Studio di Padoa, con li Consiglieri di ciascuna Natione, à tutti, & à cadauno, che vedranno le presenti, facciamo fede, e attestiamo, che il sottoscritto Signore è Scolaro della nostra Vniversità scritto nel nostro libro della Matricola, e che però deue gode-

re tutti i Privilegi Scolastici, & immunità concedute dalla Serenissima Republica di Venetia alla Nostra Università. La onde per l'auttorità, ch'essercitiamo concessa dalla sudetta Serenissima Republica alla medesima Università, e per la dovuta essecutione delli Statuti commandiamo, e ordiniamo à tutti, e cadauno Datiari, ò Soprastanti de' Datii, ed Astanti, e ministri deputati à qualsivoglia Datio, ò Gabella di tutti i luoghi, e Terre principalmente della Inclita Città di Venetia, ed à qualsivoglia Pallatieri de' fiumi, Gabellieri, e Guardiani delle Porte delle Città della sopradetta Serenissima Republica, che permettano al sottoscritto Sig. Scolaro, e ai suoi messi nel venir à Padoa, nel dimorarvi, e nel partirne, di poter portare robbe d'ogni sorte per li sopradetti luoghi, e comprare ogni altra cosa, e con le comprate, e con tutte quelle, che honorevolmente sono necessarie al suo vitto, e vestito per uso suo, e famiglia di andare, passare, condurre, asportare, senza alcun pagamento di qual si sia Datio, Gabella, Regaglie, Traghetto, e Passaporto: ancorche quà si portassero vini d'altri Territorii, ò quindi altrove si trasportassero, si come di ragione sono tenuti esequire secondo la forma delli Statuti. Non ardisca dunque alcun Datiaro, ò ministro di essi, di dare qualsivoglia molestia al medesimo Sig. Scolaro, messi, e robbe sue, nè opporsegli in giudicio, ò fuori, contro i predetti Privilegii, sotto pena di lire cento de piccoli, & altre pene dichiarite nelli stessi Statuti da esser loro irremissibilmente tolte, & applicate all'Erario della nostra Università. Et per l'essecutione delle cose premesse, conforme ai medesimi Statuti, ricerchiamo tutti, e cadauno de gl'Illustris. Sig. Rettori delle Città, e di tutti i luoghi della sopradetta Serenissima Republica, che osservino, e che faccino inviolabilmente osservare i sopradetti Privilegi, e questi nostri ordini, come quì stanno registrati. In fede di che habbiamo commandato, che faccino queste nostre lettere sottoscritte dal Cancelliero della nostra Università, e siano sigillate col solito sigillo della medesima Università. Dat. ut supra.

Adamus Henningus P. Rector.

Carolus Franciscus Zazius P. Rector, & Syndicus.

Petrus Merius Almæ Universit. Art. Canc. mand.

De antiqua Scholaſticorum conſuetudine, & diſciplina in bonis literis, eorumque moribus. *Cap. XLIV.*

INter ſeniores Viri Cl. omne fide digni adhuc ſuperſunt
in hac celeberrima Vrbe, qui referunt, quantum hodierni
Scholares differant à ſtudioſis illis, qui ſua ætate florebant
juvenes. Accedebant Patavium Cl. Patrum & nobilium fi-
lii, immo Principum ac Ducum, vt bonas literas ac diſcipli-
nas capeſcerent, ſplendido quodam ornatu, honeſto famu-
lorum numero domus amplas conducebant, iisque morum
magiſtri tempus animi & corporis exercitatione perpetua
dividebant. Incedebant modeſto habitu, ingenuitatem mo-
rum ac ſuavitatem ſpirantes: arma non ferebant præter en-
ſem in nobilitatis ſignum. Tenuioris verò ſortis, & qui è
montibus vicinioribus ad Minervam, non ad Cererem pro-
penſi accedebant modeſti, humiles, induſtrioſi, culti ſub axil-
la codicem ferentes, una pacificè cohabitantes, perpetui
Doctorum aſſeclæ literarum helluones videbantur. Vigiles
omnes, horis antelucanis ad publicas Scholas lucernis con-
fluebant, & Doctorum ſcita calamo excipiebant. Suis
quoque temporibus ludos, feſtivitates & convivia, cætera-
que exhilarandis animis ſumma cum tranquillitate perage-
bant. At bone Deus, quam hodie mutata rerum facies! Ar-
morum omnium nunc plena: intemperanter multa fiunt, ea-
que ſæpe procacia, ut priſtinum Gymnaſii decus vix quiſ-
quam agnoſcat. Verum dum his extremam manum addi- *1651*
mus, eximia Aloyſii Molini Prætoris & prudentia, acceden-
te Sebaſtiano Michaele Præfecto ſupra omnium expecta-
tione deſiderata diu Muſis quies ſumma moderatione reſti-
tuta.

De annua Studiorum inchoatione, publicatione Lectionum, & vacationibus ex diurno Gymnasii. Cap. XLV.

VNoquoque anno die prima Novembris, videlicet in festivitate Omnium Sanctorum generale principium Studii Rector Iuristarum facit in Ecclesia Cathedrali, ubi paratis subselliis & convocatis omnibus Legum Professoribus & Scholaribus, invitatisque Illustrissimo & Reuerendissimo Episcopo, & Illustrissimis Rectoribus, spectabilibusque civibus Patavinis ad Vtilia Civitatis Deputatis, reliquisque Viris dignis sedentibus hic professoribus cum Rectore, Syndicis & Consiliariis è suggestu aliquis Doctor, vel Scholaris eruditione & ingenio clarus habet luculentam orationem, qua disciplinas commendat, & Scholares ad eas capescendas suadet.

Rotulus professorum deinde legitur per Notarium, vel per Bidellum Generalem ut faciunt Artistæ. Advocantur Vniversitatis ministri, publicanturque omnes Doctores, & quid, & qua hora lecturi sint. Olim hæc solemnitas fiebat mane cum Missa Spiritus Sancti cum commemoratione gloriosæ Virginis, & tunc iubebatur ut omnes remanerent in Ecclesia usque ad finem. Nunc oratio habetur post vesperas.

Dispensatur rotulus cum applausu Scholarium.

Sequenti die Novemb. post prandium eodem modo & ordine convenit in dicta Ecclesia Vnivers. Philosoph. & Medicorum cum publicis Professoribus ad id solẽniter peragẽdũ. In rotulis initium ponebantur hæc verba:

Rotulus Artistarum Anni MCCCCXXXIV.
Mensis Octob. die XVIII.

Ad laudem & gloriam omnipotentis Dei, & gloriosissimæ Virginis Mariæ eius Matris, totiusque Cælestis

stis Curiæ. Amen. Sub regimine Magnificorum Dominorum D. Marcii Dandulo Potestatis, & Domini Leonardi Caravelo Capitanei, existente Universitatis Artistarum, & Medicorum Studii Paduani, Rectore D. Magistro Iacobo de Cypro. Sunt Doctores Deputati ad legendum Artes, & Medicinam in præfato Studio pro Anno futuro, inchoando Anno Domini M CCCC XXXIV. Mens. Octob. die XVIII *& primo, &c.*

Hodie rotulus Iuristarum sic incipit:

IN CHRISTI NOMINE. AMEN.

Rotulus Excellentiss. DD. Doctorum Legentium in publico Gymnasio Patavino ad infrascriptas Lecturas, quas aggradientur die III *Mensis Novembris Anni instantis M DC XLVI. sub felicibus auspiciis Illustriss. DD. NN. pro Sereniss. Dominio Veneto Prætoris, et NN. Præfecti Patavii, ac Perillust. D. N. N. Sindici dignissimi.*

Rotulus verò Artistarum hic est.

IN NOMINE DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI.

Generale, & novum ptincipium interpretationum Nobilissimæ & Florentissimæ Academiæ DD. Artistarum celeberrimi Patavini Gymnasii anni præsentis M DC XLVI. & M DC XLVII. feliciter incipit die III *Novembris, sub felicibus auspiciis Illustriss. DD. NN. pro Sereniss. Repub. Veneta Prætoris, & NN. Præfecti Patavii, ac Perillustris D. NN. Pro-Rectoris dignissimi.*

Va-

Vacationes autem Gymnasii variæ sunt. Solebant primum in diebus Carnis priuii per xv dies fieri. Tempore Ascensionis per dies octo ante vigiliam dinumerandos, quod tempus potionum appellabatur. Sunt & aliæ vacationes provt in pagina, quæ quotannis typis datur, ac gratis à Bidellis Gymnasii cum rotulis dispensatur, ubi recensentur dies ordinariis, & extraordinariis lectionibus destinati. Quam hic in advenarum gratiam exhibemus.

IN CHRISTI NOMINE. AMEN.

Dies lectionibus publicis tam ordinariis, quàm extraordinariis in Celeberrimo Gymnasio Patavino, Professoribus Theologiæ, Philosophiæ, & Medicinæ præscripti, pro executione literarum Illustrissimorum, & Excellentiss. DD. Reformatorum, Anno Christi M DC LII. & M DC LIII. Auspicabuntur Die III. Novembris, sub felicibus præsidiis Illustrissimorum, & Excellentissimorum DD. Andreæ Pisani, pro Serenissima Republica Veneta Prætoris, & Sebastiani Iustiniani, Præfecti Patauii, necnō Illustriss. ac Generosiss. D. Georgii Hilmari Cratzmann Lunæburgo Saxonis, Almæ Vniversitatis DD. Theologorum, Philosophorum, & Medicorum Pro-Rectoris & Syndici dignissimi.

AD HONOREM, ET GLORIAM SS. TRINITATIS.

NOVEMBER.

1	*V. Omnium Sanctorum.*		
2	*S. Com. Defunct.*		
3	*D.*		
4	*L. S. Caroli.*		
5	*M. Incip. Leg.*	*ord.*	
6	*M.*	*ord.*	
7	*G. S. Prosdocimi*	*ext.*	
8	*V.*	*ord.*	
9	*S.*	*ord.*	
10	*D.*	*extr.*	
11	*L. S. Martini non leg.*		
12	*M.*	*extr.*	
13	*M.*	*ord.*	
14	*G.*	*ord.*	
15	*V.*	*ord.*	
16	*S.*	*ord.*	

17 *D. Propter felicem ingress. Serenifs. Dominii non leg.*
18 *L.* *ord.*
19 *M.* *ord.*
20 *M.* *ord.*
21 *G. Pras. B.M.V.* *extr.*
22 *V.* *ord.*
23 *S.* *ord.*
24 *D.* *extr.*
25 *L. S.Cathar. non leg.*
26 *M.* *extr.*
27 *M.* *ord.*
28 *G.* *ord.*
29 *V.* *ord.*
30 *S. S.Andreæ* *extr.*

DECEMBER.

1 *D.* *extr.*
2 *L.* *ord.*
3 *M.* *ord.*
4 *M. S.Barbaræ* *extr.*
5 *G.* *ord.*
6 *V. S.Nicolai* *extr.*
7 *S. S.Ambrosii* *extr.*
8 *D. Concept. B.M.V.* *extr.*
9 *L.* *ord.*
10 *M.* *ord.*
11 *M.* *ord.*
12 *G.* *ord.*
13 *V. S.Luciæ* *extr.*
14 *S.* *ord.*
15 *D.* *extr.*
16 *L.* *ord.*

17 *M.* *ord.*
18 *M.* *ord.*
19 *G.* *extr.*
20 *V.* *ord.*
21 *S. S.Th. Apost.* *extr.*
22 *D.* *extr.*
23 *L.* *ord.*
24 *M.*
25 *M. Natiuitas D.N.*
26 *G. S.Stephani.*
27 *V S.Ioannis Apost.*
28 *S. SS.Innocentium.*
29 *D.*
30 *L.* *ord.*
31 *M. S.Silvestri* *extr.*

IANVARIVS.

1 *M. Circumcisio D.*
2 *G.* *ord.*
3 *V. S.Danielis* *extr.*
4 *S.* *ord.*
5 *D.* *extr.*
6 *L. Epiph. Dom. non leg.*
7 *M.* *ord.*
8 *M.* *ord.*
9 *G.* *extr.*
10 *V.* *ord.*
11 *S.* *ord.*
12 *D.* *extr.*
13 *L.* *ord.*
14 *M.* *ord.*
15 *M.* *ord.*
16 *G.* *ord.*

17 *V.*

17 *V. S.Ant.Abb.* *extr.*
18 *S.* *ord.*
19 *D.* *extr.*
20 *L. SS.Fab. & Sebaſt.propter carnis privium non leg. uſque ad ſecundum diem Quad.*
21 *M. Exc.Molinettus.*
22 *M. Incipit Anatomen.*
23 *G.*
24 *V.*
25 *S. Converſio S.Pauli.*
26 *D.*
27 *L.*
28 *M.*
29 *M.*
30 *G.*
31 *V.*

FEBRVARIVS.

1 *S.*
2 *D. Purific.B.M.V.*
3 *L. S.Blaſii.*
4 *M.*
5 *M.*
6 *G.*
7 *V.*
8 *S.*
9 *D.*
10 *L.*
11 *M.*
12 *M.*
13 *G.*
14 *V.*
15 *S.*
16 *D.*
17 *L.*
18 *M.*
19 *M.*
20 *G.*
21 *V.*
22 *S.*
23 *D.*
24 *L. S.Matthia Apoſt.*
25 *M.*
26 *M. Die Cinerum.*
27 *G. Incipit Anatom. Excellentiſsimus Marchettus Eques.* *ord.*
28 *V.* *ord.*

MARTIVS.

1 *S.* *ord.*
2 *D.* *extr.*
3 *L.* *ord.*
4 *M.* *ord.*
5 *M.* *ord.*
6 *G.* *extr.*
7 *V. S.Thomæ Aquin.nõ leg.*
8 *S.* *extr.*
9 *D.* *extr.*
10 *L.* *ord.*
11 *M.* *ord.*
12 *M. S.Gregorii* *extr.*
13 *G.* *ord.*
14 *V.* *extr.*

15 *S.ord.*

15 *S.* *ord.*
16 *D.* *extr.*
17 *L.* *ord.*
18 *M.* *ord.*
19 *M.* *S. Ioseph.* *extr.*
20 *G.* *ord.*
21 *V.* *extr*
22 *S.* *ord.*
23 *D.* *extr.*
24 *L.* *ord.*
25 *M.* *Annunc. B.M.V.*
26 *M.* *ord.*
27 *G.* *ord.*
28 *V.* *extr.*
29 *S.* *ord.*
30 *D.* *extr.*
31 *L.* *ord.*

APRILIS.

1 *M.* *ord.*
2 *M.* *ord.*
3 *G.* *extr.*
4 *V.* *ord.*
5 *S.* *ord.*
6 *D.* *Propter festa Paschalia non leg. usque ad diem 16. instantis.*
7 *L.*
8 *M.*
9 *M.*
10 *G.*
11 *V.*
12 *S.*
13 *D.* *Resurrect. Dom.*
14 *L.* *Festum.*
15 *M.* *Festum.*
16 *M.* *ord.*
17 *G.* *ord.*
18 *V.* *ord.*
19 *S.* *ord.*
20 *D.* *extr.*
21 *L.* *ord.*
22 *M.* *ord.*
23 *M.* *ord.*
24 *G.* *extr.*
25 *V.* *ord.*
26 *S.* *ord.*
27 *D.* *extr.*
28 *L.* *ord.*
29 *M.* *ord.*
30 *M.* *ord.*

MAIVS.

1 *G.* *Philip. & Iacob.* *extr.*
2 *V.* *Horti apertio.* *ord.*
3 *S.* *Inuent. S. Crucis.* *extr.*
4 *D.* *extr.*
5 *L.* *ord.*
6 *M.* *ord.*
7 *M.* *ord.*
8 *G.* *extr.*
9 *V.* *ord.*
10 *S.* *ord.*
11 *D.* *extr.*
12 *L.* *ord.*
13 *M.* *ord.*

14 *M.*		*ord.*
15 *G.*		*extr.*
16 *V.*		*ord.*
17 *S.*		*ord.*
18 *D.*		*extr.*
19 *L.*		*ord.*
20 *M.*		*ord.*
21 *M.*		*ord.*
22 *G.*	*Ascensio Domini.*	
23 *V.*		*ord.*
24 *S.*		*ord.*
25 *D.*		*extr.*
26 *L.*		*ord.*
27 *M.*		*ord.*
28 *M.*		*ord.*
29 *G.*		*extr.*
30 *V.*		*ord.*
31 *S.*		*ord.*

IVNIVS.

1 *D.*	*Pentec. non leg.*	
2 *L.*	*non leg.*	
3 *M.*	*non leg.*	
4 *M.*		*ord.*
5 *G.*		*ord.*
6 *V.*		*ord.*
7 *S.*		*ord.*
8 *D.*		*extr.*
9 *L.*		*ord.*
10 *M.*		*ord.*
11 *M.*		*ord.*
12 *G.*	*Corpus Domini.*	
13 *V.*	*S. Antonii non leg.*	
14 *S.*		*ord.*
15 *D.*		*extr.*
16 *L.*		*ord.*
17 *M.*		*ord.*
18 *M.*		*ord.*
19 *G.*		*extr.*
20 *V.*		*ord.*
21 *S.*		*ord.*
22 *D.*		*extr.*
23 *L.*		*ord.*
24 *M.*	*S. Ioan. Bapt.*	*extr.*
25 *M.*		*ord.*
26 *G.*		*ord.*
27 *V.*		*ord.*
28 *S.*		*ord.*
29 *D.*	*S. Petri Ap.*	*extr.*
30 *L.*		*ord.*

Vacationes Magnæ.

Bernardus Moneghina Bidellus Generalis.

Nota per literas D. L. M. M. G. V. S. significari septem dies Hebdomadæ, qui vulgariter dicuntur Domenica, Lunedì, Martedì, Mercordì, Giouedì, Venerdì, Sabbato.

Ve-

Vetus Rotulus Artistarum An. M CCCC XXXIV. M CCCC XXXV. & M CCCC XXXVI. Cap. XLVI.

ROtulus Artistarum ann. M CCCC XXXIV. Mens. Octob. die XVIII. ex Lib. Vniuers. Artistar.

Ad laudem & gloriam omnipotentis Dei, & Gloriosissimæ Virg. Mariæ eius Matris, totiusq. cælestis Curiæ. Amen. Sub regimine Magnificorum Dominorum D. Marcij Dandulo Potestatis, & D. Leonardi Caravelo Capitanei, existente Vniuersit. Artistar. & Medicor. Studii Paduani, Rectore D. Magistro Iacobo de Cipro. Sunt Doctores Deputati ad legendum Artes, & Medicinam in prefato Studio pro anno futuro, inchoando an. Domini M CCCC XXXIV. Mens. Octob. die XVIII. & primo.

Ad Lectur. Medicinæ in diebus festivis D. Mag. Iacobus de Cipro Rector Universit. præfatæ.

Ad Lecturam ordinar. Theoricæ Medicinæ Excellentiss. Art. ac Medic. Doct. D. M. Antonius Cernesono. Famosissimus Art. & Medic. Doct. D. M. Steph. de Doctoribus substitutus predicti.

Ad Lect. extraord. eiusd. Theoricæ Med. famosus Art. & Med. Doc. D. M. Sigismundus de Polcastris. Famosus Art. & Medic. Doct. D. M. Simon de Lēdenaria.

Ad Lect. ord. Practicæ præclariss. Art. & Medic. Doctor Dom. M. Barth. de Montagnana. Clar. Art. & Med. Doct. D. M. Christoforus de Pergamo.

Ad Lect. extraord. eiusdem Practicæ famosus Art. & Med. Doct. D. M. Io. Benedictus de Padua. Famosus &c. Candus de Cando.

Ad Lecturam diebus festivis Med. famosus &c. Michael Savonarola.

Ad Lect. Chirurgiæ eximius Art. Doct. Mag. Laurentius de Senis, aliter nominatus de Cassulis.

Ad Lect. Philosophiæ naturalis

lis ordinar. famosus &c. Art. & Med. Doct. D. M. Gaietanus de Thienis. Reu. Sac. Theol. Doct. D. Fr. Iulianus de Sicilia.

Ad extraordinariam eiusdem Acutiss. Art. & Med. Doct. D. Io. Ludovicus de Montesilice. Eximius Art. Doct. D. M. Fasius de Monteferrato.

Ad Lect. Phil. Moralis Eximius Art. Doct. D. M. Venancius de Camareno.

Ad Lecturam Astrologiæ præfatus D. M. Candus de Cando.

Loycæ Reu. Baccalarius Fr. Nicolaus de Tarvisio.

Rhetoricæ Eloquentiss. Vir D. M. Antonius Ficeno de Pergamo explicit.

ROTVLVS AN. MCCCCXXXV.

Ad laudem &c. eius Matris &c. B. Marci Evangelistæ, totius Curiæ &c. isti sunt Doctores deputati ad legendum sub regimine Mag. D. Ludovici Sterlato Potestatis, & D. Natalis Donato Capitanei Paduæ, sub Rectoratu D. M. Ioan. de Mansono, & primo

Ad Lectur. D. Rectoris diebus festivis.

D. Io. de Mansono de Neapoli Rector & Art. D.

Theoricę &c. D. M. Antonius Cernesono Artium & Medicinæ monarcha. D. Stephanus de Doctorib. &c. pro substituto D. Ant.

Extraord. Theo. D. Sigismundus de Polcastris Art. & Med. Doct. D. Christofanus de Bonacsis Art. & Med. Doct.

Ordinar. Practicæ D. Barth. de Montagnana Art. & Medic. Doct. D. Christofanus de Pergamo Art. & Med. Doct.

Extraord. Practicæ D. Io. Benedictus Art. & Med. Doct. de Padua. D. Barth. de S. Sophia Art. Doc. & in Med. licentiatus.

Chirurgiæ D. Io. Michael de Beruta palca Art. & Med. Doct.

Astrologiæ dieb. festivis D. Io. de Campo S. Petri Ord. Prædicat.

Philosophiæ naturalis ordin. D. Gaietanus de Thienis Art. & Med. Doct. D. Fr. Andreas de Nola in S. Theol. Mag.

Extraord. Philosophiæ naturalis Dom. Ioan. Ludouicus de Mon-

Montesilice Artium Doctor.

Philos. Moralis dieb. festivis D. Venancius de Camareno Art. Doct.

Loycæ D. Dominicus de Dominicis de Ven. licentiatus in Artib. D. Fr. Nicol. de Tarvisio in S. Theo. Baccalarius.

Rhet. D. M. Antonius Picinus de Pergamo Rhet. ord. professor.

Theor. Med. extraord. D. Barthol. de Noali Art. & Med. Doct.

Mutati loco quidam fuere Lectores die XVIII. Augusti. Vide notata ex actis ad eum diem An. MCCCCXXXV.

ANNI MCCCCXXXVI.

Ad Lecturam Dom. Rectoris Dominus Magister.

Theor. Med. ordinar. de mane D. M. Antonius Cernesono Art. & Med. monarcha. D. M. Sebastianus de Doctorib. Ar. & Med. Doct. pro substituto prædicti D. M. Antonii.

Theoricæ Med. extraord. Sigismundus de Polcastris Art. & Med. Doct.

Barthol. de Nohali Artium, & Med. Doct. qui habuit ballotas omnes.

Gaietanus de Thienis, qui noluit esse ballotatus Art. & Med. Doct.

Io. Benedictus de Padua Art. & Med. Doct. qui noluit esse ballottatus.

Io. Ludovicus de Montesilice Art. Doct. qui noluit esse ballottatus.

Practicæ Medic. ordinariam Christophorus de Pergamo Art. & Med. Doct. Barth. de Montagnana Art. & Med. Doct.

Pract. Med. extraord. Io. Benedictus de Pad. Art. & Med. D. Barth. de S. Sophia Ar. et Med. D.

Tertii Avicennæ Michael de Savonarola Artium & Med. D. habuit ballotas omnes.

Chirurgiæ Io. Michael de Berutapalea Art. & Med. Doct.

Io. Antonius de Padua Art. & Med. D. comprobatus ab omnibus.

M. de Tarvisio Art. & Med. est salariatus.

Laurẽtius de Senis de Casulis Art. D. approbatus ab omnibus.

Antonius de Recanato Doct. Med. est salariatus, vult recedere.

Philos. naturalis ordinariam

Gaietanus de Thienis Art. & Med.Doct.

Fr. Iulianus de Sicilia Ord. Heremitarum S.Theol.Magister approbatus ab omnibus.

Io.à Furnacibus de Ven. Ar. et M.D.approbatus ab omnibus.

Fr. Ludovicus de Montesilice Art. D. approbatus ab omnibus.

Phil.naturalis extraord. Io. Ludovicus de Montesilice.

Fr.Nicolaus de Tarvisio Ord. Heremitarum, & Sac.Theol. Magister ab omnib. approbatus.

Fr.Io. de Campo S. Petri Ord. Præd.Mag. Sac.Theol. approbatus ab omnibus.

Zacharias de Montesilice Ar. D.noluit esse ballotatus.

Phil. Mor. in diebus festivis Venantius de Camareno Art.D.

Aegidius de Carpo Art.Doct. & salariatus Bononiæ.

Vincentius de Monforte Sch. utriusque facultatis approbatus ab omnibus.

Vicus Vrbanus de Servano Art. D. approbatus ab omnibus.

Astrologiæ Fr. Io. de Campo S.Petri Ord.Prædic. F. Antonius de Padua Artium & Med.Doct. approbatus ab omnibus.

Antonius de S.Germano A.D.

Loycæ Dominicus de Dominicis de Ven.Art.Doct.

Zacharias de Montesilice Art.Doct. noluit esse ballotatus. habuit pro se x.contra III.

Ieremias de Austria Art.D.

Vicus Vrbanus de Servano Art.Doct.comprobatus ab omnib.

Io. de Sicilia Schol. Art. contra III.

Rethoricæ Antonius Pecenus de Pergamo Rhet.professor.

Aegidius de Carpis Art. D. est salariatus Bononiæ.

Matthæus de Rido ab omnibus approbatus.

Interfuerunt.

Vicerect.Massius des Angelo.

Iac.de Breda Sapiẽs & Synd.

Pau.de Tarvisio A.D.

Vincẽtius de Monforte Schol.

Nicolaus de Sicilia Schol.

Raynerius de Sicilia Shol.

Iac.à Fero Schol.

Gaspar de Ferracia Schol.

Sugereus de Alemania Schol.

Die XXVIII.Iulii.

Convocatio Consiliariorum. Statutum,ut ex supradictis,qui sunt in Rotulo descripti deleantur, qui noluerunt esse ballotati. Item, qui sunt salariati in aliis locis, & quod non debeant præsentari DD.Rectorib.Civitatis.

Quæ

Quæ disciplinarum insignia, & quomodo literarum Studiosis hodie conferantur. Cap. XLVII.

PRæmium virtutis est honor. Itaque in universis Gymnasiis post suorum laborum curricula Studiosis juvenibus decreta est Laureola publica. Frequentior hic usus in Italia. In Patavino Gymnasio quinque Laureolæ conferuntur. Prima Iuris Canonici & Civilis. Vel aliter utrius. Philosophiæ & Medicinæ; vel utriusque simul. Et Theologiæ. Idque à quatuor Collegiis Doctorum, Iurisconsultorum, Philosophorum, Medicorum, & Theologorum. Quilibet Studiosus volens insignia Doctoratus in sua facultate consequi, Rectori suæ Vniversitatis præsentatur à Doctoribus suis dignus tali honore existimatus, qui de ipsius sufficientia jurare debent. Deinde sistitur Episcopo Patavino & Priori Collegii à suis promotoribus sorte acceptis, Fidei Bullam publicè legit, & professione facta dies examini dicatur, exhibitis pecuniis, nisi paupertate id gratis à Doctoribus obtineat. Statuta die conveniunt hora pro extractione punctorum, sive Thematum coram Priore Collegii & Promotoribus Laureandi, & Bidellis. Ea verò quatuor sunt, è quibus bina sibi exponenda Candidatus elegit. Sequentis diei eadem hora convocato toto Collegio eadem recitat, Doctoresq. juniores ad ingenii experimentum adversus ea disputant, mox secedentibus Promotoribus cum Laureando, judicium singulorum calculis exploratur. Quibus à Priore, Syndico, & Consiliariis ad numerum revocatis sententia publicatur, quæ apud Iurisconsultos à Cancellario, apud Philosophos & Medicos à Bidello ad portam Collegii pronunciatur, ac deinde ad Candidatum refertur, qui confestim cum Promotoribus Collegium intrat. In subsellia Doctorum deductus à Promotore suo eleganti oratione Insignia

Do-

Doctoratus recipit, nempe Annulum, Librum apertum & clausum, Pileum, Consessum, & osculum.

Aperiuntur Laureato primum Libri, ut ostendatur promoto apertam esse Iuris interpretandi facultatem. Secundo Pileus eius capite imponitur, quod Birettum vocant, id nil aliud est, quam sacerdotale capitis tegumentum, quod olim ipsis tradebatur, ut illud tamquam iustitiæ Sacerdotes gererent. Est Pileus libertatis signum. Birettum, quasi bis rectum, quia bis rectum debet esse Philosophum, & Doctorem scilicet in docendo & operando. Tertio imponitur Annulus digito tamquam justitiæ sponso, vel ut Alciato placet, ut responsa signare possit. Quarto Promotor Laureatum osculo excipit, ob partam dignitatem gratulans. Alii putant osculum dari, tamquam pacis symbolum, quam præ oculis Doctores habere debent, addita benedictione. Postremo in Cathedra apud Promotorem primum consessum obtinet, mox prope Priorem locatur à Bidello, ut inter Principes sedere possit, & jus loci, seu Collegii obtineat. Dabatur etiam antiquitus zona hisce verbis. Accipe zonam auream, & lumbos tuos cingulo Fidei præcinge, ut corpus tuum sit ornatum exterius, & apud Deum, & homines te ostendat perfectius. Qui etiam ritus adhuc Basileæ observatur.

Ritus conferendi Lauream ab antiquo usque ad nostra tempora. Cap. XLVIII.

VEteribus mos erat milites post exhaustos labores stipendiis sanguine & sudore partis ornare, ut ad decora militiæ magis incenderentur animi; atque ut honoratior eorum virtus foret mercede proposita, obsidionalem, civicam, muralem, navalem, castrensem, & auream coronam, amplissimaque alia honoris genera iis conferre visum est, qui urbes,

bes,castra,aut exercitus obsidione liberassent,aut civem servassent,vel primi obsessæ Urbis muros subiissent. Non minus conspicui homines, qui militum instar continuo labore optimis disciplinis edocti poësi & eloquentia inclaruerant, & certamina suscipientes, suis carminibus civium res gestas ab oblivione vindicarant, coronas antiquitus obtinuere virtutis præmia. Insignes nempe illi Poetæ,qui virorum fortium facinora canebant, sibi non minus, quam illis qui magna patrarunt, coronam deberi existimarunt veteres.

Hanc ipsam Nero magni oratoris titulo accepit, teste Suetonio Cap. XII. *Orationis quidem, carminisque Latini coronam,de qua honestissimus quisque contenderat, ipsorum consensu concessam sibi recepit.* Singulare est Theodoctum Pharsalicum Poëtam Tragicum, & Oratorem in sacris literarum certaminibus octo coronas reportasse, Æschylum XIII, Hesiodum à Musis donatum viridi Lauro.

Illæ verò è Lauro texebantur, divinitatis & diuturnitatis symbolo,quod Apollini vatum summo sacrũ. Hanc sibi jure suo arrogat Poëta Venusinus carminum Lib. III. Ode XXX.

------- sume superbiam
Quæsitam meritis, & mihi Delphica
Lauro cinge volens Melpomene comam.

Nec Musæ tantum, verum & artes liberales coronabantur. Coronam quippe Arithmeticæ Martianus Capella Lib. VII tribuit. Hinc factum credo,quod Poëtę omni tempore præ ceteris ingenii præmium Laurum ferrent. Quam consuetudinem renascentibus Italiæ ingenuis literis in aulis Principum receptam etiamnum in Germania passim Augustissimi Imperatoris clementia perdurare novimus, ut nulli genti uberior Poetarum seges, qui se Laureatos profitentur. At reliquarum disciplinarum cultores, quarum crebrior in vita usus, maiori cura & minori frequentia eiusmodi laborum,ac scientiæ testimonia impetravere, tumque demum quam diu studii operam navassent editis varium in modum experi-

mentis, quibus Doctorum numerus cresceret. Id summi Pontificis jussu & decreto, à senioribus Doctoribus initio fiebat. Deinde à publicis Gymnasiorum Professoribus insigni pompa, magnisque Pontificum, Imperatorum, Regum, & Rempublicarum, Principumque privilegiis, quo juvenilis ingenii ardor ad maxima quæque contendens improbo labore omnem operam, laboremque virtuti, literisque impenderet, quibus solis ingenui, liberalesque homines à vulgo secernuntur.

Quamvis autem Doctoratus insignia darentur à Sapientum Vniversitatibus secretis Professorum suffragiis eo cum rigore, ut sæpius in dubium revocaverint Viros celebres. Pontificis tamen auctoritate F. Franciscum de Bianuzzo de Nerlis Eremitanum, Doctorem Sacræ Theologiæ anno M C C L X X V I I solemniter creatum Florentiæ narrat Matthæus Villanus Historicus. Huius exemplo post annos XXXVI Franciscus Barberinus I.C. Clarissimus, & Poeta insignis, postquam Patavii, & Bononiæ excoluisset Ius Civile & Canonicum, Avenionem ad obsequia Pontificis Clementis V progressus, ab eodem privilegium obtinuit, quo jubentur Patavinus, Florentinus, Bononiensis Episcopi, Doctoris ipsi Insignia conferre, & Ius utrumque docendi facultatem Libro, atque Annulo confirmare. Quod Diploma ex Archivo Vaticano huc adducimus.

CLEMENS EPISCOPVS Servus Servorum Dei. Venerabilibus Fratribus Florentino, Bononiensi, & Paduano Episcopis salutem, & Apostolicam benedictionem. Sicut nostri pectoris intima virtutum fragrantia recreantur; sic in horum delectamur honoribus promovendis, quos reddit scientiarum ubertate facundos divinæ gratia bonitatis, ut ipsi præcipientes se præmium reportare de meritis libentius odorem iustitiæ fideliter manifestent, & demonstrent fidei rectitudine universis. Cum itaque dilectus filius Magister Franciscus de Barberino Clericus coniugatus Florentinæ

Diœ-

Diœcesis, sicut plurium fide dignorum assertione percepimus vacando diutius studio literarum, adeo in scientia Iuris utriusque profecit, quod ad diffundendum in alios eiusdem scientiæ documenta sufficiens, & idoneus reputatur. Nos dictum Magistrum Franciscum propter hæc, & alia multiplicium ornamenta virtutum, quibus dono Domini noscitur insignitus paterna benevolentia prosequendum, ac dignum reputantes, & congruum, ut in iis, quæ sui honoris, & status augumenta contingunt sibi nostram, & Apostolicæ Sedis reperiat benevolentiam gratiosam Fraternitati vestræ per Apostolica scripta mãdamus, quatenus vos, vel duo, aut unus vestrum per vos, vel alium, seu alios prædicto Magistro Francisco; si eum post diligentem examinationem legendi, & docendi, ac regendi ubique terrarum, & locorum in iure Canonico, & civili per libri traditionem, & annuli, & alias iuxta modum consuetum in talibus observari non obstantibus quibuscunque statutis, & consuetudinibus contrariis terrarum, locorum, & universitatum, Magistrorum, & quorumcunque Scholarium iuramento, confirmatione Sedis Apostolicæ, seu quacunque alia firmitate roboratis, seu quibusvis privilegiis, indulgentiis, & literis Apostolicis generalibus, vel specialibus terris, locis, & universitatibus supradictis, & quibusvis aliis sub quacunque verborum forma conceptis, de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum oporteret in præsentibus fieri mentionem, literatum auctoritate nostra, licentiam, & facultatem plenariam tribuatis.

Datum Avinien. IV. *Kal. April. Pontificatus nostri anno* VIII.

Hunc autem honorem Florentiæ ipse die VIII Augusti MCCCXIII in domo filiorum Pierozzi Guadagni ab Episcopo Antonio Vrso Florentino impetravit.

Idem Patavii MCCCL. die XII. Mensis Septembris factum memorant Cortusii in Historia Felicis Osii labore in lucem producta Lib. X. Cap. III. Quorum ad maiorem fidem hæc sunt verba: *Frater Gulielmus Ordinis S. Augustini, Episcopus Novariæ Sacræ Theologiæ Magister, de mandato Domini*

Clementis Summi Pontificis, religiosum virum, Fratrem Matthæum Ordinis Heremitarum Paduanum, in Padua cathedravit in magisterio Theologiæ.

Nullum verò Scholasticæ dignitatis apud Christianos vestigium exstat ante Gratiani edictum, & P. Lombardi tempora sub annum Christi M C L I. & M C L X. Ne verò Pontifice Imperatores maiestate inferiores viderentur, Federicus Barbarossa privilegia Scholis contulit. Imo Concilium Viennense honoribus etiam Scholiasticis leges sumtuarias statuit anno M CCC XI.

Hunc tamen usum à Græcis ad Latinos fluxisse non obscura sunt apud Theonem Smyrnæum indicia, qui Mathematicæ Cap. 1. ex Platone circa institutionem recenset Ἀνάδεσιν καὶ κατάστεψιν, *Relegationem*, & *Coronationem* V. C. Ismaele Bullialdo amico nostro interprete, *quum aliquis facultatem adeptus est ab illis, qui ipsum docuerunt, alios ad contemplationem eandem perducendi*. Coronæ Scholarum consuetudine successit pileus Doctoribus familiaris: quamquam & hodie quibusdam in locis pileolus puniceus è panno, vel holoserico imponatur. Nec difficile foret Italis Laurum indigenam contexere. Quod à Cl. Viro Ioanne Veslingio cultissimi ingenii, ac eloquii Patavinæ Floræ præside sub anni principium solemni festivitate bis in Gymnasio Patavino factum memini in Doctoratu D. Petri Videmanni Saltzburgensis, & D. Iosephi Colstonii Londinensis. Qui Lauream coronam per Vrbem magno plausu gestatam, curiosè ad patrios lares publicæ lætitiæ monumentum reportarunt. Pileus nempe libertatis indicium est, quum ab inscitiæ vinculis, iam sint liberi, in Doctorum censum recepti. Sed Laurus etiam Apollini Musarum Præsidi sacra; qua ornatus bonis literis consecretur, & in arce Palladis triumphum duxit. Perpetuus ei vigor est, quem ingenii cultu perennem servare convenit. Libet hic elegantissimus versus inserere Veslingii, quibus candidatos super memoratos fuit affatus.

Quæ

QVæ conferantur strenuis Strenæ viris,
Iani his Kalendis, ætheris quibus viam
Permensus altam Cynthius, vertit rotas,
Novoque terris dividit gyro iubar?
Prorector inclyte, vosque Patres optimi,
Tuque ô corona suavis audientium,
Charitum propago, nata laudi corcula.
Quæ docta nunc verbena cingat tempora?
Nisi arboris felicis hacce germina,
Quæ Phœbus ipse, quæque Musarum cohors,
Complexa dudum, amore quæ fecit sua.
Illa Æsculapii ambiunt Sacrum caput,
Iovisque maximi locabat in sinu
Victoriæ desideratus nuntius.
Hæc aureo sublimis in curru tulit,
Medio triumphi gaudio victor potens,
Capitolia alta cantu militum truci
Tot Laureatis scanderet cùm fascibus.
Horum calori, tristis agrimonia,
Vitæque pestis horridum cedit gelu,
Cedunt venena Scorpii, tum pertinax
Si quà molestum fixerit dolor pedem.
Eia alma Daphne, perpetes tibi comas
Nec sæva carpit Bruma, nec telum ferit,
Quod fulminante Iupiter dextra rotat.
Amplectere hoc COLSTONII doctum caput.
Tot Palladis ornatum dotibus caput,

Ser-

Serves vigorem mentis, inspires decus,
Quod mortis è contage fœda nil trahat,
Quod non rapacis atterat Parcæ manus,
Livore maius, & senecta temporum.
Flos ô iuventæ, cura Musarum vigil,
Quàm te libens adorno, quàm veneror libens
Amore sancto, nulla quem solvet dies
Tempusque nullum pectore exiget meo.
Libros apertos, moxque clausos offero,
Doctum ut laborem, grata distinguat quies,
Labor quietem, squallet ignavo situ,
Reciprocas quodcunque deserit vices.
Digitos coruscus orbe stringat annulus
Virtutis almæ nobilem firmans notam,
Intermini circos honoris, aureæ
Spem messis, ac certum laboris præmium.
Iò triumphe! læta sic te Gloria
Porrò vigentem, sicque Faustitas beet.
Interque clara tot medentum lumina,
Perenne seris trade nomen posteris.

Votum his addo eiusdem pro Gymnasii Patavini conservatione fusum Calendis Ianuarii cum Lauream conferet juveni studioso.

ALme tu rerum sator, ô colende
Semper, æterno radiata nutu

Astra

Astra qui volvis, reducisque certis
Legibus annum.
Inclytum serves pater hoc Lyceum,
Deditam sedem placidis Camœnis,
Artium cultu, Sapientiæque
Nobile templum.
Floreat semper docili Iuventâ,
Quæ bonos mores, & amica Musis
Otia quærit Studiorum, & ingens
Culmen honoris.
Stet Fides, & Pax, stabilisque rerum
Terminus firmet Venetos Dynastas.
Imperet Virtus, redeatque priscum
Tempus in aurum!
Illa Doctorum decora ampla, perpes
Nutriat longa vigor in senecta,
Ingeni sacros rediens labores
Prosperet ævum.

Candidatum verò cuiuscunque disciplinæ, aut nationis in Collegio sine toga comparere insolens est: tametsi non pauci vel modestiæ studio, vel Scholasticæ professionis dissimulatione, aliave de causa, succincti redire malunt, quam longa comitatus pompa omnium oculis exponi. Anulum præterea eruditionis veritatisque arrham recipiunt. Nec obscura eiusmodi habitus apud antiquos experiuntur vestigia, quam à Græcis ad Latinos nostraque tempora traductum vt credamus proclivè est. Conspicua profectò est Metrodori statua suo galero & infulis, itemque pallio Philosophico: & sinistræ manus anulo. Quid autem Libri clausi & aperti

aperti velint aliud, quam doctrinam longis laboribus, atque usu partam frequenti lectione augendam & confirmandam? Tandem inter Doctores locari, liberum ad ipsorum subsellia consessum indicat, quod pacis amplexu stabilitur.

Qui porrò solẽni tympanorum ac tubarum festivitate deduci amant, æs in popellum applaudentem spargunt, nec raro bombis militaribus, aliisque hilaritatis indiciis ad limina domicilii excipiuntur. Literis tandem publica sigilli fide munitis condecorata eiusmodi solemnia, egregiæ virtutis documento, ad perennem posteritatis memoriam transmittuntur.

De loco honoribus Academicis dicato. Cap. XLIX.

OLim in æde S. Vrbani non longè à platea Vinorum Artistarum Collegium Doctorum congregabatur, ubi examina Studiosorum, ac Candidatorum ceterique actus perficiebantur. Quæ aliquando in claustro dicti loci S. Vrbani peragebantur, ut inferius de approbatione Chronicæ Rolandini anno M CC LXXXIX ostendimus; aliquando cum maiori solemnitate in Ecclesia Cathedrali Laurea Candidatis tribuebatur. Idque usque ad annum MCCCCLXXXVII, quo Petrus Barocius Episcopus Patavinus electus præter varia ædificia ad Episcopatus palatium perficiendum, Triclinium amplum, seu aulam spatiosam Collegiis Theologorum, Iurisconsultorum, Philosophorum, ac Medicorum summa liberalitate, ac elegantia construxit. Id enim grati animi erga Gymnasium Patavinum, & bonas literas esse voluit. Quod quidem opus & splendori, & commoditati tribuit Vniversitati Studiosorum.

De

De Coronatione Albertini Musati Poetæ facta ab Episcopo Patavino, à Rectore, & Gymnasii Doctoribus. Cap. L.

VNiversitati Gymnasii, & Doctoribus olim jus erat coronandi Poetas, quem quidem honorem ob eius merita Albertinus Musatus Historicus & Orator obtinuit cum elegantem Tragœdiam de impiissima Tyrannide & atrocissima immanitate, & crudeli exitu Acciolini, & Albrici fratrum cecinisset. Item heroico carmine bella Patavini populi adversus Canem Scaligerum Veronensem Tyrannum, aliaq. multa per egregia suavi metro continuò decantasset. In conspectu nempe totius Gymnasii, ac universæ Civitatis à Pagano Turriano Episcopo Patavino, & ab Alberto Saxoniæ Duce tunc Patavini Gymnasii Moderatore, seu Rectore, utroque Doctorum Collegio præsente, insignem ex Lauro coronam solemni apparatu accepit, & summa cum laude Poeta creatus est, eique cognomen auctum, ut deinceps ex Musso Poeta Musatus diceretur, quasi Musis charus, & subinde eius posteri ex eo cognomento aliquandiu Poetę, seu Musati dicti sunt. Sancitum est etiam ex decreto utriusque Academiæ, ut singulis annis in die Natalitio Christi Domini utriusque Collegii Doctores, atque Scholares solemni pompa, cum tubis & Musicis instrumentis ad eius domum pergentes Poetam ipsum cereis donariis honoris causa salutarent. Eius domus erat ad pontem Molarem in Cunio medio, inter duos Pontes vico.

Quod decus nemini unquam mortalium in ullo Gymnasio contigit, duravitq. honoris ea solennitas per aliquot annos usq; ad Carrariensium dominium anno M CCC XVIII inceptum: quibus is suspectus ob arctiorem cum Paulo Dente amicitiam Carrariensibus infenso ea tandem solennitate sublata in Clodiam secessit, ubi vitam post triennium clausit.

De censura Librorum, penès Doctores Gymnasii. Cap. L I.

LIbrorum, quæ nostro seculo Quæsitori fidei commissa fuit, censuram, frequenti studiosorum consessu exercuere olim Doctores, & Magistri Gymnasii. Etenim Nicolai Quarti Pontificis edicto die XXVIII Augusti anni MCCLXXXIX Reati primum Venetis officium Inquisitionis, quale adhuc perdurat, concessum fuit.

Antiquæ approbationis formula extat in fine Chronici Rolandini sub annum Christi MCCLXII vulgati digna, quæ ad vetustatis memoriam hic integra describatur: *Perlectus est hic liber & recitatus coram infrascriptis Doctoribus & Magistris, præsente etiam Societate Laudabili Bazalariorum & Scholarium liberalium artium de Studio Patavino. Erant tunc temporis Regentes in Padua viri venerabiles, Magister Agnus, Magister Ioannes, Magister Tredecinus in Loyca providus indagator & Doctor. Magister Rolandinus, Magister Morandus, Magister Zunta, Magister Dominicus, Magister Paduanus, Magister Luchesius in Grammatica & Rhetorica vigiles & utiles professores. Qui ad hoc congregati prædictum Librum, & opus, sive Chronicon, sua Magistrali auctoritate laudaverunt, approbaverunt, & autenticaverunt solemniter in claustro S. Vrbani in Padua, currente anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo secundo, indictione quinta, die tertiadecima intrante mense Aprili.*

Nostra memoria Octavius Livellus Patavinus Eques Divi Marci Institutionum primarius Professor stipendio Florenorum centum annuo libros edendos recensebat auctoritate publica, ut observaret ea, quæ ad Principum negocia spectant. Quod munus postea Gymnasii Moderatores ad Secretarium suum transtulerunt, cuius fide ipsi omnes libros subsignant.

De Iurisconsultorum Collegio. *Cap. LII.*

IVrisconsultorum inter alios professores notabilis est antiquitas. Quum etenim ex Legibus XII Tabularum, aliisque juribus omnia negocia definiri non possent, & litigantes variè illorum sensum in suas quisque partes traherent, desiderata est prudentium interpretatio, quorum auctoritate disputatio fori sopiretur, Pomponio auctore.

Id etiam Patavii factum credimus, ubi antiquissimum eorumdem I. C. Collegium ex ipsius Statutis cum Gymnasii primordiis viguisse accepimus. Creabantur autem Iuris Doctores à Principibus, vel ab iis quibus Princeps tale munus demandabat. Sed ut Studiosorum peritia multorum judicio certius explanaretur; quod unius examini erat creditum, id duorum, aut trium pluriumve Doctorum judicio permittebatur. Quæ ratio deinde ad Professorum publicè docentium Vniversitatem bono consilio translata fuit, ad eorum locorum incrementa, in quibus Gymnasia, vel Principum indulgentia, vel diuturna temporum serie excolendis civium & advenarum ingeniis fuere instituta. Auctoritatem quippe pronunciandi Doctores, anno MCCXXII Gymnasio Bononiensi Patavium transmisso, Federici Imperatoris privilegio invaluisse constat. Quod ne per tot tantasq. Italiæ clades aliquo pacto infringeretur, prudenti consilio idipsum anno MCCLXII Vrbani Summi Pontificis auctoritate stabilitum fuit, ad hanc Doctorum petitionem: *Rectores Vniversitatis Magistrorum, & Scholarium Paduæ deliberatione provida statuerunt, ut Scholares ipsius Vniversitatis, qui debent in Magistros assumi, coram Episcopo Paduano, præsentibus Doctoribus Vniversitatis ejusdem, examinari debeant diligenter, & idem Episcopus eis, si reperiantur idonei, debeat docendi licen-*

tiam concedere. Atque ita penes Collegium, & ipsos Professores publicos, atque Vniversitatem Gymnasii cum Episcopo studiosos juvenes in utroque jure examinandi, laureaque ornandi, ac docendi facultas, in Doctores novos pariter translata, longa temporum consuetudine, privilegioque Summi Pontificis roborata permansit. Quàm annis quadraginta inviolatè observatam, post bellorum & civitatis Patavinæ calamitates, anno M CCC XLII Clemens VI iterum ampliori forma munivit.

Invaluit ab eo tempore ex professoribus publicis, qui jus civile, & canonicum in Gymnasio docebant, Collegium I.C. Quod in statuis eiusdem habemus initio fuisse constitutum ex duodecim Doctoribus, inter quos plures advenæ, & tres vel quatuor Patavini, nempe Rolandus de Plavola, Corradus Sala, & Hieremias de Montagnona. Qui numerus Iurisconsultorum duodenarius anno M CCC XLIX Priore Iacobo Sancta Cruce ad vigesimum processit, temporisq. progressu ad vigesimum quintum, admissis aliis civibus Patavinis I.C. præter Gymnasii Professores publicos, ac demum anno M CCC LXXXII ad quosvis nobiles Venetos, ac Patavinos Iurisconsultos jus illud traductum fuit. Ideoque Collegio adhuc & Vniversitati communia sunt, sceptrum, sigillum, ministri; imo prisca consuetudine candidatus primum se Rectori Gymnasii, vel Prorectori sistit, qui & examini adest, sed & coram Episcopo veluti Gymnasii Cancellario professionem fidei edit, additis in punctorum recitatione hisce verbis: *in præsentia Florentissimi Gymnasii Patavini Cancellarii decentissimi* &c. Aucto proinde civium numero Collegium tandem ab Vniversitate segregatum sancivit exteros etiam primæ Sedis Professores, Prioris, Numerarii, Syndici, aut Contradictoris munere non posse perfungi, nec D. Francisci Xenodochio cum aliis XII præesse. Hoc modo sensim factum, quod præter quosdam Principales Gymnasii Professores è Nobilioribus civibus, Viris Claris-

rissimis formatum sit Collegium, qui Vrbem nostram, & Gymnasium ipsum exornant: quorum etiam totius Orbis Principes in gravioribus negotiis, in cõtroversiis dirimendis consilia expetunt, quæ passim in lucem prolata, ac probata hodie leguntur. Nostra ætate Professores Iuris tum civilis, tum canonici indulgentius in Collegium introducuntur.

Non abs re futurum censeo, si formulam privilegii Doctoralis utriusque iuris vetustam, hic apponam, ut curiosis constet, quid à recentiori differat, quod omnium manibus versatur.

Vetus in Iure Civili Laureæ testimonium.

IN CHRISTI NOMINE AMEN. *Vniversis & singulis præsentes literas, sive præsens publicum instrumentum inspecturis Stephanus de Carraria Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Ecclesiæ Paduanensis, bonorumque & Iurium eiusdem in spiritualibus & temporalibus administrator, Rector & Gubernator, ac huius almæ Vniuersitatis Studii Paduani Cancellarius dignissimus Salutem in eo, qui est omnium bona salus.*

Quia bonorum laborum gloriosus est fructus & virtutum præmia benemerita exigere iustitia convenit elargiri, ideo cum alias egregii Viri D.Bartholomæus de Saliceto de Bononia, & Petrus de Alvarotis de Padua Iuris Civilis Doctores eximii in præsentia & assistentia Rever.Virorum D.D.Laurentii de Polonia Vicerectoris Vltramontanorum, & Matthæi de Tervisio Rectoris Citramontanorum Scholarium, pluriumque aliorum Doctorum, & Scholarium tum Canonici, tum Civilis, & aliarum facultatum, ac Vniversitatis Studii supradicti, in Paduano Studio tunc residentium, prout moris est, in eodem Studio fieri, Virum nobilem & prudentem D.Fantinum Dandulo filium nobilis & egregii militis D.Leonardi Dandulo de Venetiis, qui in diversarum Civitatum, & potis-

tissimè Patavii Studiis in Iuris Civilis scientia annis pluribus insudavit, dignum ad recipiendum honores, qui iustè debentur insistentibus Studio Patavii coram Ven. Viro D. Nicolao de Portugruario Doctore Rectore & Canonico Plebis S. Fidentii de Mehadino Paduanæ Diœcesis in spiritualibus Vicario nostro Generali præsentarunt, requirentes ab eodem ut eundem D. Fantinum Dandulo de Venetiis tamquam virum scientiæ & literarum expertum ad subeundum privatum examen eidem scientiæ Iuris Civilis admittere dignaretur. Ipse quidem D. Nicolaus Vicarius supradictus, tunc ipsum D. Fantinum Dandulo per Doctores omnes utriusque Iuris, tunc in præfato Studio Paduano residentes privatim coram se examinare fecit diligenter. Et quia in examine eiusmodi legendo, repetendo, respondendo, ac dubia solvendo, ita verè & sufficienter se habuit, quod fuit per eosdem Doctores unanimiter & concorditer ipsorum nemine discrepante illico approbatus & sufficiens reputatus ad subeundum alterum examen, quod publicum nuncupatur, & ad recipiendum in præfata Iuris Civilis scientia, nomen, honorem, & titulum Doctoratus in scientia supradicti Iuris Civilis, ipsum D. Fantinum Dandulo de Venetiis, præfatus D. Nicolaus Vicarius supradictus dignum & idoneum reputans ad recipiendum nomen, honorem & titulum Doctoratus in scientia supradicta, annuente præfato D. Stephano Administratore & Cancellario prælibato, & sibi qui etiam vices tunc gerebat super hoc competente, tam ex antiqua & approbata consuetudine Studii prælibati, quàm ex vigore privilegiorum felicis recordationis D. Vrbani Papæ Quarti, & D. Clementis Papæ Sexti, coram præfatis Dominis Rectoribus, Doctoribus, & Scholaribus utriusque Iuris, & aliorum nobilium personarum, multitudine copiosa, eidem D. Fantino Dandulo de Venetiis facultatem & scientiam impertitus fuit subeundi in præfato Studio in supradicta Iuris Civilis scientia examen, quod publicum nuncupatur, & postea recipiendi in eodem momento honorem, & titulum Doctoratus in scientia prælibata, quandocumque voluerit. Nunc vero prædicta Vniversitas præfatorum DD. Rectorum, Doctorumq. et Scholarium utriusque

que

que Iuris Studii Paduani more solito congregata, præsentibus etiam ibidem Doctoribus, Scholaribus, & Magistris, artium liberalium, aliarumque scientiarum, ac Prælatorum, & Civium laudabili comitiva coram nobis in Ecclesia Cathedrali ad ipsius Domini Fantini Dandulo de Venetiis examen Iuris Civilis, quod publicum nuncupatur, observatisque omnibus solemnitatibus, quæ in huiusmodi artibus requiruntur, receptisque testimoniis omnium Doctorum utriusque Iuris ibidem assistentium, ipsorum nemine discrepante, quod ipse Dominus Fantinus Dandulo de Venetiis examinatus, & ut solent publicè approbatus, ibidem sub præfatis Dominis Bartholomæo de Saliceto de Bononia, & Petro de Alvarotis de Padua, Doctoribus & promotoribus suis, erat bonus, idoneus, & sufficiens Canonista, & dignus, & benemeritus ad recipiendum Doctoratus officium, & Magistri dignitatem, & bonorum morum decor, ipsius scientiam, & literarum peritia in ipso mores laudabiles decorabant; ipsum D. Fantinum Dandulo de Venetiis examinatum, & ut prædicitur, publicè approbatum, auctoritate prælibata Nobis Stephano administratori & Cancellario prælibato, ut permittitur concessa & attributa facimus & creamus Doctorem & Magistrum in præfata Iuris Civilis facultate, concedentes eidem in dicta scientia, nomen, honorem, & titulum Doctoratus & Magistri dignitatem, tribuentes insuper sibi tamquam benemerito legendi, repetendi, disputandi, terminandi, glossandi, interpretandi, Scholas regendi, Baccalaureos constituendi, & omnia alia & singula faciendi & exercendi Paduæ & ubique locorum, & terrarum, quæ ad Doctores Iuris Civilis noscuntur quomodolibet pertinere in præfata Iuris Civilis sapientia, plenam & liberam potestatem, & à præfatis Dominis Bartholomæo de Saliceto de Bononia, et Petro de Alvarotis de Padua, Doctorib. suis præsentem licentiam petendi, & recipiendi Insignia Doctoratus in scientia memorata. Quibus omnibus idem D. Fantinus Dandulo de Venetiis in plena concione Dominorum præfatorum Rectorum, & Scholarium quarumlibet facultatum coram nobis per suprascriptos Dominos Bartholomæum de Saliceto, & Petrum de Alvarotis pro se ipsorum no-

nominibus investitus fuit. In quorum testimonium præsentes literas in formam publicam, per Magistrum Cortesium infrascriptum, & eius Collegam infrascriptum fieri & scribi mandamus, nostrique Officii sigilli appensione muniri.

Datum & actum Paduæ in maiori Ecclesia Paduana in præsentia & assistentia Inclitorum Dominorum Francisci Tertii, Iacobi Vbertini, & Marsilii de Carraria filiorum Illustrissimi Principis, Magnifici & Excelsi D.D. Francisci de Carraria Paduæ &c. In millesimo quadrigentesimo primo, Indictione nona, die . . . octauo mensis Augusti. Præsentibus Generosis Viris nobilibus & egregiis militibus Dominis Carolo de Vicecomitibus de Mediolano, Gulielmo della Scala honorabili Potestate Civitatis Paduæ, Phæbo della Torre de Mediolano, Francisco de Buzaccarinis de Padua, Venerabili P. Domino Andrea de Carraria Abbate Monasterii S. Iustinæ de Padua, D. Hieronymo de Florentia Priore S. Mariæ de Porciliis de Padua Decretorum Doctore, ac nobilibus & egregiis viris D. Benedicto Sorantio, Carolo Zeno, Francisco Cornario, & Zaccaria Trivisano iuris utriusque Doctore de Venetiis, ac Reuerendis Viris Dominis Fratribus Iacobo de Confortis de Padua Ordinis Prædicatorum, Laurentio de Cividale Belluni Ordinis Minorum in Sac. Theologia Magistris, egregiisq. viris Baldissera de Padua, & Ioanne de Laurentiis de Padua ambobus Artium, et Medicinæ Doctoribus, necnon providis, et disertis viris D. Paulo de Portugruario Canonico Concordiensi, Ludovico filio nobilis, et egregii militis D. Michaelis de Rappata, Raymundo filio nobilis viri Deodati de Civitate Austriæ omnibus tribus ult. Scholaribus in Studio Paduæ, tam in iure Canonico, quàm Civili; Vltimòque honorandis viris D. Presbitero Petro à S. Iacobo Mansionario, & Sacrista maioris Ecclesiæ Paduæ, D. Presbytero Præposito Ecclesiæ S. Andreæ de Padua, et Nicolao q. Ioannis de Instinopoli Paduæ habitante in contrata S. Mariæ de Vantio intra Portam Collega meo unà mecum rogato, testibus ad hæc specialiter convocatis habitis, & rogatis, & aliis, &c.

Vetus Iuris Canonici Laureæ Privilegium. Cap. LIII.

VNiversis & singulis præsentes literas, sive privilegium, sive publicum instrumentum inspecturis Stephanus de Carraria Dei, & Apostolicæ Sedis gratia in spiritualibus, & temporalibus Ecclesiæ Paduanæ, bonorumque, et iurium eiusdem Administrator, Gubernator, Rector, salutem & sinceram in Domino charitatem.

Bonarum laborum gloriosus est fructus ut virtutum præmia benemerita exigente iustitia tribuantur. Sanè per venerabiles, & honorabiles viros, Dominos Rectores, Doctores, & Vniversitatem utriusque Iuris in Paduano Studio residentes præsentato nobis Reverendo in Christo Patre, ac Domino Thoma de Blasiis Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopo Veglense, tunc Iuris Canonici scientiæ Studio laudabiliter insudante, ac requisito à nobis per eosdem Rectores, Doctores, & Vniversitatem eundem D. Thomam Episcopum Veglensem prædictum ad subeundum examen privatum in scientia Iuris prædicti, & si foret inventus idoneus tunc promovendum in eodem Iure ad honorem Doctoratus, & Magisterii admittere deberemus. Nos requisitione huiusmodi libenter, & liberaliter annuentes præfatum D. Thomam Episcopum Veglensem à Doctoribus V. I. in Paduano Studio residentibus coram nobis observatis debitis, et consuetis solemnitatibus examinari in scientia Iuris Canonici fecimus diligenter, & quare in examinatione prædicta, legendo, repetendo, & respondendo sufficientem se habuit, fuit à Doctoribus V. I. supradictis nemine discrepante communiter, et concorditer approbatus, nosque postmodum subeundi examen publicum, et recipiendi honorem Doctoratus, Magisterii, et Cathedræ Magistralis, eidem D. Thomæ Episcopo Veglensi prædicto exigentibus virtutum suarum meritis, et Iuris ordine liberam concessimus facultatem; & post hoc servatis aliis omnibus solemnita-

tibus, quæ in huiusmodi negotio fieri debent, et consueverunt in Studio Paduano, receptoque testimonio ipsorum Doctorum, qui quidem D. Thomas Episcopus Veglensis prædictus, in præfato Studio laudabiliter, et honestè se gesserat, et bonorum morum decor ipsius scientiam, et literarum peritiam in ipso mores laudabiles decorabat eidem examinato, et ut prædiximus approbato, sub viro, scientia, et virtute Spectabili D. Francisco de Zabarellis I.V. Doctore eximio, auctoritate nobis in hoc competente tam ex antiqua, et approbata consuetudine Studii Paduani, quàm ex vigore privilegiorum felicis recordationis D. Vrbani Papæ Quarti, et Sanctissimi in Christo Patris, & Domini Nostri D. Clementis Diuina Providentia Papæ Sexti honorem Magisterii, Doctoratus, et Magistralis Cathedræ concedentis sibi legendi, disputandi, & terminandi in scientia præfati Iur. Can. et omnia alia ubique terrarum faciendi, quæ ad Iur. Can. Magistros, sive Doctores quoquomodo pertinere noscuntur plenam, et liberam tenore præsentium tribuimus, et concedimus facultatem. In quorum omnium testimonium, ac fidem pleniorem has præsentes literas, sive privilegium, seu publicum instrumentum per Notarium nostrum infrascriptum fieri, et scribi mandavimus, et nostræ administrationis præfatæ sigilli appensione muniri.

Datum, & actum Paduæ in Ecclesia Cathedrali anno millesimo trecentesimo nonagesimo septimo, Indict. v. die Mercurii, IV. mensis Aprilis, præsentibus Reuerendo in Christo Patre, & Domino, D. Nicolao Dei, et Apostolicæ Sedis gratia Episcopo Corbattiense, Venerando in Christo Patre, et Domino, D. Ioanne de Vbaldinis Dei gratia Abbate Monasterii S. Maria de Pratalea Paduanæ Diœcesis, Venerando in Christo Patre, D. Patre Abbate Monasterii de Vangalicia ambobus studentibus in Iur. Can. ad præsens in Studio Paduano, D. Magistro de Consortis de Padua Sacræ Theologiæ professore eximio, et Magistro Iacobo de Zanettinis de Padua.

Ceteris omissis brevitatis causa.

De

De Collegio Iudicum, & Advocatorum. Cap. LIV.

IVrisperiti Longobardorum tempore Iudices dicebantur, ita eos qui jus dicebant, vel interpretabantur, aut instrumenta contractuum concipiebant, at quoniam non omnium erat iudicare, ex Iurisperitis nonnulli clientibus patrocinabantur qui & Advocati appellabantur ab Oratoribus diversi, quandoquidem causas agebant, & ideo patroni vocantur. Advocati jus sugebant, ac postmodum Causidicorum in numerum sunt recepti.

In Vrbe Patavina antiquissimum fuisse hoc Collegium usque ad hæc nostra tempora certa fama est, immo Matriculæ quæ I.C. nomina per vicos Civitatis exposita exhibent, judicio quorumdam non vulgari existimantur fuisse Collegii Iudicum, & Advocatorum, non autem Collegii Iurisconsultorum publicè docentium. Distincta nempe olim erant quemadmodum & hodie Advocatorum, & I.C. Collegia. Hi enim jus privatim, & publicè tradunt. Illorum verò quidam causas auscultabant sedendo, litesque civium componebant. Alii eas tractabant, & hi advocati, illi judices, omnesque per vicos Vrbis suum jus exercebant, suisque mensibus Magistratuum titulo, quorum vestigia adhuc supersunt in Foro in cancellis, qui erant XII cum suis tabellionibus pro actis causarum & sententiis in tabulis referendis.

De Collegio Philosophorum, ac Medicorum. Cap. LV.

PHilosophorum, ac Medicorum Collegium, non secus ac Iurisconsultorum cum ipso ferè Gymnasio Patavino originem traxisse perhibetur. Ex XII nempe Philosophiæ

ac Medicinæ Magiſtris partim Patavinis, partim advenis conſtitutum paulatim creviſſe, ſed dira Acciolini tempora omnia eius monumenta non ſecus, ac Vrbis decora conſumpſiſſe. Scimus tamen anno M C C L X in Gymnaſio Vniverſitates binæ I. C. una, Philoſophorum, ac Medicorum altera fuiſſe. Quod etiam comprobatur diplomate Vrbani Quarti M C C L X I I, quo Magiſtrandi, ac Laureandi Scholares Doctoribus auctoritas impertitur. Quorumdam verò eſt opinio, Collegium Medicorum poſterioribus ſeculis poſt Iuriſconſultos coaluiſſe, dum vix ætate Petri Aponenſis Medicina hiſce in oris agnoſcebatur. In Pariſienſi enim Academia Philoſophiæ, & Medicinæ Cathedræ florebant, in monte Peſſulano quoquè Lyceo celeberrimum erat Medicinæ ſtudium. In Italiam præterea ad audiendos Pythagoreos multi accedebant, & in Hiſpaniam ad Arabes, ut de Arnaldo Villanovano refert Petrus Caſtellanus in eius vita.

Huius tamen Collegii, Statuta & Philoſophorum, & Medicorum Matricula ultra tria ſecula non ſe extendunt.

Tempore tamen Reipublicæ Patavinæ ante, & poſt Acciolini mortem cæpiſse credimus. Sereniſſimæ Reipublicæ Venetæ prouidentia ad ſumma fuit perductum, vnà cum Vrbis noſtræ commodis.

Floruere in eo Viri celeberrimi, quos longum eſset recenſere. Communi Artiſtarum nomine, ſceptrum, & miniſtros, omniaque in Gymnaſio communia habet. Rigoroſo examine juvenes ad Laureas Philoſophicas, ac Medicas admittuntur. Priorem ſibi trimeſtrem eligunt Collegæ, Syndicos itidem, atque Conſiliarios creant. Divum Lucam tutelarem colunt.

Ve-

Vetus in Medicina Laureæ testimonium.

VNiverſis & ſingulis præſentes literas, ſive præſens publicum inſtrumentum inſpecturis, Frater Petrus de Montagnana Prior Monaſterii S. Mariæ de Carceribus Pad. Diœceſis in Iure Canonico Licentiatus, ac Venerabilis & Generoſi Viri D. Stephani de Carraria Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia, Eccl. Pad. bonorumque & fructuum eiuſdem in ſpiritualibus, & temporalibus adminiſtratoris & gubernatoris, & huius almæ Vniverſitatis Studii Paduæ Cancellarii, Vicarius in ſpiritualibus Generalis, Salutem in eo, qui eſt omnium vera ſalus. Studiorum labor meretur, ut iis, qui à ſuis cunabulis vitam ſuam diſciplinis exornant Scholaſticis, virtutum præmia debita obſerventur, ut ſic ſingulari remuneratione gaudentes bene agendi poſteris exemplum tribuant & ſequellam, Sanè per Venerabiles & Egregios Artium & Medicinæ Doctores, Magiſtros Iacobum de Zanettinis, Baldiſſeram, & Franc. de Sancta Sophia honorabiles Cives Pad. nuper præſentato coram nobis Vicario prælibato honorab. & Sapienti Viro Magiſtro Andrea q. Iacobi Guidonis à Baliſtis de Civitate Caſtelli Provinciæ Tuſciæ in ſcientiis Artium & Medicinæ tunc laudabiliter inſudante ad ſubeundum privatum examen in præfatis ſcientiis Artium & Medicinæ, ut ſi foret in iis idoneus, tunc accedere ad honorem Doctoratus, & Magiſterii dignitatem admittere deberemus. Nos verò Frater Petrus Vicarius prædictus præmiſſis libenter, ac liberaliter annuentes, præfatum Magiſtrum Andream per Doctores præfatarum ſcientiarum Artium & Medicinæ tunc in Paduano Studio reſidentes auctoritate prædicti Domini Cancellarii nobis in hac parte conceſſa coram nobis in præfatis ſcientiis Artium & Medicinæ, obſervatis debitis & conſuetis ſolennitatibus, examinari fecimus diligenter, & quia in examinationibus prædictis, legendo, repetendo, & reſpondendo argumentis & omnibus interro-

rogationibus & oppositionibus tunc sibi factis sufficienter & bene se habuit, fuitque ab omnibus Doctoribus prædictarum scientiarum, Artium, & Medicinæ tunc ibidem existentibus unanimiter, & concorditer ipsorum nemine discrepante illico approbatus, & sufficiens reputatus in eisdem; ideo nos Fr. Petrus Vicarius prælibati ipsum Magistrum Andream dignum & idoneum reputantes ad recipiendum nomen, honorem, & titulum Doctoratus in scientiis supradictis, subeundi examen publicum, & recipiendi honores Doctoratus, seu Magisterii & Cathedræ Magistralis in prædictis scientiis, Artium, & Medicinæ eidem Magistro Andreæ, virtutum suarum meritis exigentibus publicè liberam concedimus facultatem. Nunc verò Universitate Doctorum, & Scholarium Studii supradicti, & aliorum civium multitudine copiosa more solito, convocata & congregata in maiori Ecclesia Paduana ad examen ipsum in præfatis scientiis Artium, et Medicinæ, quod publicum nuncupatur, observatisq. aliis solẽnitatibus, quæ in huiusmodi negocio fieri debent & consuetum est in Studio prælibato, receptoque etiam testimonio Doctorum præfatarum scientiarum ibidem assistentium, quod idem Magister Andreas sufficiens erat ad recipiendum officium Doctoratus, & Magisterii dignitatem in supradictis facultatibus, & bonorum nominum decor ipsius scientias in ipso, mores laudabiles decorabant, eidem Mag. Andreæ ut examinato, & ut prædiximus publicè approbato in præfatis scientiis à præfatis Doctoribus, ac promotoribus suis coram nobis auctoritate concessa præfato Domino Cancellario & nobis, qui eius vices gerimus in hac parte, ut ex antiqua consuetudine Studii supradicti, quod ex vigore privilegiorum felicis recordationis D. Vrbani Papæ Quarti, & Clementis Papæ Sexti concessorum in dictis scientiis, nomen, honorem, & titulum Doctoratus, & Magisterii dignitatem, facientes & creantes eundem Doctorem, & Magistrum in præfatis, ac tradentes sibi tamquam bene merito legendi, repetendi, disputandi, enunciandi, glossandi, interpretandi, Scholas regendi, Baccalaureos constituendi, & omnia alia faciendi & exercendi Paduæ, et ubique locorum ac terrarum, quæ ad Doctores, & Magistros Artium, et Medi-

di-

dicinæ scientiarum noscuntur quomodolibet pertinere, in supradictis scientiis plenam & liberam potestatem, & à præfatis Doctoribus & Magistris promotoribus suis licentiam petendi, recipiendi in eisdem insignia Doctoratus. Quibus omnibus post hæc statim idem Magister Andreas in præsentia testium infrascriptorum & aliorum quam plurium Civium, et Scholarium diversarum facultatum, coram nobis fuit per præfatum Magistrum Baldisseram nomine suo proprio ac iure & nomine præfatorum Doctorum, et Magistrorum Iacobi Zanettini, et Francisci de S. Sophia electus, et investitus. In quorum testimonium præsentes literas in formam publici Instrumenti per Notarium infrascriptum, & etiam Collegas infrascriptos fieri et scribi mandavimus, nostrique Vicariatus sigilli appensione muniri.

Datum et actum in maiori Ecclesia Paduana sub anno Domini à Nativitate eiusdem millesimo trecentesimo nonagesimo nono, Indictione septima, die undecima Decembris, præsentibus Generosis Viris Magistro Iacobo q. Ser Bartholomæi Spris de contrata Omnium Sanctorum de Padua, Magistro Venantio filio q. Dominici Mercatoris de Camerino, Magistro Petro de Venetiis q. Thomaxii de Thomaxiis Licentiato in Artibus, Magistro Berto Andrea q. S. Federici Bundi de Bundis de Civitate Castelli, Magistro Thoma filio Magistri Lucæ q. Magistri Thomaxii de Rechanato Doctore Artium, ac Gregorio q. Ser Phanis Bonensegne de contrata S. Benedicti de Padua, & Cortescia filio Ser Pauli de Paradisiis de Padua de contrata S. Luciæ de Padua Notariis, collegis meis, unà mecum rogatis de prædictis publicè conficere instrumentum omnibus prædictis testibus vocatis, specialiter rogatis, & aliis.

Pri-

Privilegium Doctoratus Summi Viri Co. Iacobi Zabarellæ in Philosophia.

IN CHRISTI NOMINE. AMEN.

Vniversis & singulis præsens hoc Doctoratus privilegium visuris, lecturis & legi pariter audituris, Gerardus Busdragus Iur. Vtr. Doctor, Dei, & Apostolicæ Sedis gratia, Episcopus Argolicensis, & in Ecclesia Patavina Reuerendiss. in Christo Patris. & Illustriss. Domini, D. Francisci Pisani miseratione Diuina, tituli S. Marci S. R. E. Diaconi Cardinalis, & præfatæ Patavinæ Ecclesiæ Perpetui Administratoris, Comitisq. Saccensis, necnon Generalis Privilegiati Antiquissimi, & celeberrimi Gymnasii Patavini Apostolici Cancellarii dignissimi Suffraganeus, Locumtenens, & Vicarius in Spiritualibus Generalis, Salutem in eo, qui est omnium vera salus. Gloriosa scientiarum, ac bonarum artium Mater Padua, cuius in tota Italia veneranda Clarissimorum Doctorum auctoritas sydereis splendoribus obtinet principatum illos dumtaxat ad summum Doctoratus gradum & Magisterii dignitatem extollere consuevit, quos rigorosi examinis certamen, ac virtutum excellentia, necnon & meritorum copia Laurea Doctoratus corona dignos exhibuerit. Quandoquidem maioribus nostris iuri consentaneum visum fuit unumquemque pro meritis digna præmia ferre, & propterea iure optimo sancitum est, ut qui liberalibus artibus Philosophiæ, & sacræ Medicinæ vehementem operam darent summo honore, ac præmio afficerentur. Quatenus eorum exemplo posteri ad capescendam virtutem, & summæ probitatis, ac laudis decus honore, & gloria accenderentur. Significamus eapropter vobis, & harum serie fidem facimus, quod die datæ præsentium Nos Gerardus Busdragus Episcopus, & Vicarius antedictus, authoritate prælibati Reuerendiss. ac Illustriss. Domini, D. Cardinalis, & dictæ Eccle-

siæ

siæ Patavinæ Perpetui Administratoris ex sua Pontificali dignitate competente tam ex antiqua, & approbata consuetudine Studii prælibati, quàm vigore privilegiorum felicis recordationis Vrbani Quarti, Clementis Sexti, & Eugenii Quarti Summorum Pontificum, qua fungimur in hac parte, existente Magnifico, ac Clarissimo Viro D. Vincentio de Menchellis Romano Artium, & Medicinæ Scholare Almæ Vniversitatis Dominorum Artistarum Vltramontanorum, ac Citramontanorum Artium, & Medicinæ Scholarium Studii florentissimi iam dicti Patavini Rectore meritissimo per venerandum Collegium Artium, & Medicinæ Doctorum eiusdem Gymnasii Nobilem, Egregium, ac Doctissimum Virum Comitem Iacobum Zabarellam Patavinum filium q. Magnifici Comitis Iulii Zabarellæ; quippe qui D. Iacobus in almo Gymnasio Patavino ducentas quadraginta Conclusiones Logicas, Naturales, Animasticas, Mathematicas, & Metaphysicas sustinuit, & triduo publicè disputavit astante Clarissimo & Integerrimo Viro D. M. Antonio Grimano Prętore dignissimo, maxima omnium tam Illustrium Virorum, quàm Doctorum, Civium, ac Scholarium frequentissima multitudine cum ingenti sua laude & honore, ac omnium astantium admiratione, & satisfactione. Hunc nobis per infra notatos eius Promotores præsentatum, punctis ei, ut moris, est in Artibus præassignatis fecimus coram nobis diligenter, & rigorosè examinari, & quia in huiusmodi examine sua puncta recitando, & argumenta dubia, & quaslibet oppositiones sibi factas quamvis arduas, & obscuras seriatim replicando, & clarè solvendo tam benè, laudabiliter, excellenter, ac magistraliter se habuit, atque gessit, talem & tantam ingenii doctrinæ, memoriæ, ceterarumque rerum, quæ in consumatissimo Philosopho exigi solent experientiam fecit, ut omnium eorum expectatione superata unanimiter, & concorditer, ac omnibus concurrentibus suffragiis, eorumque Nemine penitus dissentiente, idoneus, ac sufficientissimus in Artibus fuerit iudicatus, sicut ex eorum votis secreto in scrutinio nobis in scriptis porrectis evidenter constitit. Nos ergo præfatam sequentes consuetudinem, & formam privilegiorum Studii sæpe dicti consideratis

scientia, facundia, modo legendi, moribus, & virtutibus, quibus eum Altissimus illustravit prout in dicto suo privato, & rigoroso examine in facto visibiliter demonstravit, de consilio omnium Doctorum prædicti Collegii ibidem existentium, & instantium pro tribunali sedentes eumdem Comitem Iacobum Zabarellam in Dei nomine approbavimus, & licentiavimus. pronuntiantes, & declarantes eum esse habilem, idoneum, benemeritum, & sufficientissimum ad habendum, tenendum, tractandum, & exercendum officium, & honorem Doctoratus in Artibus, ipsumque continuò in Artibus Doctorem fecimus solemniter, & creavimus, ac facimus, & creamus per præsentes tribuentes ei tamquam idoneo, sufficienti, & hac promotione dignissimo Cathedram ascendendi Magistralem, & Insignia Doctoratus à Promotoribus suis petendi ac recipiendi, & iisdem Promotoribus ea illi impendendi licentiam, & facultatem liberam, ac insuper eidem plenam in Domino concedentes potestatem, & facultatem, ut de cætero liberè possit in Artibus legere, repetere, consulere, docere, disputare, glossare, practicare, interpretari, quæstiones terminare, scholas regere, Baccalaureos constituere, omnibusque, & singulis uti & gaudere privilegiis, prærogativis, exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, concessionibus, honoribus, favoribus, ac indultis aliis quibuscumque quocumque nomine censeantur, quibus Romana Curia, Parisiensis, Oxoniensis, Salamanticensis, atque Bononiensis, Studiorum Doctores, Magistri, & ex quibusvis Apostolicis, & Imperialibus concessionibus, aut aliis indultis gaudent & utuntur, uti & gaudere possunt & poterunt quomodolibet in futurum iuxta formam, continentiam, vim, ac tenorem Privilegiorum Apostolicorum à memoratis olim Summis Pontificibus præfato Studio Patavino concessorum. Quibus ita gestis Famosissimus, & Excellentissimus Artium Doctor Dominus M. Antonius Passera de Ianua Civis Patavinus Promotor eius in Artibus pro se, ac Famosissimis, & Excellentissimis Artium, et Medicinæ Doctoribus, videlicet, Magnifico Comite Hieronymo de Leone, D. Hieronymo Saxonia, D. Ludovico Pasino, D. Paulo à Sole, D. Oddo de Oddis, D. Francisco Frizimelica,

D. Hie-

D. Hieronymo Stephanello, D. Paulo de Crassis, D. Bernardino Tomitano, et D. Matthæo Macigni Compromotoribus suis in Artibus memoratum Comitem Iacobum Zabarellam petentem, et acceptantem consuetis ornamentis Doctoralibus ibidem decoravit solemniter, et insignivit. Tribuit namque ei sacræ Philosophiæ librum primo clausum, mox et apertum, Biretum Doctorale capiti eius imposuit, et ipsum Annulo aureo subarrhavit, pacisque osculum ei cum Magistrali benedictione tribuit. Sic itaque cum summa laude & honore plurimo præfatus Eximius Comes Iacobus ad apicem Doctoratus Artium ascendit. In quorum omnium et singulorum suprascriptorum fidem et testimonium has nostras patentes Privilegii Literas manu nostra subscriptas fieri, et prælibati Reverendissimi, et Illustrissimi D.D. Cardinalis sigilli iussimus appensione muniri.

Datum et actum Paduæ in Episcopali Palatio in loco solito examinum, præsentibus videlicet, Clarissimis, atque integerrimis Viris D. Marco Antonio Grimano Prætore, ac D. Melchiore Michaele Præfecto dignissimis, Magnifico Equite D. Ioanne Zabarella, nec non Magnifico & Excellentissimo D. Transalgardo de Capitibus Listæ, & D. Antonio Buzzacareno, Deputatis ad Vtilia. Testibus ad hæc specialiter vocatis, habitis, & rogatis, necnon & astante ibidem nobili, ac copiosa aliorum Doctorum, Civium, atque Scholariorum multitudine, Die Lunæ, quæ fuit XIX Mensis Iunii M D L I I I, Indict. XI Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Iulii Divina Prouidentia Papæ tertii, Anno Quarto.

Inclitæ Nationi Germanicæ Fortunius Licetus Genuensis in Patavino Lyceo Physiologus Ordinarius Sũmi Philosophi Comitis Iacobi Zabarellæ Patavini Privilegium hoc Doctorale quovis unione pretiosius apud Sapientiæ Peripateticæ Cultores memoriam tanti viri servandam, eoq. nobilem Bibliothecam locupletandam dedit in propensissimæ voluntatis tesseram.

Patavii VIII. Id. Iulii M D C X X X I V.

De Collegio Theologorum. Cap. LVI.

SCholas Theologiæ, ac ſacri Codicis iam fere à Gymnaſii origine inſtitutas fuiſſe, cenſemus, dum ad piorum Patrum imitationem Chriſtianorum civium animi intenti erant in ſcripturas ſacras colligendas & interpretandas. Creſcente verò diſcentium numero ab Vrbano V Summo Pontifice Franciſcus Carrarienſis, qui tunc rebus Patavinis præerat, Theologis Collegium impetravit, hortãte potiſſimum Paulo Vergerio, qui iſti familiæ à Conſiliis erat, cuius adhuc leguntur aliquot orationes non editæ in D. Hieronymi laudem, quem Doctorem ſibi Theologi primitus tutelarem elegerant. Privilegio & hoc acceſſit, Abbatem S. Stephani de Carraria Sede Epiſcopali vacante, in aliis etiam facultatibus Doctoris inſignia conferre potuiſſe.

Collegium hoc Apoſtolica auctoritate confirmatum rerum tandem viciſſitudine, ac Vrbis Patavinæ calamitatibus fractum anno M C C C C X X I V inſtauravit Petrus Marcellus Epiſcopus Patavinus eiuſdem Collegii ſummus Cancellarius. Rebusque in tranquillum reductis paulatim crevit, eaque celebritate, ac laude tandem floruit, ut anno M D L X X I I I à prima eius inſtauratione in eo enumerati fuerint mille Theologi, vera mundi lumina, inter quos eminuere X I S T V S Q V A R T V S Pontifex Maximus, Petrus à Ruere eius Nepos, & ante ipſum Alexander Saxoferratus Cardinales ampliſſimi, aliique purpurati, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, Canonici innumeri, Generales, & Procuratores Ordinum, Magiſtri Sacri Palatii, Profeſſores publici, Conſiliarii Principum, aliique ſcriptis & muneribus publicis toto orbi terrarum Viri undiquaque celeberrimi. Statuta eius in primis M D L X X I I I in meliorem formam fuerunt redacta Epiſcopi Patavini Vicario Generali Hieronymo Vielmo Veneto, tunc Epiſcopo Argolicenſi,

mox-

moxque Æmoniensi. Quod negotium religiosissimis Viris Desiderio Lignaminco Ordinis Prædicatorum tunc Collegii Decano, Ludovico Malatino Eremitano, Felici Zuccolio Carmelitano, & Hieronymo Quaino Servitæ, commissum fuit. Privilegia habet peculiaria & distincta ab Vniversitate (quam vocant) Artistarum publici Gymnasii, adeo ut nihil Theologiæ Candidatus isti solvat, aut conferat, licet Vniversitas iisdem varia nostris temporibus irrito conatu attentaverit.

Cancellarium qui acta eiusdem Collegii conscribit & asservat, eligit; Bidellum pariter, cuius est præferre sceptrum argenteum, D. Hieronymi Protectoris simulacro insignitum: cui quotannis die ipsius nomini sacra, convocatis Collegii Patribus in Templo quodam ad arbitrium Decani panegyricum recitatur, solutis insuper inferiis: ex quo deinde munera quoque Collegii renovantur. Huius etiam censuræ de Christianæ Fidei articulis disputationes, aliaque scripta parum sincera, vel etiam suspecta subiiciuntur.

Decanus, qui aliis Collegiis Prior, Syndicus, & Consiliarii in tres menses sorte eliguntur. Decani est convocare Collegium, Candidatos recipere, ceteraque tamquam caput regere & dirigere.

Binis è quatuor Libris Petri Lombardi punctis duorum dierum meditationi, relictisque cuiuscunque nationis, ac ordinis Candidati post accuratum examen, & disquisitionem prolixam ad summos quidem honores admittuntur, duplo autem singulis Collegis soluto, in eorum quoque numerum adscribuntur.

Senatus Veneti decreto hodie Professores Theologi & Metaphysici Gymnasii gratis in Collegium admittuntur. Alii præterea in locis Laurea insigniti libello supplici Collegium impetrant, postquam ærario ex more satisfecerint; quod in archivis Episcopatus, vulgo Cancellaria, cum actis Collegii asservatur.

Ad

Ad uberiorem celeberrimi huius cœtus æstimationem Laureæ testimonium nostris temporibus consuetum posterorum memoriæ tradimus. Et quidem in Nos anno ab hinc trigesimo quarto à præclari nominis Theologis collatum.

Theologicæ Laureæ testimonium.

IN CHRISTI NOMINE. AMEN.

VNiversis, & singulis præsens hoc publicum Doctoratus Sacræ Theologiæ privilegium visuris, lecturis, seu legi audituris Nos Paulus Gualdus Vicentinus I.V.D. Ecclesiæ Cathedralis Patavinæ Archipresbyter, & in Episcopatu Paduæ Illustrissimi, ac Reuerendissimi in Christo Patris, & D. D. Marci Cornelii Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopi Patavini, Comitisque Saccensis, necnon generalis privilegiati antiquissimi, ac celeberrimi Gymnasii Patavini Apostolici Cancellarii dignissimi Vicarius Generalis Salutem in eo, qui est omnium vera salus. Quoniam sacræ lectionis Studio dediti, & in lege Domini eruditi sub Religionis habitu Domino famulantes favoris benevoli gratiam promerentur, atque benignius decet eorum desideriis annuere, ut eorum profectibus maior possit in Dei Ecclesia utilitas pervenire. Significamus itaque vobis, & harum serie fidem facimus, qualiter die infrascripta datarum præsentium nos Vicarius antedictus auctoritate prælibati Illustriss. ac Reuerendiss. D. D. Episcopi Paduæ ex sua Pontificali dignitate competente tam ex antiqua, & approbata consuetudine Studii Patavini, quàm vigore privilegiorum felicis recordationis Sanctissimorum Dominorum Vrbani IV, Clementis VI, & Eugenii IV Summorum Pontificum, qua fungimur in hac parte; In loco solito coram nobis convocata, & more solito congregata celeberrima Vniversitate Reverendorum Dominorum Decani, Magistrorum, & sacræ paginæ Lectorum dicti famosissimi Studii Patavini Perillustrem, ac Reverendum Patrem D. Iacobum Philippum Tomasinum Patavinum Canonicum Secularem Sanctæ Mariæ in

Van-

Vantio Congregationis Canonicorum Secularium Sancti Georgii de Alga Venetiarum, quondam D. Iacobi Tomasini filium post longa studia, & meditationes, variaque eius probitatis, & eruditionis documenta, ac uberrima testimonia; habita prius informatione de eius fide Catholica, & facta prius per ipsum publica Fidei professione iuxta formam, & tenorem Bullæ Sanctissimi Domini nostri felicis recordationis D. Pii Papæ IV datæ Romæ apud Sanctum Petrum anno Dominicæ incarnationis M D L X I V. Idibus Novembris, Pontificatus eius anno quinto, & ut in ipsa Bulla apparet, ac in processu super his formato per Cancellarium nostrum infrascriptum manifestè constat, à promotoribus suis adductum, & nobis oblatum ad subeundum suum rigorosum examen, punctisque ei (ut moris est) in Sacra Theologia præsignatis, fecimus coram nobis, ac Perillustri, & Reverendo D. Francisco Molino Ecclesiæ Patavinæ Cathedralis custode Almæ Universitatis prædictæ Decano, & aliis sacri prædicti Collegii Doctoribus, & Magistris ibidem assistentibus diligenter, & rigorosè examinari. Et quia ipse Reverendus Pater Iacobus Philippus Tomasinus in huiusmodi examine sua puncta assignata magistraliter recitando argumenta quæcunque, ac dubia omnia, & quaslibet quæstiones, ac oppositiones, quamvis arduas, & obscuras sibi factas miro ordine replicando, ampliando, & clarè solvendo, tam benè, doctè, honorificè, laudabiliter, excellenter, & magistraliter se gessit, talemque, ac tantam ingenii, memoriæ, doctrinæ, ceterarumque rerum, quæ in consumatissimo Theologo desiderari solent vim ostendit, ut magnam sui expectationem, quam apud omnes concitaverat non solum sustinuerit, sed etiam longè superaverit. Et ob eam rem ab omnibus Excellentissimis, ac Reverendis dicti Sacri Collegii Doctoribus, & Magistris, ibidem existentibus unanimiter, & concorditer, cunctisque suffragiis, ac eorum nemine penitus penitus, atque iterum penitus discrepante, aut dissentiente, nec hæsitante quidem idoneus, & sufficientissimus in Sacra Theologia extitit iudicatus; sicut in eorum votis secreto in scrutinio nobis in scriptis porrectis evidenter constitit. Nos itaque antiquam sequentes consuetudinem, & privi-

le-

legiorum sententiam Patavini Gymnasii habita ratione scientiæ, dicendi facultatis, methodi interpretandi, morum, ac virtutum, quorum omnium certissimum specimen exploratus, & pertentatus dedit. De consilio, & sententia omnium Excellentissimorum, ac Reverendorum prædicti Sacri Collegii Doctorum, & Magistrorum ibidem præsentium, & instantium pro tribunali sedentes eundem Reverendum Patrem Iacobum Philippum Tomasinum Patavinum virum quidem Catholicum nobilem, atque doctissimum, in Dei nomine approbavimus, & approbatum esse volumus. Pronunciantes, & declarantes eum esse optimè habilem, idoneum, ac dignum munere, dignitate, & honore Doctoratus in Sacra Theologia, ipsumque continuò Sacræ Theologiæ Doctorem, et Magistrum fecimus solemniter, & creavimus, ac per præsentes facimus, & creamus. Et ipsum pro Magistro, ac Theologo in dicta Alma Universitate, & Collegio Patavino acceptantes, & incorporantes, ut unà nobiscum alios creet, faciat, & Doctores instituat, sibique tanquam verè idoneo, ac optimè digno, & hac promotione, & virtute dignissimo dantes, & concedentes facultatem, et auctoritatem Cathedram Magistralem ascendendi, & in Sacra Theologia de cætero legendi, repetendi, consulendi, docendi, disputandi, glossandi, interpretandi, quæstiones terminandi, Scholas regendi, Baccalaureos constituendi, omniaque alia faciendi, & exercendi Paduæ, ac ubique locorum, & terrarum, quæ ad Sacræ Theologiæ Doctores, & Magistros pertinere noscuntur, & de cætero uti, & gaudere possit omnibus, & singulis privilegiis, prærogativis, exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, honoribus, favoribus, gratiis, ac indultis, aliis quibuscunque, quocunque nomine censeantur, quibus Romanæ Curiæ, Parisiensis, Salmanticensis, Papiensis, & Bononiensis Studiorum Doctores, atque Magistri sacræ paginæ, qui suos actus Magistrales perfecerunt, & ex quibusvis Apostolicis, & Imperialibus, seu aliis Ecclesiasticis, vel temporalibus concessionibus, aut indultis aliis gaudent, & utuntur, uti, & gaudere possunt, ac poterunt quomodolibet in futurum iuxta formam, & tenorem priviligiorum Apostolicorum à memoratis olim Summis

Pon-

Pontificibus huic inclyto Studio, Almoque Patavino Collegio concessorum absolutè. Quibus ita gestis, & declaratis, ut supra, Perillustris, ac Excellentissimus Pater D. Io. Baptista Salice Brixiensis Canonicus secularis eiusdem Congregationis S. Georgii de Alga Venetiarum Sacræ Theologiæ Doct. & Promot. eiusdem Reu. Patris D. Iacobi Philippi Tomasini in Sacra Theologia pro se, atque pro Excellentissimis, ac Reverendis Sac. Theol. Doctoribus D. Patre Magistro Philippo Fabri Faventino Ordinis Minorum Conventualium in Academia Patavina Theologiam in viam Scoti publicè docente, D. Patre Magistro Octaviano Strambiato Ravenate eiusdem Ordinis Metaphysicam in viam Scoti publicè legente, & Domino Mario Mazzoleno Patavino Philosophiam extraordinariam in paritate primæ Sedis publicè explicante, memoratum Reverendum Patrem D. Iacobum Philippum Tomasinum per suam luculentissimam orationem petentem, & acceptantem consuetis insignibus, & ornamentis Doctoralibus ibidem decoravit solemniter, & insignivit. Tribuit namque ei Sacræ Theologiæ libros primò clausos, mox & apertos, annulum aureum digito eius indidit, & Biretum Doctorale pro corona capiti eius imposuit, pacisque osculum eidem exhibuit cum Magistrali benedictione. Sic itaque summa cum laude, & honore plurimo prædictus Perillustris, ac Excellentissimus Pater D. Iacobus Philippus Tomasinus Patavinus ad summum apicem Doctoratus Sacræ Theologiæ Deo favente pervenit. In quorum omnium, & singulorum suprascriptorum fidem, ac testimonium has nostras patentes privilegii literas manu nostra, & per Cancellarium Episcopalem subscriptas, ac præfati Illustriss. ac Reverendiss. D.D. Episcopi Paduæ sigilli iussimus appensione communiri.

Actum, & datum Paduæ in Episcopali Palatio in loco solito examinum currente anno à Christi natalibus M DC XIX. Indictione secunda, die verò XXI mensis Februarii, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & Domini nostri D. Pauli Divina Providentia Papæ V. Anno XV. Præsentibus ibidem Admod. Reverendo Patre Magistro Benedicto Bovio Feltrensi Ordinis Præ-

dicatorum Metaphysico publico, Perillustrib. D. D. Reverendo Patre D. Carolo Scalia Canonico Seculari Congregationis S. Georgii in Alga Venetiarum, & Reverendo Patre D. Maximo Turani, ac D. Iulio Peregrino Patavino, aliisq. quamplurimis Illustribus Magnificis, ac Nobilibus viris diversarum nationum testibus omnibus ad præmissa vocatis, & rogatis. L. D. O. M.

De Collegio Veneto, eiusque Privilegii forma. Cap. LVII.

REipublicæ Venetæ intererat, ad imperii maiestatem, adempta Comitibus Palatinis, & Lateranensibus facultate conferendi honores Academicos, Collegium aliquod constituere, in quo pauperes Scholares posent dignum laboribus suis præmium reportare, Hebræi pariter, aliique exteri. Quod quidem post diuturnam maturamque deliberationem tandem anno M D C X V I à Senatu Veneto decretum fuit, postquam annis quamplurimis Natio Germana Philosophorum, & Medicorum id ab inclyto Senatu postulasset. Electis è quatuor primioribus Philosophiæ, & Medicinæ Professoribus cum suis concurrentibus octo, quorum unus triennium titulo Præsidentis Collegium regeret. Vnus etiam Laureolam candidato tribuit, qui Promotor dicitur; nec suffragium obtinet.

In Scholis Philosophorum maioribus ista solemnia initio peragebantur, donec Hieronymi Landi Equitis Prætoris optimi liberalitate, suasu ac hortatu Pompei Caimi Vtinensis, locus in parte Meridionali Gymnasii exstrueretur.

Iurisconsultis Germanis, ac Græcis tandem x x i v Maii anno M D C X X X V idem privilegium fuit concessum, & I. C. Collegium Senatus Veneti decreto erigitur. In quo è præcipuis Professoribus novem, & interdum omnes intersunt, ex quibus Consiliarii, ac contradictor eliguntur am-

ampliori, quam apud Philosophos, & Medicos forma. Statutis eam in rem confirmatis. Privilegium hoc est:

Privilegium Doctoratus auctoritate Veneta.

IN CHRISTI NOMINE. AMEN.

VNiversis, & singulis præsens hoc publicum Doctoratus privilegium visuris, lecturis, & audituris Nos Benedictus Silvaticus, Patricius Patavinus, Philosophiæ & Medicinæ Doctor, Eques Divi Marci Venetiarum, in patrio Archigymnasio hora vespertina in primo loco Practicæ Ordinariæ Professor, ac incliti Ordinis Dominorum Philosophiæ & Medicinæ Doctorum, & Professorum auctoritate Veneta Præses &c. Salutem in eo, qui est omnium vera salus.

Antiqua & præclara Universitas Patavina, bonarum literarum mater gloriosa, & Artium, ac Scientiarum Parens optima, quæ Clarissimorum Doctorum splendore, vetustissimorum Studiorum auctoritate, & sidereis doctrinæ, ac virtutum omnium monumentis, non modò per Italiam, sed per totam etiam Europam, & ubique gentium inter Academias principatum obtinet, eos duntaxat ad summum Doctoratus in Philosophia, & Medicina gradum, & Magisterii dignitatem, qua cæteris hominum generibus præferuntur, evehere, & extollere consuevit, quos virtutum excellentia, meritorum copia, diuturna studia, pervigiles labores, tandem etiam examinis rigorosi certamen, Laurea Academica, & Doctoratus corona dignos exhibuerint. Aequum enim & rationi consentaneum semper visum fuit Maioribus nostris unumquemque pro meritis præmia digna ferre, neminique ad honorum fastigia, nisi per laborum certamina, virtutum adyta, aditum patefacere. Propterea iure optimo sancitum est, ut qui liberalibus Artibus Philosophiæ, & Medicinæ omnem suam operam, & assidua studia impenderent, ii ma-

ximis laudibus, & summis honoribus, aequissimis scilicet virtutis praemiis afficerentur, quatenus eorum exemplo Socii & Posteri ad capessendam virtutis & industriae semitam, laudum, & honorum stimulis, ac desiderio accenderentur; & ut in via probitatis, fiduciae, decoris, & gloriae consolarentur. Significamus itaque vobis, declaramus, & harum literarum tenore fidem facimus liberam, & absolutè attestamur, quòd die infrascripta datarum praesentium Nos Praeses antedictus auctoritate Veneta, iuxta antiquam & approbatam consuetudinem, ac Privilegia Almae Universitatis Patavinae, quibus fungimur in hac parte, sub felicibus auspiciis ac regimine Illustriss. & Generosissimi D. D. Caroli Francisci Zazii Patricii Burmiensis Vultureni P. Rectoris & Syndici dignissimi dictae Universitatis Dominorum Philosophorum & Medicorum florentissimae huiusce Academiae Antenoreae, qualiter inquam per venerabilem consessum Excellentissimorum Doctorum, & Professorum Philosophiae, & Medicinae in Academia Patavina Praeclarus & Eruditissimus Vir D. Ioannes Ebelingius Hamburgensis, Viri Perillustris & Excellentissimi D. D. Ioannis Ebelingii Phil. & Med. Doct. & Reipub. Hamburgensis Protophysici filius, adductus est ad Nos cum uberrimis testimoniis ingenuitatis, & probitatis suae, necnon diuturni studiorum curriculi in artibus, & disciplinis Philosophicis, & Medicinalibus, & cum certissimis documentis laborum, vigiliarum, & exercitationum per idoneum annorum numerum continuatorum, quem à Promotoribus suis de meliore nota Nobis commendatum, & oblatum ad subeundum suum ultimum examen doctrinae, quod rigorosum vocant, punctisque in Philosophia, & Medicina hesterna die sorte eductis, & pro more huius Academiae eidem assignatis, hodie diligenter & acriter examinari, coram nobis, & excuti curavimus. Ipse autem locis persequendis, argumentis tractandis, quaestionibus, & oppositionibus clarè solvendis, casibus explicandis, & curationibus proponendis, in omni denique sua periclitatione, tam laudabiliter, excellenter, egregiè, & doctorco more se gessit, talemq; vigorem ingenii, ac tantam ostendit vim memoriae, doctrinae, facun-

cun-

cundiæ, & cæterarum rerum, quæ in consumatissimo Philosophiæ, & Medicinæ Doctore requiri solent, ut magnam sui exspectationem, quam apud omnes iam pridem meritò concitaverat, non solùm sustinuerit, sed etiam longissimè superaverit. Quamobrem ab Excellentissimis incliti ordinis præfati Doctoribus, & Professoribus omninò ibidem continuè existentibus, unanimiter, & concorditer, cunctisque suffragiis, ac eorum nemine penitus, atque penitus discrepante, aut dissentiente, nec hæsitante quidem, idoneus, aptissimus, ac sufficientissimus Philosophus & Medicus fuerit iudicatus, & meritò quidem approbatus, sicut ex eorum omnium suffragiis, & singulorum sententiis in scrutinio secreto Nobis porrectis evidenter & perspicuè constitit. Nos itaque antiquam sequentes consuetudinem, & sententiam Privilegiorum Patavinæ Academiæ; habita ratione scientiæ, eloquentiæ, peritiæ, facultatis interpretandi, methodi curandi, & aliarum virtutum, ac morum eiusdem, quorum omnium certissimum specimen exploratus & pertentatus dedit; de consilio, & sententia prædicti venerandi consessus Doctorum, & Patrum præsentium, & hoc ipsum postulantium, pro Tribunali sedentes eundem Perillustrem D. Ioannem Ebelingium, Virum quidem doctissimum, & ita universis naturæ, artisque dotibus ornatum, ut nihil amplius ei deesse videatur, Doctorem Philosophiæ, & Medicinæ in Dei nomine approbavimus, & approbatum esse volumus, pronunciantes ac declarantes eum esse optimè habilem, idoneum, & dignum officio, munere, dignitate, & honore Doctoratus in Philosophia, & Medicina, ipsumque continuò Philosophiæ, & Medicinæ Doctorem publicè, et solemniter fecimus, et creavimus, ac per præsentes literas facimus, et creamus, tribuentes ei, et concedentes tamquam verè idoneo, ac optimè merito, et hac promotione honorisque apice dignissimo liberam ac plenam potestatem et auctoritatem Cathedram Doctoralem ascendendi, ac Insignia Doctoratus à Promotoribus suis petendi, et recipiendi, ac ipsis Promotoribus illa sibi impertiendi, ut in posterum liberè, et plenariè, publicè, ac privatim in quibuscunque Philosophicis, et Medicinalibus disciplinis

hic

hic & ubique in toto orbe terrarum legere, repetere, consulere, disputare, quæstiones terminare, controversias decidere, & practicare possit; ac earum singulas partes, aut universas profiteri, docere, glossare, interpretari, & commentari, omnemque Medicinam facere, & exercere, Scholas regere, Baccalaureos constituere, omnibusque & singulis uti & gaudere Privilegiis, Prærogativis, Exemptionibus, Immunitatibus, Libertatibus, Concessionibus, Honoribus, Favoribus, Præeminentiis, Beneficiis, Gratiis, ac Indultis aliis quibuscunque, quocunque nomine censeantur, quibus alii Doctores, atque Magistri Almæ Parisiensis, Salmanticensis, Oxoniensis, Papiensis, ac Bononiensis Academiæ, & quibuscunque aliis Ecclesiasticis, ac temporalibus concessionibus, aut indultis gaudent, & utuntur, vel uti & gaudere possunt, ac poterunt quomodolibet in futurum iuxta memorata Privilegia Almæ Universitati nostræ Patavinæ antiquitus & absolutè concessa. Quibus ita gestis ac declaratis ut supra, Perillustris & Excellentissimus Philosophiæ & Medic. Doctor D. Io. Franciscus Bonardus Patavinus hora Vespertina in secundo loco Practicæ ordinariæ Professor, & Promotor eiusdem in Philosophia & Medicina, pro seipso, & pro Clarissimis & Excellentissimis Philosophiæ & Medicinæ Doctoribus & Professoribus, videlicet D. Fortunio Liceto Genuensi, hora matutina in primo loco Theoricam Ordinariam Medicinam docente, D. Ioanne Veslingio Mindano Equite Ierusalemitano, Præfecto Horti Medici cum Ordinariis in primo loco, ad Anatomen & Ostensionem Simplicium deputato, D. Ioanne Cottunio Patricio Verriensi Equite S. Georgii, hora vespertina in primo loco Philosophiæ Ordinario Interprete, D. Guidone Antonio Albanesio Patavino, de mane in secundo loco Theoricam Ordinariam Medicinam explicante, D. Petro de Marchettis Patavino Equite D. Marci Venetiarum in secundo loco ad Anatomen & Chirurgiam cum Ordinariis posito, ac D. Claudio Berigardo Gallo in paritate primi loci hora pomeridiana Philosophiam Ordinariam declarante, reliquisque meritissimis Professoribus in Almo Athenæo Antenoreo, eundem Perillust. & Excell. D. Ioannem Ebelingium per suam luculen-

lentissimam orationem petentem & acceptantem decretos honores, consuetis Insignibus & ornamentis Doctoralibus decoravit, & publicè insignivit. Tribuit namque ei Philosophiæ, & Medicinæ Libros primò clausos, mox & apertos, Annulumque aureum digito ipsius indidit, ac Biretum Doctorale pro Laurea corona capiti eius imposuit, pacisque Osculum eidem exhibuit cum Magistrali Benedictione. Sic itaque summa cum laude ac honore plurimo prædictus Perillustris & Excellentissimus D. Ioannes Ebelingius ad summum Doctoratus in Philosophia, & Medicina apicem Divino favente Numine pervenit. In quorum omnium & singulorum suprascriptorum fidem ac testimonium has nostras patentes Privilegii literas manu nostra subscriptas, & sigillis Sancti Marci Veneti, Almæ Dominorum Artistarum Vniversitatis, ac I.N.G. Artistarum corroboratas, Chirographo etiam Cancellarii eiusdem Vniversitatis iussimus communiri.

Actum, & datum Patavii in loco solito Examinum Academiæ Patavinæ, currente Anno Domini M DC XLVII. die XI. Novemb. Principatus autem Serenissimi Francisci Molini Ducis Dominorum Venetorum Anno tertio, præsentibus ibidem Perillustribus & Nobilissimis Viris D. Ioanne Rhodio Dano, D. Carolo Offredo Lausanna-Helveto, D. Io. Sculteto Vlmensi Philos. & Med. Doct. D. Guolffgango Baulero Vlmensi, D. Io. Schilling Argentoratensi, D. Gottofredo Tilesio Vratislaviensi, D. Io. Schefflero Vratislavia Silesio, Dom. Georgio Kruckenberg Primislavia Marchico, D. M. Adriano Costero Flandro, ad publicum hunc Actum testimonii causa invitatis, & specialiter quamplurimis diversarum Nationum Civibus certatim ad Comitia hæc in magna & frequenti copia confluentibus, eaque cohonestantibus.

L. D. O. M.

Non solum D. Marci, & Collegii, sed etiam Nationes Germanicæ sigillo munitus. Imo eiusdem nationis bidello à quibuscunque candidatis honorarium confertur.

De

De Baccalaureis, & Licentiatis. *Cap. LVIII.*

BAccalaurei olim Battelaurei & Lytæ vocabantur, Iuris nodos ſolvere incipientes. Sed ex uſu Academiæ Pariſienſis Baccilarii appellantur, à bacillo ipſis exhibito, in ſignum auctoritatis docendi quam conſequuntur. Initio multi quidem paupertate, aliave cauſa quum ſe nolint ſubiicere rigoroſo examini Cl. Collegii in artibus Medicinæ, vel in Iure, baccalaureatus, vel Doctoratus gradum à Comitibus Palatinis, aut Lateranenſibus ſumebant. Poſtea verò ſublata hac conſuetudine Gymnaſii Rector, ſive ſubſtitutus convocatis duobus Profeſſoribus bina puncta dabantur, iisque recitatis & diligentis excuſſis, illis gradus Baccalaureatus conferebatur, privilegiumq. ab Vniverſitatis Notario ſigillo firmatum concedebatur. Hæc olim ratio compendioſior fuit quam Doctoratus, qui paulo ſumptuoſior erat. Baccalaureatus verò veſtigium in Italia apud religioſos viros adhuc remanet. Apud alias nationes in pleriſque Academiis perdurat honos ille veluti gradus ad Licentiatum. Hic verò iiſdem perquam familiarem, qui vel genere, vel munere civili Doctoris titulo ſatis commodè gaudere non poſſunt, à quo ſolum hi ipſi Prolytæ inſignibus Doctoratus diſcrepant; proculdubio, quod ut omnium rerum ſic & dignitatum cumulus faſtidium pariat.

Licentiandi, præſertim in Iure communi, erat Patavii uſus frequentior, antequam conſtitueretur Collegium Venetum, de quo ſupra diximus.

De Empiricis, & Pharmacopœis. Cap. LIX.

EMpirici, sive circumforanei, qui certa remedia sibi peculiaria in foris populis exponunt prudenti Magistratus consilio Medicis à Collegio selectis ea fide bona revelare jubentur, ne publica salus quicquam detrimenti capiat. Quo facto iis vendendi facultas conceditur. Vetitum est enim omnibus empiricam artem & Pharmacopœam exercere, nisi prius approbatus fuerit. Ita in conficiendis Pharmacis eliguntur duo Pharmacopolæ, qui eum examinant, & si idoneus est suam licentiam & privilegium ei concedunt.

De Chirurgis vulgaribus, & Physicis. Cap. LX.

CHirurgorum nomine, qui vulgo manus operam præbent mittendo sanguinem, ceteraque circa ægros munia obeunt, quæ ipsis à Medicis imperantur. Rectori Gymnasii & Consiliariis sistunt & eliguntur tres Doctores ex antiquioribus pro eorum examine. Approbati à duobus licentiam & privilegium obtinent Universitatis sigillo Notarii manu munitum. Nec tamen approbati habent facultatem medendi nisi in Chirurgia, ita ut nullum Pharmacum, aut potionem dare possint sine consilio, & consensu alicuius periti Medici quem consulere tenentur ut ex privilegio constat. Hi verò vulgari idiomate examinantur.

Qui verò Chirurgiæ parti artis nobilioris incumbunt, & partibus in humano corpore gravioribus remedijs manu administrandis se se applicant, immo horum in Cathedras rationem præcipere cogitant, examen quoque, sed longè

diversum, & idiomate latino subeunt; Quemadmodum in favorem studiosorum juvenum, præcipuè exterorum Senatus Venetus An. M DC XXXVIII. die IV Martii decrevit eos in Collegio Veneto Gymnasii à publicis Professoribus post examen eruditè institutum facultatem impetrare posse docendi Chirurgiam, eamque exercendi, & pro re nata consulendi, Pharmaca dandi, aliaque ut Privilegio latius patet. Hi verò Physici Chirurgi etiam à Collegio Medicorum fieri solent.

Chirurgiæ Privilegium pro vulgaribus Chirurgis.

IN CHRISTI NOMINE. AMEN.

VNiversis & singulis præsens publicum Chirurgiæ Privilegium visuris, lecturis, & audituris Nos N. N. Almæ Vniversitatis DD. Artistarum, & Medicorum celeberrimi Archigymnasii Patavini P. Rector &c. salutem in eo, qui est omnium vera salus. Significamus vobis & harum seriem fidem facimus indubiam, & attestamur, qualiter sub die infrascripta datarum præsentium coram Nobis & Nobilibus Assessoribus, necnon Consiliariis Vniversitatis nostræ Patavinæ personaliter constitutus prudens & Eruditus Vir D. N. N. filius olim D. N. N. à Perillustribus & Excellentissimis Artium & Medicinæ Doctoribus, Chirurgiæque professoribus, videlicet D.

. .

. . *fuit diligenter & rigorosè tentatus, ac examinatus circa ea, quæ ad Chirurgiam practicam & exercitationem pertinere noscuntur, videlicet percussiones, vulnera, & apostemata, emissionem sanguinis à qualibet parte corporis, & huiusce morbos manualiter curandos: & in ipso examine, & dubiorum propositorum solutionibus ita benè, hono-*

no-

norificè & laudabiliter se gessit, ut ad medendum in Chirurgia hic & ubique locorum, terrarum, ac Civitatum ab eisdem Excellentissimis Artium & Medicinæ Doctoribus, Chirurgiæ Professoribus unanimiter & concorditer, ac eorum nemine penitus, atque penitus discrepante, aut dissentiente, nec hæsitante quidem iudicatus, admissus & approbatus pro sufficientissimo Chirurgo. Quapropter Nos N. antedictus attendentes sufficientiam eiusdem D. N. ex consilio & scientia ipsorum Excellentissimorum DD. Doctorum, ac Professorum, eidem auctoritate, qua fungimur à Statutis prædictæ Almæ Vniversitatis nostræ nobis concessa, licentiam, auctoritatem & potestatem damus, concedimus, & impartimur, quod in arte & exercitio Chirurgiæ ex nunc, hic, & ubique terrarum se exercere, ac privatim & publicè mederi possit, prout ceteri in hac Arte Chirurgiæ Licentiati, & approbati Chirurgi facere, & exercere possunt, ac poterunt quomodolibet in futurum, dum tamen in Physica minimè se impediat, & in casibus periculosis Excellentissimos DD. Doctores Physicos semper consulere teneatur, prout ita se executurum obtulit, & promisit iuramento ab eo solemniter per nos recepto pro executione Statutorum ipsius Almæ Vniversitatis nostræ Patavinæ. In quorum omnium, & singulorum suprascriptorum fidem, ac testimonium has nostras patentes Privilegii literas manu nostra subscriptas, & per Cancellarium nostræ Vniversitatis subscribi, atque eiusdem Vniversitatis sigilli iussimus appensione muniri.

Actum & datum Paduæ in publico Archigymnasio anno à partu Virginis millesimo sexcentesimo quadragesimo septimo, Indictione ...... Die Mercurii .... mensis N. Præsentibus ibidem Magnificis Viris D. ....
omnibus Patavinis & aliis quamplurimis diversarum Nationum studiosis in præsenti testibus ad præmissa vocatis & rogatis.
Laus Deo. Sequuntur subscriptiones Prorectoris & Doctorum.

N.

N.

N. N. N.

Collegia Studiosorum commodis dicata. Cap. LXI.

AD Studiosorum commodum varia Collegia hic condita fuere à Viris Clarissimis & de literis benemeritis, ut juvenibus rei familiaris laborantibus subvenirent.

Primum Collegium Pratensem S. Hieronymi, & S. Prosdocimi ad D. Antonii Templum institutum à Pileo de Prata Episcopo Patavino, deinde Archiepiscopo Ravenate, & S. Romanæ Ecclesiæ Cardinali, qui post varios vitæ labores Episcopus Tusculanus anno MCCCXCIV dum Patavii moraretur in Palatio Arenæ die VII Octobris pro instituendo Collegio à Principe Francisco de Carraria domum amplam in vico S. Margaritæ dono habuit. Die IV Octobris Anno MCCCXCIX condidit Romæ in Monte Iordano suum testamentum, & suos hæredes instituit prædictum Collegium pro duabus partibus, pro tertia parte Sacellum S. Ioannis in Cathedrali Patavina ubi sua ossa condi jussit. Ipso autem MCCCCI fatis defuncto executores testamenti, mutato consilio in prospectu D. Antonii supradicti Collegium erexerunt sumptuosis ædificiis adhuc spectabile: ubi juvenes XX, quinque Forojulienses, totidem Veneti, Tarvisini, & Patavini habitationem obtinent, & famulatum cum decem aureos unoquoque anno. Eliguntur ab Episcopo Patavino, à Priore Iurisconsultorum, & à seniore familiæ Zabarellæ & Leonis. Supra eius ostium hæc leguntur.

Atria quanta vides sinuosos flexa per arcus,
Dedita divinis studiis & canone sacro,
Magna Comes Pratæ Pileus dedit inclytus heros
Cardine Pontificum, celsos operatus honores;
Mille quadrigentos, bis denos auxerat annos
Partus Virgineus, cum mœnia structa quierunt.

Red-

Redditus ex censu Ducatorum XVII millium in Sexteriis Venetis, præter Ducatos CC ex locatione ædium Patavii. Hodie sublatis Sexteriis plurimum ei decessit, ac fermè jacet, paucique Scholares hic habitant.

Collegium Spinellum ad pontem curvum Anno Domini MCCCCXXXIX à Belforno Spinello Episcopo Casaniēsi filio Nicolai Spinelli Domini Iuvenazzi in regno Neapolitano, Comitis de Goia, & Magni Cancellarii Regni Siciliæ, institutum, quod tamquam Ius patronatus, & primogenituræ in familia esse voluit, addito pro alendis studiosis Ducatorum *9999* fœnore, quod in Vrbe Veneta è Sexterio S. Marci, & S. Pauli annuo censu reddebatur. Sed nescio quo fato sexteria à Principe sublata multa loca eiusmodi redditu suffulta, penitus corruere. Quod Collegio Pratensi, & huic accidit. Testator hæredem instituit Antonium Spinellum è Luca quondam fratre suo, & post eum posteros omnes masculos, quorum decus feliciter hodie Hilarius Spinellus Philosophiæ, & Medicinæ Doctor egregiis suis virtutibus sustinet.

Collegium Cauchum pro Patritiis Venetis in vico Vinealium à Iacobo Cauco Archiepiscopo Corcyrensi Patritio Veneto erectum fuit anno MDLXV opulento satis proventu. Sed hodie penitus jacet desitum. Eodemque fato Collegium Feltrensium è regione D. Antonii à familia Altina apertum duobus studiosis, quorum alter Iurisprudentiæ studiis, alter Medicinæ operam navaret: quibus assignatæ erant fruges cum vino, ac numis alimonię necessariis.

Collegium ad ædem D. Catharinæ à Iacobo Arquate, vel de Arquada Medico Physico apertum juvenibus: quorum cuilibet subministrantur frumenti, & vini quantum satis est in annum, itemque Ducati sex præter salem, ligna, & famulatum. Fuit hoc olim erectum à Commissariis suis, & hæredibus testamentariis D. Petro Bragadeno, & Francisco de Medio civibus Venetis, auctoritate & consensu interpo-

sito

ſito Illuſtris Principis, & Magnifici D. Franciſci de Carraria Comitis Anguillariæ Civitatis & diſtrictus Paduæ, &c. Domini Generalis, ut ex inſtrumento D. Zilii filii Ser Facini de Calvis de Montagnana Notarii An. M CCC XC IV. die XIII Octobris conſtat. Hodie diligenti cura ab Illuſtriſſimis Contarenis Venetiis ad D. Barnabæ gubernatur.

Collegium ad pontem Molinarium in ſpecioſa domo inſtitutum à Thoma Philologo Ravenate Philoſopho & Medico anno M D LXXVII commune ſtudioſis, quibus ſolum domicilium & Ducatus unus pro honorario eſt unoquoque anno: à S. Iuliani, S. Geminiani, & S. Ioan. Bragolæ Plebanis Venetiis eliguntur. Ducatos annuos D C C habere conſtat.

Ad D. Luciam Collegium Brixienſium anno M D V inſtitutum à Hieronymo Lamberto nobili Brixienſi Ioannis filio ex privilegio inter cives Patavinos adſcripto pro ſex juvenibus Artium & Medicinæ ſtudioſis. Qui eliguntur à Conſilio Urbis Brixiæ; cuique Ducati x x v aſſignantur, famuli, & domicilium ſine expenſis. Mea ætate reſtaurata eſt domus, quę obſcura & infimę conditionis erat. Supra oſtium inſcriptio præſens:

COLLEGIVM NOB. BRIXIEN.
PHIL. ET MEDICINÆ STVD.
A HIERONYMO LAMBERTO PATR.
ET MED. BRIX. OLIM CONSTRVCTVM,
VETVSTATE DEINDE COLLAPSVM
COLLEGII PRÆSIDES RESTAVRANT
ANNO DOMINI M DC XXII.

Ad Pratum Vallis ſplendidum ac ſumtuoſum palatium ſpectatur à Cardinali Antonio Amuleo regia animi liberalitate

litate apertum Patritiis Venetis, qui scientiarum studiis operam impenderent, addito pingui proventu. Leguntur autẽ is literis in prospectu huius nobilissimi ædificii hæc:

COLLEGIVM AMVLEVM A M. ANTONIO
CARDINALI AMVLEO PROPINQVORVM,
AC REIP. ORNAMENTO INSTITVTVM
IO. BAPTISTA BERNARDVS,
M. ANTONIVS GRITTIVS,
AVGVSTINVS AMVLEVS EREXERVNT.

Collegium Campionis in vico Vinealium erectum ab Albicio Brancaricco Lucensi Canonico Tarvisino pro novem juvenibus, Patavinis duobus, totidem Tarvisinis, Ferrariensibus, & Gallis. Nono ad libitum electoris, ac huius loci patroni, qui hodie est Patriarcha Venetiarum. Quilibet studiosus per septennium habet frumentum staria XVIII. vinum, & ligna necessaria, domicilium & famulatum. Hodie floret & diligenti cura gubernatur.

Collegium Priolum in Vico S. Crucis pro Patriciis Venetis sumtuosis, ac regiis fabricis constructum.

De Collegio Ridio. Cap. LXII.

INsigni erga patrios cives affectu Nicolaus Ridius nobilis Patavinus Artium & Medicinæ Doctor anno Domini M CCC XCVIII. XIX Iulii in suis ædibus ad Vaccę puteum testamento Collegium instituit pro sex juvenibus civibus Patavinis. Quod postea D. Daniel Ridius quondam Ioannini Legum Doctoris filius anno M CCCC V die VII Aprilis testamento confirmavit, alendisque studiosis juvenibus fertilium quorundam agrorum possessionem in vil-

villa Muzza. Collegii verò inspectionem Episcopo Pata-
vino, Vrbis Prætori, ac duobus Collegii Philosophici & Me-
dici Doctorum senioribus unà cum provectiore suæ familiæ
reliquit; Quod munus hodierna die Cl. Vir Iuris utriusque
Doctor Nicolaus Ridius huius familiæ senior insigni pru-
dentia sustinet.

De Collegio Englesco. *Cap.* LXIII.

ANno MCCCCXLVI. die septima Augusti ad
pontem Curvum alterum etiam Collegium testamen-
to instituit Cl. Vir Artium & Medicinæ Doctor Franciscus
de Englescis quondam Leonardi de Cavalcantibus Floren-
tini filius post obitum Catharinæ suæ coniugis, pro quatuor
studiosis per annos quinque alendis, quorum duo sint Pata-
vini, tertius Tarvisinus, quartus ex municipio Muglæ. An-
no MCCCCL uxor ipsius testamento unum præterea
egenum juvenem addidit. Mandatum prosecuti fuerunt
Prior tunc temporis Collegii Philosophorum, ac Medico-
rum & Benedictus de Doctoribus & post ipsum senior è fa-
milia nobilium de Doctoribus.

Tantus porrò ea ætate civium & forensium in juvenes be-
ne educandos ardor erat, ut Stephanus de Doctoribus
D. Benedicti jam dicti frater anno MCCCCLVI.
XXII Iunii Collegium in domo sua Patavii ad S. Andream
aperiendum constituit, si D. Gregorius de Doctoribus eius-
que filii masculi testamento hæredes scripti, iisque substituti
sine hæredibus masculis deficerent.

De Collegio Græcorum. *Cap.* LXIV.

REdditus Ecclesiæ Chisamensis ob interfectionem Epi-
scoporum à barbaris illis habitantibus in tres partes di-
visi. Duæ vicinioribus Antistibus, sub quorum cura Diœce-

sis

sis ista immanium hominum compartita. Tertia pars Romæ collegio Græcorum concessa fuit. Hæc tandem decreto Veneti Senatus pro construendo Patavii collegio Græcorum anno M D C X X X translata est. Ad pontem Ligneum supra amœnissimum Medoacum flumē domo splendida Francisci Mauroceni D. Marci Procuratoris accepta annua pensione Ducatorum centum & viginti collegium hic Græcorum institutum fuit. Scholares hic duodecim ex Regno Cretensi. Quatuor ex Vrbe Creta. Duo ex Cydonia totidem ex Rethimo, & duo ex aliis Insulæ civitatibus aluntur annuo sexaginta Ducatorum stipendio, quibus & famulatus pro eorumdem commodis, ligna, & culina administratur.

Præses collegij à Gymnasij Reformatoribus aliquis è primoribus Professoribus, cuius est onus ad optimum finem omnia dirigere, ac prꝏsertim curare, ut juvenes in studia operam impendant; quibus prohibitum est arma ferre, nec licitum advenas in hospitium recipere, nec extra Vrbem vagari sine licentia Præsidis; cui nullum honorarium assignatum, sed merum honoris munus est ac dignitatis. Nobis commentantibus onus hoc sustinet insigni prudentia V.Cl. Ioannes Galuanus Patavinus Criminalium professor consultissimus.

In vico S. Prosdocimi collegia duo. Primum Familiæ Milanæ de Noale pro suis, cuius domo ignavia hæredum hodie cecidit.

Alterum Familiæ Superchiæ à D. Hieronymo Superchio institutum ut ex his literis.

COLLEGIVM A REV. D. HIERONYMO
SVPERCHIO PROTH. APOST.
ET PRÆPOSITO PISAVRENSI INSTITVTVM,
AC CVRANTE IO. CRITTI COMMISSARIO
TESTAMENTARIO ERECTVM MDXCIII.

Refert Scardeonius De Antiquitate Vrbis Patavii Lib. I. quod sua ætate collegium erat aperiendum solis Græcis è Cypro venientibus ex Legato Livii Podocatarii Archiepiscopi Nicosiensis.

De Collegio Civium Montisilicis. *Cap. LXV.*

MAtthæus Carbonus Montisilicis civis Medicus & Chirurgus eximius, postquam Venetiis opes non spernendas cumulasset, anno MDCXXXVIII xv Aprilis testamento collegium Patavii aperiendum statuit juvenibus quatuor oppido Montisilicis suisque in primis agnatis, vel iis deficientibus oriūdis ex territorio: quorum cuilibet annuum stipendium Ducatorum LXXX assignavit cum domicilio & famula in septennium. Quod ab obitu exsequendum reliquit commissariis & Consilio civium suorum: cuius arbitrio studiosi eligantur. Anno MDCXL terris erepto viro celebri, & de patria sua benemerito Commune Montisilicis pię voluntatis mandato satisfaciens, ascitis juvenibus domum amplam in D. Annæ vicum huic instituto comparanda decrevit hac inscriptione præfixa.

HOC PERPETVVM STVDENDI COMMODVM
CIVIBVS SVIS MATTHÆVS CARBONVS
E' MONTESILICE MEDICIS LVCRIS INSTITVIT.

Nostro demum tempore ingenii monumentis de sapientiæ sectatoribus benemeritis Excell. Ioannes Cotunius Veriensis, natione Græcus, D. Georgii Eques, Primarius Philosophiæ naturalis Interpres, domicilium exstruit sumtuosum è conspectu ædis S. Antonii Confessoris Patavii, coemptis agris, casisque Vrbi vicinis, quorum redditibus raro exemplo

plo viuens collegium suæ nationis juventuti sacrarum literarum studiosæ destinavit. Nimirum hunc æris honesto labore parti sapientissimè verum statuit fructum, Deo largitori munificentissimo quidquid fuerit tandem post vitæ usuram piè reddatur.

De Nobilium Venetorum Collegio. Cap. LXVI.

CONsilio & virtute Imperia crevisse omni memoria planum est: quo factum ut Serenissimæ Reipub. Venetæ decreto instituendæ è flore nobilitatis Venetæ ad uberiorem animi cultum Patavii bonis artibus capessendis collegium anno M DC XXXVI institueretur. Summa itaque prudentia ab Excellentiss. Gymnasii Moderatoribus, & præcipuè ab Illustriss. & Excellentissimo Francisco Mauroceno D. Marci Procuratore eximii judicii & civilis prudentiæ Viro excogitatum est posse collegium selectioris juventutis construi in ædibus Iesuitarum. Locus enim amœnus, & ædificiis amplissimis, hortisque cinctus commodissimam habitationem præbebat tum studiosis, tum eorumdem Magistris ac Doctoribus. Id publicè propositum, Senatus decreto comprobatur. Ordines, legesque decernunt. Nova ædificia construunt, & conductis pro docendo Professoribus summa cum laude anno M DC XXXVII aperitur. Conferebat unusquisque è juvenibus per expensis Ducatos centum cum sua supellectili domestica. Adolescentes XL sunt ingressi, mox ad L. & LX. aucti sunt. Rector primus D. Balthassar Bonifacius Archidiaconus Tarvisinus Vir literarum studiis clarissimus. Pro docendo Professores tres. Moribus informandis Magistri tres. Oeconomus loci Praeciadio Patavino, & ministri diversi. Omnia summa prudentia parata cum ad victum, tum ad instruendos juvenum mores,

res, institutis horis pro lectionibus, pro studiis, pro exercitiis, ac ludis. Videbatur Seminarium virtutum exsurgere, & nova proles virtutibus exculta efflorescere ad Vrbis, imo Reipublicæ Venetæ splendorem.

Bonifacio Ecclesiæ Cathedralis Tarvisii Archidiacono ad suos reverso, successit Franciscus Bernardinus Ferrarius Mediolanensis, Collegii Ambrosiani Doctor Vir ingenii monumentis Cl. qui biennio confecto ob adversam valetudinem in patriam secessit. Collegium ob Rectorem, & Oeconomum variè distractum, aliisque de causis elanguescere cœpit, nescio quo fato.

Ferrario subrogatus est D. Constantinus Toldus eruditus & placidus Vir, sub quo paulatim ad interitum suum collegium hoc nobilissimum pervenisse vidimus, Senatus decreto honorariis extinctis & professoribus dimissis.

De antiquo Scholarium, & Professorum habitu. Cap. LXVII.

DIgnitati scholasticæ respondebat olim habitus forma & qualitate dignissimus. Ex Statutis enim constat, à maioribus sub pœna sancitum fuisse, quod quilibet bonarum artium studiosus indueret vestem oblongam ultra medias tibias, vel usque ad talos dimissam cum manicis latis ac apertis, colloque fasciam iniiceret sericam, signum nempe honestum ingenuæ disciplinæ, ac liberalibus studiis congruum. Quem ritum Anglis adhuc Doctoribus consuetum accepimus. Nec alio habitu in publicum prodire fas erat sub pœna amissionis omnium privilegiorum scholasticorum. Plerique hac ætate succincti aulico planè habitu ad ævi mores & arbitrium utuntur.

Professores autem publici etiam nunc togati scholas accedunt amictu non absimili ei, qui Senatorum est Venetorum

rum cum manicis latis, quæ splendida vestis vulgo Dogalina vocatur. Caput pileo serico tegitur. Nec alio modo publicis solemnitatibus interesse veteri statuto licitum est. Quia de causa, cum nostra memoria Octavius Livellus Patavinus Institutionum Imperialium Primus Interpres Venetiis coram Duce recens electo gratulatoriam orationem pro civitate Patavina in veste talari sine toga habuisset, graviter id tulere Decuriones Vrbis.

Marcus Antonius Genua summus Philosophus sub toga in pectore aperta, rubei coloris tunica usque ad genua protensa induebatur, qualem in meo Museolo refert eius effigies.

Medici porro & Iurisperiti antiquitus caputio rubri & violacei coloris tegebantur summa maiestate, ut ex imaginibus eorumdem perspicuum est, quod subductum pellibus ab occipitio propendebat. Iurisconsultorum, & Medicorum Collegia pileolis ac epomide pellibus suffultis Summo Pontifice Martino V. obviam factos memorat Corius; qui quidem habitus Sacerdotum primo Gothorum, deinde Longobardorum fuisse perhibetur. Oratores etiam cum Advocatis togati comparebant; nec alio habitu dicere, vel causas audire poterant; imo Arcadius & Theodosius minor aliique eos appellabant togatos, & ad antiquam Romanam maiestatem conservandam non palliati, nec penulis induti, sed toga tantum tecti orare, aut dicere poterant. Sed nec Augustus populum Romanum passus est penulatum spectaculis interesse; eo enim habitu cum spectantes vidisset, exclamavit: *En Romanos rerum dominos, gentemq́; togatam*, & edicto monuit, ne ullus extra togam ludos spectaret.

Doctores etiam utriusque Collegii in publicis solemnitatibus epomide mustelis Alpinis variata humeris induta spectantur: nec rarò defuncti hoc modo efferuntur, imo in tumulis conduntur.

Fe-

Festa Vniversitatis solemnia & Collegiorum Divi tutelares. Cap. LXVIII.

VNaquaque Scholarium natio Divos suos tutelares habet, eorumq. festa privatim ex statutis venerari possunt non publicè. Toti verò Vniversitati tria sunt festa solemnia, nempe D. Lucæ, S. Catharinæ, & D. Thomæ, quæ à toto Gymnasio observantur. Solemnitas D. Lucæ, cum olim incideret in principium studii, celebris erat: hodie cum hic D. Evangelista peculiaris Medicorum sit tutelaris, eo die magna pompa ad amplissimum D. Iustinæ templum, ubi eius corpus summa veneratione asservatur à Medicis concurritur, & post solemne sacrum oratio habetur de laudibus Divi Lucæ. Collegium verò facem ceream & Ducatum unum Ecclesiæ quotannis offert. Etsi verò D. Catherina omnibus, qui literis operantur auxiliatrix Diva & Patrona celebretur, attamen hæc Sanctissima Virgo & Martyr peculiariter tutelaris est Vniversitatis Iurisconsultorum. Qui olim solent quotannis accedere ad Ecclesiam S. Andreæ, ibique ad peculiarem sibi aram solemniter sacrum procurare.

Eodem exemplo & cultu Vniversitas Philosophorum, & Medicorum sibi in patronum D. Thomam Angelicum Doctorem selegit. Eius festum die v Martii solemniter celebratur confluentibus ad Ecclesiam D. Augustini magna pompa professoribus & scholaribus. Consiliarii autem cereos quindecim quos gerunt suo Patrono offerunt. In hac Ecclesia solemne sacrum & oratio excipit de laudibus Divi Thomæ, cuius instituti Ambrosius Barbavarius Sac. Theologiæ publicus professor anno M C L X I auctor fuit.

Collegium Theologorum non inferiore veneratione Sanctum Ecclesiæ Doctorem D. Hieronymum in patronum electum colit. Die xxix Septembris in aliqua Ecclesia ad

De-

Decani arbitrium ubi omnes Doctores Theologi conveniunt, & post solemne sacrum impetrata Defunctis quiete orationem de laudibus huius Doctoris audiunt. Novum Priorem, & Officiales postea calculis sorte eligunt Officiales. In cuius Tutelaris memoriam quilibet Laurea decorandus in prȩfatione punctorum post invocationem divini & supremi Auxilii, & B. Virginis, Divi Hieronymi tamquam Collegii Protectoris meminit.

Memorabilis, non ita dudum consuetudo fuit, utriusque Vniversitatis supplicationes in festo Corporis Christi, & D. Antonii, post Doctores exornare. Sed ea nescio qua de causa, nunc desiit.

De ministris Vniversitatis Bidellis, Notariis, & Cancellaris, ac Typographis. Cap. LXIX.

CVilibet Vniversitati sui sunt ministri, inter quos bini Viatores, vulgo Bidelli Generales, Iuristarum, & Artistarum. Illi adsunt sex alii Bidelli inferiores. Alteri unus tantum socius. Horum nisi levis existimatio. Munus hoc iis perpetuum salario satis luculento, ex candidatis, & ex collectis Gymnasii. Vterque toga ex panno violaceo indutus sceptrum argenteum præfert in actionibus publicis suæ Vniversitatis. Qui Iurisconsultis adest, senos habet sibi astantes Bidellos. Quorum bini Iuris Canonici Doctoribus ordinariis tam primi, quàm secundi loci operam præbent. Pariter Iuris Civilis Professoribus totidem. Alii duo legentibus Ius Canonicum, & Civile in tertiis locis.

Horum præterea cura est scholas aperire & claudere, ac conservare immunes. Introducunt Lectores, quos foris expectant. Festa in scholis indicant. Candidatos in Collegium, & post Laureatos è Collegio domi deducunt, à quo suum honorarium recipiunt. Symbola colligunt in scholis.

Ad

Ad consilia Vniversitatem convocant. Rectorem diebus festivis euntem ad Ecclesiam & domum redeuntem comitantur. Exsequiis Doctorum & Officialium Vniversitatis assistunt. Reparandis subselliis, fenestris scholarum Gymnasii annuam mercedem recipiunt, publicis Gymnasii immunitatibus & privilegiis gaudentes. Speciales Bidelli olim candelas mane Professoribus, ac Scholaribus accendebant.

Notarius Vniversitatis eligitur à primis Notariorum Collegii, qui juramentum præstat Rectori. Munus eius summa fide acta Vniversitatis, decreta & privilegia conservare. Rectori sedenti pro tribunali adesse. Nomina Licentiatorum, & Candidatorum in unum volumen registrare, Catalogumq. Professorum. Item matriculam tenere. Habet suum honorarium pro quovis examine. Immunis insuper est à Datiis pro sua familia. Potest arma ferre, aliisque privilegiis gaudet. Inter eos eminuere Iurisconsultorum Notarius Gaspar Villanus, aliique, quorum hodie vestigia Mionus sequitur, quemadmodum & Artistarum Petrus Mœrius.



Bidellus generalis. Bidellus inferior.

Iuris studiosorum Bidelli Generales ætate Riccoboni Silvester Basilica, cui successit Antonius Centofantius, & in eius locum postea suffectus est Bernardinus Marostica, inde Iosephus Mainus, post Io. Baptista Tolfa. Anno MDXCVII Io. Antonius Zara, cui successit eius frater Orlandus Zara, qui obiit M D C L, eique suffectus est Stephanus Zitiachele elegantis ingenii, ac pictor non ingratus.

Artistarum Vniversitati Iacobus Ceronius deserviebat, cui successit Antonius Nonius. Anno M D L X X I I Andreas Talentus humanis literis, ac poëtica facultate instructus, sed anno M D L X X I V per acerbo fato sublato, eius filius Baptista Talentus subrogatur. Anno M D L X X V I Antonius Rosatus eligitur, concesso loco inferiori Bidello Leoni Talento alteri Andreæ filio.

Rosato senectute confectus obiit, & in eius locum substituitur vir elegantissimus, & solertissimus Bernardus Moneghina, qui annos decem operam suam publico Gymnasio jam dicaverat, anno tandem M D C X X magno studiosorum gaudio eligitur eodem ardore & elegantia. Professoribus, ac Studiosis omnibus promtum se præbet jam anno ætatis L X V I ingressus.

Massarium dicunt, qui curam habet bonorum omnium Vniversitatis. Eligitur à Scholaribus Patavinis matriculatis prudens & fidelis, qui dat fideiussorem. Officium eius est redditus & pecunias Vniversitatis administrare, & bis rationem reddere in anno Rectori, & Consiliariis Vniversitatis, cui honorariis diversis onus compensatum. Initio spectatæ prudentiæ Viro hoc munus committebatur, cui in Gymnasio insignia unà cum Consiliariis erigebantur, qualia adhuc in magno auditorio Vitaliani spectantur. Hodie Bidellus plerumque hoc Massarii onus sustinet.

Redditus Vniversitatis Artistarum sunt Ducatos xxv exigendi singulis annis à Doctoribus legentibus de portione suorum salariorum tempore Carnis privii.

Item

Item Lib. IV persolvendæ à quolibet examinando in Artibus & Medicina. Item sol. XXXIV à quolibet scholare matriculando. Item pecunia, quæ remanet de expensis Anatomiæ, & in festivitate S. Thomæ, & de exigendis condemnationibus, seu de pœnis.

Vniversitas in Collegio Veneto ex deposito Laureandi habet suum honorarium.

Eligitur etiam ab Vniversitate Typographus, cuius est onus suis typis edere Rotulum, & Paginam Gymnasii: & gaudet quibusdam privilegiis.

De Stationario. Cap. LXX.

CElebris erat olim Stationarii dignitas. Hic enim eligebatur stipendio à Rectore, & Cõsiliariis, & in matriculam Officialium ascribebatur, privilegiis scholasticis fruebatur, & domum prope Eccl. S. Antonii habitabat. Eius onus erat singulare, libros Scholarium discedentium, ac Professorum diligenter apud se conservare vnà cum reliqua supellectile. Initio suæ electionis fideiussionem præbebat librarum CCCC. aliaque subire negotia, quæ Statutis præcipiuntur.

De Hastiludiis, & Choreis Scholarium. Cap. LXXI.

ROmanæ prudentiæ exemplo, qua post labores varia ludorum genera instituebantur, ad sublevandos scholarium animos, rectè à maioribus nostris in hoc amplissimo Gymnasio splendidi ac magnifici introducti fuere unoquoque anno ludi. Alii à Rectoribus Gymnasii post assumptionem caputii ipsius expensis fiebant, alii ęre quod Consiliarii Vniversitatis exigebant à Lectoribus publicis pro biretis, caponibus, festivitatibus, ceterisq. donariis scholariũ antiquis.

Fiebant autem choreæ in palatio Iuris, quibus præerant XII Ludiarchæ, vulgo Mazzeri, à Rectore, & Consiliariis electi, nimirum quatuor scholares forenses matriculati, totidem scholares Patavini matriculati, pariterq. nobiles Patavini. Isti ordinabant choreas, & procurabant, ut omnes æqualiter essent choreæ participes. Si pro choreis facerent hastiludia, expendebantur centum Floreni in bravium. Omnia peragebantur consensu Illustrissimorum Vrbis Præsidum, Nobiliumq. Decurionum singulari pompa & applausu ab utraque Vniversitate.

De quibusdam Statutis ad utilitatem & dignitatem Gymnasii pertinentibus. Cap. LXXII.

PRæter Statutum de habitu longo Professorum & Scholarium in publicis scholis & actionibus ferendo, additum est quod Professores tum ordinarii, tum extraordinarii Gymnasii ad docendum non admitterētur in hoc Lyceo nisi sint Doctores in publicis Collegiis laureati, iis etiam seclusis, qui Doctores facti à Comitibus Palatinis. Qui si ingrederentur scholas ad habendas explicationes suas minori numero, quam sex auditorum pœna librarum decem pro singulis huiusmodi lectionibus punirentur.

Decretum præterea fuit à Senatu Veneto, ut subditi Reipublicæ non possint in alia Gymnasia accedere ad studia exercenda quam in Patavino, & qui alibi Doctoratus insignia fuerint adepti, privilegiis careant quibus perfruuntur Laureati in Collegiis Patavinis.

Vetitum quoque Patritiis Venetis an. MCCCCLXXIX publicum docendi munus cum honorario in hoc Gymnasio obtinere, sed nec sine honorario.

Constitutum etiam, duos Patavinos Professores non posse eodem tempore eandem exponere materiam ordinarii, ac substituti nomine, sed concurrentem quem vocant, alte-

terum semper eligendum esse advenam.

In exterorum gratiam sancitum est Primas Cathedras rarò Patavinis civibus concedendas. Cetera brevitatis causa hic omissa, quæ in utriusque facultatis Statutis obvia.

De Bibliotheca publica Gymnasii. Cap. LXXIII.

POst viridarium publicum nihil magis agitabat Senatorum animos, quam de exstruenda Patavii Bibliotheca. Quod tandem summis precibus excitante & exhortante Felice Osio Mediolanensi Artis Oratoriæ publico professore, Librorum avidissimo, prompti ingenii Viro clarissimo & studiosissimo sancitum est. Adminiculante potissimum & procurante Dominico Molino, qui tunc Gymnasii Moderator erat. Senator equidem gravissimus literatorum ocellus verè & Mœcenas amplissimam jam Bibliothecam congesserat, totusque in Librorum delectationem ferebatur, & in Literatorum conversationem. Fruimur hodie eius Fratre Francisco, Serenissimæ Reipublicæ Venetæ Duce.

Ego cum Osio mihi amicissimo plura de loco, de pecuniis pro ædificio, pro eius augmentatione, conservatione & delectu Amplissimis Moderatoribus proposui. Quibus ferè omnibus communi Patrum consensu anno MDCXXIX probatis, Bibliotheca pro Gymnasii splendore fuit aperta, Præfecto ipsius Felice Osio.

De loco Bibliothecæ plurimum disputatum fuit. Alii prope Gymnasium: Alii in vico S. Crucis in Palatio Magnifico Prioli: Alii in scholis ipsis: Quidam in Palatio nobilium de Collaltis æstimabant constituendam. Locus tandem selectus est in ędibus Iesuitarum, & quidem in scholis eorumdem Patrum. Delicias præbebat plurimas loci amœnitas, ædium maiestas, conspectus extra Vrbem & fluentium aquarum suave murmur cum spaciosis deambulationibus peristyliorum

rum

rum & arearum cum hortis, plantis, & vineis undique consitis. Verum hic Apollinis, & Musarum videbatur domicilium. Supra ostium fuit denuò erectum Leonis simulacrum cum tali inscriptione:

BIBLIOTHECA
GYMNASII PATAVINI
SERENISS. REIP. VENETÆ DECR.
CIVIVM ET EXTERORVM COMMODIS E.
SALVTIS ANNO MDCXXXI
FRANCISCO ERITIO PRINCIP.
PRÆT. VINCENTIO CAPELLO. PRÆF. PETR. SAGR.
GYMNASII III VIRIS
FRANCISCO MAVROCENO PROC.
HIERONYMO CORNELIO EQ. ET PROC.
DOMINICO MOLINO.

Anno itaque MDCXXX paratis subselliis, Bibliothecam Bartholomæi Silvatici I. C. celeberrimi, & à Consiliis Reip. Venetæ à Benedicto Silvatico Equite Primario Medicinæ Practicæ Professore dono Reipublicæ data, hic collocarunt: quo tempore pestis Vrbem Patavina in vexare cœperat, quæ in dies fulguris in modum aucta plebem, & cives percutiens Clariss. Gymnasii Professores eripuit, inter quos etiam Felix Osius occubuit, dum Bibliothecæ Pluteis conficiendis præesset. Pervertit hæc mortalium clades Bibliothecæ opus, eiusque incrementum, extinctoque sub eius primordiis parente, elanguit, clausisque januis viduata diu permansit. Vrbe tandem Dei benignitate liberata placuit Illustrissimo Aloysio Valaressio Equiti, civitatis Præfecto, nunc vero D. Marci Procuratore, Bibliothecam hinc transferri in cœnaculum Præfecti amplissimum, quod vulgo

à pi-

à picturis pulcherrimis Heroum appellatum *Il Salone dei Giganti*, paratis novis subselliis & pluteis pro libris collocandis, quorum supellex aucta est dono Cæsaris Cremonini, qui suos Libros, & M.S. huic loco legavit. Huc etiam translati Bartholomæi Soveri Professoris Mathematum celeberrimi Libri scripti. Quibus patrui sui Pompei Caimi Vtinensis Professoris Medici bibliothecam Iacobus nepos I.C. & Professor publicus addidit. Ostio hæc inscriptio apposita.

Η ΟΠΛΟΘΗΚΗ ΑΘΗΝΑΣ

QVÆ EX S. C. AD ÆDEM D. MAR. MAGDAL. PRIMVM

POSITA { FRANC. MAVROCENO D.M.P. / HIERONYMO CORNELIO EQ. / ET D. M. P. / ET DOMINICO MOLINO } R. L. III. VIR.

VINCENTIO CAPELLO PRÆT.

ET PETRO SAGREDO P. V.

VT IN HANC BASILICAM REDIGERETVR

SVCCESSIT ALOYSIVS VALARESSVS EQ. P. V.

FRANC. MAVROCENO D. M. P.

HIER. CORNEL. EQ. ET D. M. P.

ET PETRVS FOSCARENVS

AVCTORES FACTI

MDCXXXII. KAL. OCTOB.

FRANCISCO PISANO PRÆTORE.

ALOYS. VALARESS. EQ. P. V.

SENATVS VENETVS

MVSIS EVGANEIS

ANNO DOMINI MDCXXXII.

FRANCISCO ERICIO DVCE.

Bi-

Bibliothecæ curam nemine tunc ambiente, eam Alexander Syncliticus I.C. & Professor Legum Primarius aucto sibi salario Florenorum centum obtinuit, addito custodis titulo Paulo Frambotto bipliopola. Sed ut vir erat omnium literarum peritissimus, sic ad Bibliothecæ calamitatem accessit, quod ille senectute & studiis occupatissimus longo tractu à Præfecti curia abesset, ut vix eam bis in anno inviseret. Ita sacrum hoc ęrarium semper clausum frustra videbatur erectum, aliorumque commodis parum utile. Anno M D C X L V I I defuncto Synclitico plurimis Viris Clarissimis munus id frustra petentibus Octavio Ferrario Artis Oratoriæ Professori celeberrimo oblatum fuit, à cuius diligentia non minus incrementi, quam à singulari eruditione præsidii, decorisque meritò expectamus; quandoquidem in conservationem & augmentum Bibliothecæ decretum fuerit quod quilibet Laureæ candidatus, & præterea in collegium quodcunque uniuersæ ditionis Venetæ recipiendus duos solvat coronatos argenteos; Professores quoque recens acciti, aut in aliam Cathedram translati honorarii decimam in eundem usum pendeant.

De Schola Grammaticæ Latinæ, ac Græcæ, itemque Arithmeticæ peculiariter instituta Civitati. Cap. LXXIV.

NE illotis manibus juventus sublimiores disciplinas involaret pio consilio Annibal Rugerius Civis Patavinus, & I.C. liberis destitutus suas opes in publica Vrbis commoda, pueris atque juvenibus cuiuscumque conditionis erudiendis Scholas binas publicas erexit, alteram Grammaticæ Latinæ & Græcæ, alteram Arithmeticæ. Huic instituto anno M D X V I Iurisconsultorum Patronorum Collegio bona sua testamento commisit hoc pacto, ut post eius obitum in-

instituerctur Grammaticæ præceptor, quo pueros adolescentesque omnes gratis doceret, ducatorum aureorum CC honorario, eique sua mercede Didascalus adderetur. Pari liberalitate alteri scholæ Arithmeticæ Magistrum assignavit centum ducatorum salario. Quæ omnia ipso defuncto summa fide & cura à I.C. cęterisque hæreditatis procuratoribus bono eventu peracta fuere. Beneficium sanè omni memoria dignum: cui ad pleniorem notitiam testamenti partem subiungere, æquissimum mihi visum fuit.

Bonum ideo dicitur bonum, quia sibi est communicativum, ut bonitatem suam omnibus indifferenter communicet, & quanto communiùs & diuturnius est, & circa nobiliora versatur, tanto melius ab omnibus esse censetur. Bonum est igitur de bonis suis pro corporis sustentatione pauperibus erogare: melius tamen est animam bonis moribus & virtutibus alere, vel alio adhibito medico alendam pro cordis affectu procurare. Quod quidem considerans Spectabilis Iuris utriusque Doctor D. Annibal Rugerius q. D. Ludovici civis & habitator Paduæ in contrata Domi, gratia Domini nostri Iesu Christi mente & corpore sanus, cupiens de bonis sibi à Deo collatis ita disponere, ut dispositio sua Dei cedat honori, saluti animæ suæ salubriter consulendo, & ad capescendos mores, adipiscendasque virtutes & scientiam adolescentes laudabiliter invitet præsens suum nuncupativum testamentum per quod circa promissa perpetuis temporibus modum pro viribus exhibeat in hanc formam facere procuravit. Primo namque animam suam altissimo Creatori suo humiliter commendavit, Corpus vero suum antiquæ matri tradi voluit per horas quadraginta post emissum spiritum, & non ante loco, modo, & forma, quibus placuerit infrascriptis suis hæredibus, Commissariis & executoribus. Voluit tamen quod antequam sepeliatur dicantur Missæ gloriosi & deuotissimi Sancti Gregorii in tribus Ecclesiis, videlicet in Ecclesia Cathedrali, in Ecclesia S. Francisci de observantia, & in Ecclesia S. Antonii Confessoris nostri de Padua, & si

dictæ Ecclesiæ non haberent triginta Sacerdotes pro quaque, voluit quod aliunde dicantur ad supplementum vel per gubernatores ipsarum, vel per infrascriptos Commissarios. Itaque simul & semel, ac eodem instanti in qualibet ipsarum Ecclesiarum dictæ Missæ celebrentur piè ac deuotè pro anima ipsius D. Testatoris & omnium defunctorum, & unicuique dictorum Sacerdotum dari mandavit solidos quatuor, & candelas duas pretii solidi unius pro quoque. Reliquis omissis.

In omnibus autem aliis suis bonis mobilibus, & immobilibus, iuribus & actionibus præsentibus, & futuris ubique locorum positis, & situatis quomodocumque & qualitercumque ad ipsum Testatorem nunc, & in futurum spectantibus & pertinentibus suum hæredem universalem pariter, & Commissarium instituit & esse voluit Sacrum Collegium DD. Doctorum Iuristarum Civitatis Paduæ, in quo descriptus est ipse D. Testator, & quia semper fuit incertum quid afferre posset hora sequens, propterea si quo casu præfatum Sacrum Collegium esset impeditum, vel in futurum impediretur, quo minus posset libere exequi quantum per præfatum D. Testatorem disponitur, & ordinatur; tunc & eo casu & non aliter loco sacri ipsius Collegii instituit, sive substituit præstantissimum Collegium Notariorum Paduæ, & si quo modo impeditum esset, vel impediretur, ut supra, instituit, sive substituit Civitatem Paduæ, & cessante impedimento voluit dictam hæreditatem redire ad præfatum Sacrum Collegium DD. Doctorum. Volens & ordinans dictus Testator quod redditus bonorum hæreditatis suæ dispensetur modo & forma inferius declarandis. Nam si vires facultatis suæ erunt tales, quod tempore mortis suæ ex ea percipiantur annuatim ducati ducenti de redditu & aliquid ultra pro exactione fructuum & redditTuum, & pro conservatione bonorum suæ hæreditatis, voluit quod immediate fiat ut infra dicetur: si vero minor ex dicta hæreditate perciperetur, voluit quod differatur per aliquot annos, & quod de fructibus & redditibus dictæ hæreditatis, ac de pecuniis investiendis, quæ in ipsa hæreditate reperirentur, emantur tot bona stabilia in Padua, vel territorio Paduano, ex qui-

quibus habeantur & percipiantur quolibet anno ducati ducenti, & aliquid ultra ut supra.

Et tunc voluit & ordinavit dictus D. Testator, quod diligenti inquisitione perquiratur & inveniatur aliquis praeceptor doctissimus literis Latinis, & Graecis, Italus, morigeratus, fidelis, Christianus, honestae vitae, & timens Deum aetatis annorum quadraginta vel circa, solutus, & liber ab onere matrimonii & si fuerit Clericus secularis sit liber ab omni cura animarum, & ab obligatione celebrandarum Missarum, & aliorum divinorum officiorum in quacumque Ecclesia, non tamen apostata, nec religiosus alicuius religionis aliquo modo, iure, vel ingenio, solitus & expertus ad tradendum adolescentibus bonos mores, & bonas literas Latinas, & Graecas, nemini tamen volenti, & instanti Graecas tradere possit, nisi prius optime consummato, & resoluto in Latinis, cum magis turpe sit nostras literas ignorare; qui quidem praeceptor sic declaratur, postquam conductus fuerit, teneatur, & obligatus sit instruere & docere omnes nobiles cives, populares, parvulos, adolescentes, iuvenes & cuiusque aetatis ediscere volentes tam Clericos, quàm seculares, tam huius Civitatis Paduae, quàm castrorum & totius territorii Paduani, ac etiam Hebraeos, secundum tamen Christianam Religionem gratis & amore & sine aliquo praemio & munere etiam minimo, sed publicè & palam in suis scholis publicis & non in domibus suis, vel aliis domibus privatis, nec clandestine, sed omnes aequaliter instruere & docere teneatur, etiam aliunde venientes admittere debeat ad audiendum tantum lectiones, & pro eius mercede & salario voluit ipse D. Testator sibi dari & solvi debere singulo anno ducatos ducentos de redditibus haereditatis suae. Volens insuper & ordinans ipse D. Testator quod talis Praeceptor in tradendis moribus & literis praedictis observare inviolabiliter teneatur normam, regulam, formam, & modum, quem ipse D. Testator in quodam suo formulario, & compendio facere intendit, vel pro ut per praefatum sacrum Collegium ordinatum fuerit, casu quo idem D. Testator talem normam & regulam non tradiderit. Omissis quae ad electionem pertinet.

Item voluit præfatus D. Testator, quod si contingat eum tot annos vivere, & in tantum eius facultas augeri, quod ex his commode percipi possint annuatim de redditu ducati tercenti, & ultra ut supra dictum est, eodem modo & forma conducatur & eligatur unus optimus Arithmeticus, Scriptor, & Quadernarius, cum salario ducatorum centum, qui similiter habeat instruere omnes & quoscunque ut supradictum est in præcedenti dispositione. Quos omnes, tunc cum casus venerit præsentes & futuros addiscere volentes dictus D. Testator abunde secundo loco sibi hæredes universales ad capescendum uberrimum usumfructum dictæ suæ hæreditatis sine mensura instituit & esse voluit, rogans omnes, & eorum quēlibet, ut aliquando memores esse velint animæ ipsius Testatoris, ut eos non tædeat aliquando saltem dicere requiescat in pace. Anno MDXVI die IX Mensis Ianuarii. Notarius D. Aloysius Zupponus.

De exequiis & celebratione funerum tam Professorum Gymnasii, quàm Scholarium. Cap. LXXV.

SVmma solemnitate hoc pietatis officium erga Professores publicos defunctos & scholares persolvebatur.

Solet autem cum graviter infirmatur aliquis Professor forensis Rector Scholarium aut unus ex consiliariis de ordine Rectoris cum Notario eum visitare, eumque hortari ad Ecclesiastica Sacramenta suscipienda, & ut velit testamentum facere, aliquid de suis bonis publicè Vniversitati legare ad sui memoriam. Et cum ad extremum vitæ fuerit, propinquius debet ei assistere, emissaque ad Superos anima, debet de omnibus rebus suis ac bonis per Notarium facere inventarium. Reservantur omnia sub sigillo. Fiant ex eis impensæ necessariæ pro funere & sepultura. Quod si ab intestato decedat & neminem habeat ad quem eius bona & hæreditaria jura perveniant Vniversitati applicantur, nec ab alio

quam

quam ab ipsa Vniversitate possideri possunt. Monumenta in eius memoria aliquando in Ecclesiis conduntur, aliaque iuxta scholarium beneplacitum fiunt.

In unoquoque funere Professorum Rector convocat per Bidellum Vniversitatem & alios Doctores ad honorandum funus illius defuncti, nec in illa hora legitur in Gymnasio.

Accedunt ad eius domum, & si fuerit Doctor eius cadaver affertur per solos scholares, quos ad hoc Rector elegerit cum presbyteris sacros hymnos de more Ecclesiæ persolventibus, cum cereis accensis, quos deferunt ipsi Consiliarii cæterique scholares. Defertur ad fores Gymnasii ibique tribus vicibus è feretro attollunt, tamquam vltimum ave Scholis diceretur. Postea ad Ecclesiam ubi condendum est, afferunt. Assistunt Funeribus & Missæ, intra quam de more habetur oratio de eius laude, idque iuxta Doctoris possibilitatem & divitias. Imo etiam invitantur Rectores Civitatis qui ad hoc munus de more accedere tenentur. Si vero nihil habeat Doctor unde sepeliatur, ut Robertello humanarum literarum professori advenit, aliisque pauperibus Professoribus sepelitur ipsius Vniversitatis impensis vel Scholarium symbolis.

Vniversitas adhuc non obtinet propria sepulcra ad corpora Doctorum, vel suorum Officialium condenda: solummodo Inclyta Natio Germanorum hæc habet in Ecclesiis Eremitarum & S. Sophiæ, eorumque scholares ab ipsa natione magna cum pompa sepeliuntur.

Cæteri in monumentis particularium, vel Patrum alicuius Ordinis conduntur, sicut de Guido Pancirolo I.C. celeberrimo, qui in sepulcro Monachorum D. Iustinæ jacet sicut ipse viuens concupiverat. Hodie extat pro Professoribus exteris sepulcrum Pauli Benii, id ut ex inscriptione in Ecclesia Monialium S. Claræ.

PAV-

PAVLI BENII EVGVBINI
ET EXTERORVM
PATAVINI GYMNASII DOCTORVM
QVOS IVVERIT HOC SAXO
CONDI
ANNO SALVTIS MDCXI.

In funere Rectorum Gymnasii fiunt magnæ solemnitates, & pro ipsius fortunis, & scholarium erga eum benevolentia. Cui etiam publica monumenta splendidè eriguntur, sicut & publicis Professoribus, quæ in Templo S. Antonii & aliorum Divorum videntur, quorum in volumine à me edito MDCXLIX Inscriptionum Patavinarum copia est.



I A-

IACOBI PHILIPPI TOMASINI EPISCOPI ÆMONIENSIS De Gymnasio Patavino Commentaria.

LIB. II.

De Doctoribus Iuris Civilis & Canonici clarioribus Gymnasii Patavini ab Anno 1147 *ad Annum* 1400. *Cap. I.*



AD statutum ordinem pergentes eam Doctorum seriem prosequimur, quam ex scriptis publicis & privatis accepimus, omissis iis, quorum memoria temporis vetustate exolevit. Priscis enim monumentis constat, antiquissimum GHERARDUM POMEDELLUM Iuris professorem adhuc juvenem anno 1159 à populo Patavino è cathedra ad Episcopatum fuisse evectum: eiusque præcessorem pariter IOANNEM CACCIUM Patavinum anno 1149, ut ex illius sepulcro constat, publicè in Gymnasio Patavino docuisse. Quo tempore non ita usitatum erat Doctoris titulo Viros ornari. Etsi vero notitię tum publicæ, tum privatæ, Vrbe anno 1174 conflagrante perierint, tamen ex insigni sepulcri mole apud D. Stephanum, Antonium Lidium, seu Lyum Patavinum inter Iurisconsultos illius seculi primos floruisse, magnamque hominis sapientiam & Iuris prudentiam indicat Elogium ibi appositum. Obiit ętate gravi 1208. Puto etiam circa ea tempora Gymnasiis vicinarum civitatum penitus sublatis, & Patavina Vrbe cæteris dominante, Lyceum nostrum Professoribus floruisse. Vicentiæ quidem Scholas anno 1209 die 7 Iulii Monachis Camaldulensibus con-

concessas fuisse perhibet in Historia Vicentina Iacobus Marzarius. At postquam Cæsar Federicus II Bononiensibus graviter offensus in Patavinam Academiam Anno 1222 Bononiensem transtulisset, Professores scientiarum ac artium etiam cum studiosa juventute huc transmigrasse verisimile est. Inter quos etiam video Accursium Regiensem I.C. celeberrimum hoc in Gymnasio docuisse & disputasse, ut ex Alb. Gand. de Bannitis pro maleficio in fine constat hisce verbis: *Hæ duæ quæstiones disputatæ fuerunt in Civitate Paduæ in Scholis per Dominum Accursium de Regio.*

Post hæc tempora sub annum 1290 Ius Civile legisse arbitror Iacobum ab Arena Parmensem, & Rolandum de Placiola vico Patavino, qui floruit vnà cum Albertino Mussato ad Henricum Septimum Imperatorem Orator, quamquam exiguo discrimine in albo Iurisconsultorum Patavinorum ad annum 1300 refertur.

1293 Boccatinus Mantuanus Arcipresbyter Patavinus Ius Canonicum explicare cœpit, quemadmodum ex eius Epitaphio in peristylio Cathedrali colligitur.

1300 Ioannes Angusciola Cæsanas Ius Pontificium interpretatus est.

1310 Oldradus à Ponte Laudensis Dini discipulus, & Ricardus Malumbra Cremonensis Iacobi ab Arena auditor Ius Civile exposuerunt: Is Venetias vocatus ad condendas Reipublicæ leges, ibidem obiit anno 1334, in D. Pauli æde propè januam tumulatus.

Nicolai verò Malumbræ Iuris Professoris Patavii ad Divi Augustini Portam Septentrionalem sublime sepulcrum inscripto carmine spectatur. De quo in nostris Inscriptionibus Patavinis editis anno 1649.

1314 Nicolaus Matarellus Mutinensis Ius Civile Patavij exponebat & forsitan Paulus Titulus, Nicolaus Plebeius, ac Iacobus Antonius Stennus, sive de Malitia Patavini I. C. celeberrimi in patrio Gymnasio Ius docuere.

1320 Ioannes Andreas Bononiensis. Hi omnes Iurisconsulti Reipublicæ Patavinæ operam locarunt; qui sequuntur CARRARIENSIVM Principum dominio.

1338 Antonius Sanctangelus Patavinus ad jus Canonicum invitatus.

Reiuerius Arsendus Forolivienfis, magister Bartholi, postquam Bononiæ cum Iacobo Belvisio docuisset, Pisas deinde accitus, anno 1330 ab Vbertino III Carrariensi Gymnasii Patavini instauratore, sexcentorum aureorū ingenti ea ętate honorario, docere cœpit. Quod onus usque ad ultimum vitæ terminum magna cum laude sustinuit. Obiit anno 1358, in Æde D. Antonii cum elogio sepultus.

Eodem ferè tempore Fridericum & Arsendinum filios ambos Iurisconsultos hic docuisse legimus. De Arsendini de Arsendis I. C. uxore, egregia Domina Catherina della Benelda extat sepulcrum in eadem Ecclesia, cum inscriptione, ut in nostris monumentis Patavinis videre est.

Eadem ætate Ægidius Mandelbertus Cremonensis jus Pontificium Patavii interpretabatur. Carlinus verò eius frater civile, qui postea in Curia Romana causarum patronus magni nominis fuit.

1345 Bartholomæus & Angelus Pagliarini Iuris interpretes.

1346 Bartholus Saxoferrariensis jus civile per aliquot annos professus, Rainerium olim præceptorem, collegam habuit acerrimum, & à meridie Signorolum Homodeum, adeoque singulis diebus bis docuit.

1350 Victor Dulcis Feltrensis & Ioannes San cto Georgianus Bononiensis, gener Ioannis Andreæ jus Pontificium docebat; cuius uxor Bitinia hoc anno Patavii obiit, & apud D. Antonii Templum condita, in cuius tumulo figura mulieris quiescentis spectatur.

1360 Bartholomæus Capivacceus Patavinus Iurisconsultus hic & in aliis Italiæ Gymnasiis legum professor cele-

bris. Consuluit cum Baldo & Paganino Sala. Ricardus Salicetus, & Salvanus Bononiensis jus Pontificium anno 1373 interpretati.

1370 Boniacobus Sanvitus & Zilietus Patavinus I.C.

1378 Baldus Perusinus ad jus Civile vocatus docuit. Bartholomæus Salicetus Ricardi nepos Bononiensis anno 1373 Bononia expulsus Patavium concessit, ubi à Francisco II Carrariensi humaniter exceptus per quadriennium jus civile interpretatus est.

Nicolaus Spinellus Neapolitanus in textu maximè versatus jus civile biennio docuit. Obiit anno 1380, cuius filius Belfortis Episcopus Catanensis anno 1439 Collegium Patavii instituit, quod Spinellorum vocatur.

1380 Angelus frater Baldi jus civile declaravit.

Arsendinus de Arsendo pariter.

Albertus Guidelotus Perusinus.

Philippus Cassolus Reginus jus civile tradidit.

Aicardus Alvarotus Patavinus I.C. docuit usque ad Annum 1382, quo obiit.

Zilius de Casalis Patavinus juris interpres Cl. & caussarum actor Francisco Carrariensi charissimus.

Ottonellus Discalcius Carrariensibus gratus & I.C. juris Professor clarissimus. Baldus Bonifacius Plumbinus.

1381 Per hæc tempora Benedictus Petrucius Senensis jus Canonicum exposuit,

1382 Michael de Reprandis Marosticensis.

1385 Petrus Ancaranus.

Ludovicus Cortusius Patavinus I.C.

Ioannes Ludovicus Lambertacius I.C. & Orator insignis & primus omnium Doctorum Gymnasii.

Benedictus Plumbinus.

1399 Bartholomæus de Saliceto, & Petrus de Alvarotis de Padua juris civilis Doctores eximii habebantur, ut ex privilegiis Laureæ eo tempore collatæ perspicuum est.

De

De Doctoribus clarioribus Gymnasii ab anno 1400 ad annum 1500. Cap. II.

1400 IN Gymnasio Patavino florebant Professores jurisprudentiæ clarissimi præter Battholomæum Salicetum Benedictus Plumbinus in jure civile, Daniel Ridus, & Thomas Genuarius Patavini, itemque Franciscus Zabarella legum & præsertim Pontificiarum omnium coripheus, qui per plures annos ante millesimum publicè docuit.

Hoc etiam tempore Ioannem ab Imola hic docuisse, testis Pancirolus in hæc verba: *Is Laurea accepta, cum Patavii profiteri cæpisset, tanti nominis fuit, ut omnes sui temporis Iurisconsultos superaverit. Vnde a Nicolao Atestino Ferrariam ad illustrandam eam Academiam Anno* 1402 *conductus, ubi ius civile per aliquot annos docuit.*

1404 Franciscus Ramponus Bononiensis ad jus civile explicandum cum Ioanne Pleone Ariminensi conductus est, qui primus Ferrariæ cum Benedicto Plumbino docuisse dicitur, utrumque postea Patavii legisse, ex Iurisconsultorum albo deprehenditur.

Antonius Cortusius Pat. eximius juris Interpres in Academia nostra vixit, usque ad annum 1428, quo vita excessit.

1423 Leo de Lazara Canonicus Patavinus jus civile interpretatus.

1424 Petrus Maurocenus, qui postea in Cardinalium ordinem receptus, cum Prosdocimo Comite Patavino sextum Decretalium diu explicuit.

Ioannes Franciscus Pavinus I.C. Patavinus.

Cosmus Contarenus.

Marinus Zabarella, qui obiit 1427.

Antonius Capilistius Canonicus Patavinus.

Hac ipsa ætate, Pancirolo auctore de I.C. Fantinus Dan-

dulus Venetus vixit. Post hunc Garzo Venetus & Paulus Doctus Patavinus jus interpretati sunt. Doctus in secundam Decretalium partem commentaria edidit, subscriptiones in responsis utriusque Raphaelis leguntur. Item Ioannes Verzelius Patavinus jus Pontificium docuit.

1431 Paulus Castrensis ad juris civilis cathedram accitus Patavii splendidas ædes è regione cœnobii Servorum exstruxit, & docuit usque ad annum 1492.

Angelus Perillus Patavinus I.C.

Io. Franciscus Capilistius.

Bartholomæus Zabarella I.C.

Item Bartholomæus Capilistius, qui obiit 1459. & Fridericus Capilistius per hæc tempora in Lyceo florebant.

Paulus Aretinus.

1432 Ioannes Andreas Tarvisinus.

1435 Franciscus Bradiolus juris Pontificii Interpres Albam filiam Modesto Polentono nupsit, qui hoc anno Iurisconsultus electus etiam publicè docuit.

1440 Iacobus Zocchus Ferrariensis jus Pontificium declaravit per annos 20 summa cum laude, & in veteri D. Iustinæ Monachis choro subsellia exstrui curavit; ubi & conditus.

Iisdem temporibus Dominicus de Ponte Venetus, & Thadæus Vicomercatus Mediolanensis Decretalia sunt interpretati, & post eos Ludovicus de Malitia Patavinus Abbas Pratalеæ, & Prosdocimus à Limena Sacerdos. Deinde Augustinus Michael Venetus Archipresbyter.

Antonius Rosellus Aretinus Monarcha juris ac sapientiæ vocatus post varias Legationes Patavium se contulit, ubi quingentorum aureorum honorario jus Pontificium mane explicavit per annos 28. Franciscum Barocium Pauli II Pont. ex sorore nepotem in Decreto interpretando, deinde Iacobum Zoccum concurrentes habuit. Panzirolo teste. Obiit 1466.

Ia-

Iacobus Leonissa Patavinus.

Io. Iacobus Canis Patavinus I.C. Per hæc tempora.

Belfortius Chechileus, & Antonius S. Lunardus Patavini Legum Interpretes, præter Iacobum Alvarotum, etiam Petrum Collegam Fulgosii, & Comitem, & Franciscum Alvarotum, & Iacobum Iuniorem. De quibus in nostr. Athenis.

1447 Floruerunt Raphael Raimundus Comensis in jure civili, & Raphael Fulgosius Placentinus, qui jus civile matutinis horis docuit.

1451 Benedictus Raimondus Raphaelis filius.

1453 Antonius de Prato veteri Florentinus jus Canonicum professus.

Iacobus Alvarotus feudorum libros interpretatus, hoc ipso anno è vita discessit.

1458 Bartholomeus Cepolla Veronensis, referente Panciròlo, Alexandri Tartagni concurrens fuit, cum quo de loco habuit controversiam. Is anno 1446 peracto studiorum curriculo I.C. creatus ære privato Petri Donati Episcopi Patavini adiutus in hac Academia Ædilitium edictum diebus festis magno auditorum concursu est interpretatus.

Alexander Tartagnus stipendii amplitudine, usu lectionum, & ætate Cepollam præcellebat.

Floruerunt etiam Petrus Barbobus, seu Soncinus, Paulus Doctus, Ioannes Sanlazarus, Laurus Palatiolus, Franciscus Verzelesius, & Ioannes Franciscus Porcellinus, Ioannes Prato, Io. Baptista Sanblasius, Io. Baptista Rosellus, Angelus Turchettus, Petrus Comes, Franciscus Facius, Gaspar Vrsatus Patavini I.C.

1474 Petrus Franciscus Ravennas juris civilis explanator.

1475 Franciscus Brevius Venetus.

1477 Dionysius Franciscus Venetus.

1484 Angelus filius Pauli Castrensis quadraginta annos jus docuit.

Ale-

Alexander Nævus Vicentinus juris Canonici professor.
Ioan. Georgius Branditius Vicentinus juris civilis.
Duo eodem tempore inclaruerunt Gallienus Ancaranus & Galeacius Gurges Vicentini juris civilis Interpretes.
Petrus Molinus Venetus juris Canonici professor.
1486 Iason Maynus Mediolanensis ad jus civile vocatus à Senatu Veneto stipendio mille ducatorum, collega Antonio Vrsato, vespertinis horis per triennium docuit, deinde Pisas concessit.
1489 Post Iasonem Paulus Orianus Brixiensis, & Bartholomæus Vrbinas Paternus per annos 25 jus explicavit.
1498 Bartholomæus Socinus Mariani Senioris filius jus civile interpretatus est, & eodem ferè tempore M. Antonius Raverius Bononiensis.
Iasoni successit Ioannes Campegius Bononiensis: qui revocatus est à Senatu Veneto eodem honorario quod Iasoni collatum, qui antea in hac Academia docuerat, indignè ferens Iasoni stipendium eximium fuisse concessum. Patavium quum esset rediturus, ad eum deducendum Gymnasii Rector, & cum eo circiter quinquaginta Legum studiosi Bononiam concesserunt. Decem annis in prima Cathedra jus Cæsareum professus, à suis civibus rogatus in patriam rediit. Campegii Collega Hieronymus Buttigella Ticinensis I. C.

Pro-

Professores Iuris Canonici horis matutinis in primo loco ab Anno 1500 usque 1653. Cap. III.

1502 PHilippus Decius summus Legum Interpres jus Pontificium in hoc loco honorario Florenorum 700 usque ad annum 1505, quo à Rege Galliæ in Lyceum Ticinense accitus est.

1506 28 Iunii in locum Decii suffectus est D. Antonius de Burgos Hispanus cum Florenis 400.

1509 Ob incendium belli, & fœdere Cameracensi Principum contra Venetos inito, exercitationes publicæ, & prælectiones in Gymnasio intermissæ fuerunt per aliquot annos.

1515 Per hæc tempora Balthasar Carducius Florentinus hanc cathedram decorabat, cui anno 1523 collega in secundo loco datus Marcus Mantua. Carducius 1519 Ludovicam uxorem amisit, quam Patavii in Templo Servorum humari voluit, & mœrore ex ea jactura contracto paucis post annis Venetias se contulit, ubi Mediceam domum publicè lacerando sævientis patriæ statum deplorare non destitit: in eius locum successit

1523 Bernardinus Claricius aliis Gambaro, Bononiensis, qui anno 1528 defunctus in D. Mariæ ab Avantio Templo sepultus est.

1534 Ioannes Baptista Ferretus è secundo loco ad primum traductus. Hanc cathedram abolere placuit Senatui Veneto per aliquot annos.

1545 17 Octobris Iulius Scarlatinus Regiensis per annos tres electus.

1550 Philippus Portius docebat cum Floren. 200.

1551 Ex rotulo primus locus vacat.

1565 Iacobus Menochius è percelebri Montis Regalis Gym-

Gymnasio ad hunc locum vocatus est, quem tenuit usque ad 1572, quo ad jus civile traductus.

1572 Mantua ad primum juris Pontificii Cathedram translatus stipendio Florenor. 800.

1574 8 Octobris Mantua ob sua merita supraordinarius Lector est electus, quam dignitatem obtinuit usq; ad annum 1582, quo obiit ætatis suæ *93*. Vir equidem sua ætate Iurisperitorum Princeps. Cuius vitam evulgavimus *in* nostris Elogiis 1*629* editis.

1574 Data est hæc cathedra Benedicto Barisello Montanianensi.

1575 2 Octobris Bartholomæus Silvaticus.

1581 *9* Decembris confirmatus in hac cathedra & mense Februario Consultor Reipub. Venetæ delectus vnà cum Erasmo Gratiano: & 1583 Eques à Senatu Veneto creatus. 1593 27 Septembris Idem auctus honorario.

1603 4 Octobris Silvatico suffectus est Marcus Antonius Peregrinus qui Calendis Ianuarii 1604 orationem suam inauguralem habuit.

1610 4 Febr. Confirmatus & auctus honorario ad Flor. 800. Obiit 1*616*. Vitam eius libello in gratiam Pauli Doctoris I.C. mei fratris & Proneptis coniugis enarravimus.

1617 *6* Octobris Io. Baptista Silvaticus, cui *1622* auctum est stipendium. Obiit 1624 11 Maij.

1625 *6* Novembris Albertinus Miliara Patavinus. Obiit ex peste 1631 mense Iunii.

1636 4 Nouemb. Lælius Mancinus Canonicus Politianus è Gymnasio Pisano, vbi annis 24 docuerat, in hanc primam Sedem vocatus die 24 Novembris docere cœpit.

1642 21 Octobris Auctum est ei honorarium ad Flor. 1200. Anno 1649 die 25 Februarii confirmatus in eadem cathedra aucto stipendio ad Florenos 1500. & merito. Varia enim concepit ingenii monumenta, è quibus eruditorum manibus versantur. De Relaxatione Iuramenti. *Sacri ju-*

ris

ris controversiæ. Disquisitiones geniales. De Triplicis juris collatione, & consensu Lib. III. De Restitutione famæ. Vita di Sant'Antonio di Padoua 1653. edita.

Professores Iuris Pontificii in secundo loco, Horis matutinis ab anno 1500 usque 1653. Cap. IV.

LEgebat Bertucius Bagarotus collega Decii, cui successit

1500 Antonius Franciscus Doctorius Patavinus collega Decii, & aliorum gravissimorum I. C. præsertim Antonii Corseti. Annos 53 docuit in patria, & in Gymnasio Ferrariensi.

Per hæc tempora docuisse puto Franciscum Facium Patavinum, qui obiit 1505, aliosque nostræ urbis cives.

Intermissum est Gymnasium ob bellum Cameracensem.

1515 Io. Franciscus Mussatus usque ad annum pestilentiæ 1528. quo obiit.

1523 23 Martii Marcus Mantua Benavidius Patavinus collega Balthasaris Carduci Florentini, & die 9 Novembris in eodem secundo loco confirmatus collega Bernardini Gambari primo loco docentis.

1528 Docuit collega Ludovicus Gomezius Hispanus, ut ex Riccobono accepimus.

1530 3 Martii Marco Mantua auctum est stipendium.

1531 12 Martij Iterum auctum est stipendium ad juris civilis locum, ob discessum D. Achillis de Senis.

17 Novembr. ad hunc locum accitus est Ioannes Baptista Ferretus Vicentinus, qui antea in hoc Gymnasio docuerat.

1532 Sigismundus Brunellus Patavinus è secundo loco juris canonici vespertini ad hunc traductus.

1534 Ferretus ad primum locum, sed statim abolita fuit illa cathedra.

1542 19 Octobris. Idem Brunellus confirmatus in hoc loco, & honorario auctus ad Flor. 200.

1543 12 Octobris Bernardinus Bonfius Decanus Canonicorum Templi Patavini. Cui 1546 auctum est honorarium ad Florenos 200.

1547 7 Octobris Auctum est Bonfio stipendium, & collega additus Iacobus Philippus Portius Imolensis. Obiit vero Bonfius 1551 mense Augusto.

1553 16 Sept. Datus est collega Portio à Senatu Veneto Ioannes Riccius Venetus Flor. 350 honorario, qui ornandis ac tuendis Imperii Veneti Legibus plurimum elaboraverat.

1555 Primus locus vacabat, quum in secundo essent Portius & Riccius. Portius traductus ad primum cum Florenis 300.

1561 10 Decembris Portio Romam vocato à Summo Pontifice, in eius locum suffectus est Philippus Montagnana.

1568 24 Septembris Michael Quarantaoctus Patavinus hunc locum sortitus est, collega Iacobo Menochio.

1574 28 Octobris Confirmatus.

1577 Ad feuda traducto Quarantaocto, data hæc cathedra Terentio Terentiano collegæ Bartholomæi Silvatici.

1587 5 Octobris Confirmatus ille honorarii augmento hanc lecturam summam cum laude sustinuit usque ad annum 1590, quo vita excessit. Scripsit Commentaria in Institutiones Iustiniani. Item in omnes partes juris civilis quæ solent publicè explicari: Item in partes juris canonici & consilia multa, quæ apud hæredes nondum vulgata servantur.

1592 9 Novemb. Antonius Zonca Pat.

1598 7 Martii Confirmatus cum Florenis 100.

1602 13 Aprilis Albertinus Miliaria Patavinus cum Florenis 100.

1608 29 Sept. Confirmatus est cum Florenis 200.

1617 6 Octobris Auctus stipendio ad Flor. 400, confirmatur

matur cum paritate primi loci, anno 1625 ob mortem Ioan. Baptistæ Silvatici traductus ad primum locum.

1626 Datus est huic locus Nicolao Noali Veneto Florenis 400, qui Venetias causas Fori Canonici tractabat, qui exacto anno, ob memoriæ defectum Venetias rediit. Vir equidem clarus, cuius extat Liber de Translatione.

1628 Marcus Marchianus Vicentinus, qui hanc Lecturam usque ad annum 1631 summa cum laude exornavit, ac peste sublato Camillo Pancetta ad primum locum juris Pontificii horis vespertinis evectus est auctus honorario ad Florenos 200.

1631 Vacauit hic locus usque ad annum

1641 Quo Iacobus Sala Canonicus Patavinus & Abbas à Lectura Feudorum ad hunc locum progressus Florenorum 450. stipendio.

1647 Auctum ei honorarium ad Florenos 600 docet

1653 summa cum laude.



Professores Iuris Canonici in tertio loco. Cap. V.

1559 ANnibal Buzacharinus Patavinus, vt ex rotulo patet.

1576 Paulus Brazolus Patavinus confirmatus in hoc loco à Moderatoribus Gymnasii.


1592 Thadæus Piso Soacia Guarini filius Patavinus, cuius editus est Commentarius de Sponsalibus & Matrimonio in caput decimum libri primi Institutionum; qui & Commentaria in Institutiones promiserat.

1600 Marcus Antonius Sancta Crucius.

1620 Marius Gusella Patavinus.

1626 Bartholomæus Silvaticus Patavinus juvenis multæ expectationis, nisi morte præ matura præreptus fuisset.

1629 Locus hic vacabat usque ad annum 1653.



Professores Iuris Canonici horis vespertinis in Primo loco. Cap. VI.

1526 Primo Februarii Aggressus publicam explicationem Bartholomæus de Vrbino, cui successit Corsetus per hęc tempora.

1532 17 Octobris Vniversitatis rogatu Senatus elegit Thomam Zanecchinum Vicentinum.

1534 Idem hanc Lecturam continuabat; anno

1542 ob senilem ętatem traductus ad Lecturam Decreti.

1543 Suffectus est Zanecchino Philippus de Matthiolis, qui Criminalium Cathedram obtinuerat, & anno 1548 addito stipendio Floren. 230.

1553 Primus locus vacat

M. Antonius Zabarella I.C. Patavinus.

1560 In locum M. Antonii Zabarellæ electus fuit Gaspar Fabianus Patavinus vir summæ auctoritatis & prudentiæ.

1566 3 Sept. Confirmatus in eodem loco.

1570 & 1577 confirmatus & auctus honorario usque ad annum 1582, quo senectute confectus obiit.

1582 30 Octobris Sebastianus Monticulus suffectus est.

1588 4 Octobris confirmatus in eodem loco, & auctus honorario.

1594 15 Octobris Iterum confirmatus & auctus Floren. Idem 1602, & 1607. Vir ad quemlibet de jure quæstionem decidendam maximè idoneus. Extat eius Commentarius in tres titulos Institutionum de rerum divisione, de rebus corporalibus & incorporalibus, de actionibus, ac Tractatus de Inventario hæredis, cum glossemate ad legem vltimam cap. Codicis de jure deliberandi cum altero Glossemate ad Autenticum de hęredibus & Falcidia, & cum Antiphanutio, hoc est, defensione eiusdem adversus Phanutium.

1611

1611 6 Octobris Iacobus Marta Neapolitanus electus est ad hunc locum Flor. 650. Cui 1615 2 Octobris auctum honorarium ad Flor. 800.

1617 6 Octobris Alexander Synclitícus Cyprius Marthæ suffectus Vir præstantissimus, qui hunc locum usque ad 1623 sustinuit, traductus ad secundum locum juris Cæsarei horis vespertinis in paritate primi loci Carbonchio Carbonchio collega datus.

1624 Camillus Pancetta Saravallensis Canonicus Patavinus è secundo loco in primum suffectus, qui anno pestilentię 1631 extinctus successorem habuit

1631 30 Octobris Marcus Marchianus Vicentinus Canonicus Patavinus, qui auctus stipendio hodie summâ gloria hanc Cathedram tuetur. Anno 1644 confirmatus, & anno 1469 6 Octobris, aucto annuo ad Florenos 800 honorario.



Præ-

Professores Iuris Pontificii horis Vespertinis in secundo loco ab anno 1500 usque 1653. Cap. VII.

1532 17 Octob. Sigismundo Brunello auctum est stipendium.

1533 Alexander Socinus magni Mariani Socini filius electus est in hunc locum, summi ingenii juvenis.

1541 22 Octobris Marcus Antonius Zabarella à Senatu Veneto in hanc cathedram provectus, postquam summa cum laude in hoc Gymnasii publicè docuisset.

1546 15 Ianuarii Zabarellæ auctum est honorarium, iterumq. anno 1553, & traductus ad Primam Sedem anno 1560, cui successit

1560 Gaspar Fabianus Patavinus.

1564 Data paritate cum Francisco Mantica, postea ad primam Cathedram fuit evectus.

1568 Electus est Martius Rutilius collega Fabiani: & anno 1571 ad jus civile matutinum traductus; ei suffectus

1571 3 Sept. Guerinus Piso Soacia Patavinus.

1574 24 Octobris Nicolaus Bottonus Patavinus, qui textum, glossam, & Bartholum docuerat, sed proximo anno 4 Cal. Maii è vita excessit, sui admirabile desiderium relinquens, cum utilissimus Scholis existimaretur, cui quidem defuncto id honoris est habitum, ut Moderatorum Gymnasii mandato residui temporis prçmium annuum ipsius filiis & hæredibus persolveretur.

1576 11 Octobris Ottonellus Discalcius Patavinus.

1577 17 Martii Sebastianus Monticulus. 1582 ad primum locum provectus.

1586 7 Iunii Michael Quarantaoctus: qui etiam diebus festis Feudorum materiam explicabat.

1593 27 Septembris Confirmatus in eodem loco, auctus

ctus honorario; & licet anno sequenti auditor Rotæ Genuensis declaratus esset, munus illud recusavit, patriæ studio captus.


1597 23 Iulii Angelus Saxius Patavinus, qui licet inferiora Gymnasii munera non obivisset, ingenii & doctrinæ fama ad hoc præcipuum adhibitus est.

1607 30 Octobris Confirmatus & honorario auctus, pariter 1612 30 Septembris.

1619 10 Octobris Camillus Pancetta.

1624 18 Octobris Petrus Brusonius Patavinus, qui peste obiit anno 1631.

1632 28 Octobris Sebastianus Columbina Vtinensis. Anno 1642 12 Septembris auctum ei stipendium ad Florenos 380. Quod etiam anno 1647 die 12 Ianuarii factum est cum Florenis 500. quam Cathedram usque ad annum 1653 tenuit, quo studiis confectus viuere desiit mense Iunii.



Pro-

Professores Iuris Canonici horis vespertinis in tertio loco. Cap. VIII.

1529 Doymus Arzignanus Patavinus.

1537 Postrema Iunii Electus fuit ad hoc munus Bernardinus Contarenus.

1553 Annibal Buzacharinus legebat, ut ex rotulo constat.

1564 Clemens Thealdinus Patavinus hanc Lecturam summa cum laude obivit collega Gasparis Fabiani & Guarini Pisonis Soacia usque ad mortem suam, quæ in annum 1576 incidit.

1576 Successit Thealdino Paulus Bradiolus Iulii optimi civis Patavini, & I.C.Cl. filius.

1579 Hermes Forcatura Pat. Doctor egregius, & bonis artibus ornatissimus.


1585 ,Franciscus Niasius Patavinus.

1590 Albertinus Milliarius Patavinus utriusque juris peritissimus.

1600 23 Novemb. Carolus Antonius Fortecia Patavinus.

1621 Ascriptus ad hanc Lecturam Paulus Leonius Canonicus Patavinus, qui ei renunciavit.

1628 Vacabat hic locus usque ad annum 1653.



Professores Iuris Cæsarei horis matutinis in Primo loco ab an. 1500. usque 1653. Cap. IX.

1502 Albericus docebat.

1506 10 Iunii Ob discessum Christophori Alberici conductus est Conradus Momlius de Busto.

1530 Docuit D. Franciscus de Corte Florenis mille, & anno

1532 26 Octobris Ei subrogatus fuit Ioannes Antonius de Rubeis eodem honorario.

1534 Docebat Ioannes Antonius de Rubeis Alexandrinus honorario Florenorum mille.

1541 19 Octobris Rubeo auctum est honorarium ad Scutatos mille. Eques & Senator Sabaudie, vir celeberrimus, obiit 1544, ut ex eius Epitaphio in Æde S. Io. in Viridario.

1545 4 Ianuarii Hieronymus Cagnolus Vercellensis, qui in variis Italiæ Gymnasiis docuerat, plurimis jam scriptis clarus à Senatu Veneto invitabatur Florenis 800 in paritate loci cum Mantua.

1547 7 Octobris Auctum stipendium Cagnolo ad Florenos mille.

1550 Item ad Scutatos mille.

1550 Defuncto Cagnolo vacavit Prima Sedes.

1552 Tiberius Decianus à Lectura Criminalium ad secundum locum huius Lecturæ traductus, collega Mantua in paritate loci. Mantua tamen in rotulo 1555 primas tenet.

1559 A Senatu Veneto omnibus suffragiis Fl. 750. Marcus Mantua traductus ad hanc Primam Sedem, raro exemplo Patavinis ex decreto publico negatam, Moderatoribus id procurantibus Nicolao à Ponte, & Antonio à Mula.

1563 Mantua est confirmatus honorario aucto in annos quatuor. Itemque 1570.

1572 Mantua sponte ad primum locum juris Pontificii transiit, eique successit

Tiberius Decianus, qui eximia nominis fama anno 1576 5 Maii confirmatus, eique auctum in vita stipendium ad Scutatos mille. Obiit 1582 laudatus à Riccobono. Cuius mores & opera edita edidimus in Elogiis nostris.

1582 Vltimo Aprilis Iacobus Menochius ei Flor. mille suffectus à Senatu Mediolanensi invitatus est.

1589 28 Sept. Angelus Mattheacius Marosticensis.

1596 24 Septembris Confirmatus, & stipendio auctus.

1600 24 Sept. M. Antonius Ottelius Vtinensis.

1607 25 Oct. Confirmatus. Itemque 1612 vltimo Martii, & 1618 27 Sept. & 1624 17 Septemb. auctus honorario vnaquaque vice; ita ut 1625 Florenos 1800 obtineret. Sed confectus annis Senatus Venetus stipendii medium ei concessit, reliquum vitæ Venetiis transiit, ubi anno 1630 vitam clausit.

1625 Hic locus vacabat usque ad an. 1632, quo Carbonchius de secunda ad hanc primam Sedem concessit.

Carbonchio Messanam evocato, datus est hic locus

1626 27 Feb. Ioanni Baptistæ Gallo Bononiensi, qui per annum docuit, sed adversa valetudine & memoriæ defectu ad patriam rediit.

1638 Successit Alexander Syncliticus Cyprius aucto ei honorario anno 1644 ad Florenos 1550 usque ad 1646, quo 11 Februarii annis plenus obiit, vir omni laude dignus, & inter Iuris professores Primarius consiliis & voce toto orbi celeberrimus.

1651 7 Martii Marcus Aurelius Galvanus Ferrariensis hanc principem sedem obtinuit cum Florenis 1150, vir integerrimus, ac studiosissimus, qui eruditissimi patris exemplo dicendi elegantiam cum antiquitatis notitia clarissimis ingenii monumentis coniunxit, inter quę hodie leguntur elegantes de Vsufructu Disputationes.

Professores Iuris Civilis in secundo loco horis matutinis usque ad ann. 1653. Cap. X.

ACHilles Senensis per hæc tempora docuit Florenis 250.

1531 3 Novembris Marcus Mantua in locum Achillis Senensis collega Francisco Duento additus Fl. 250 stipendio, quod anno sequenti auctum ad Florenos 350, & 1539 3 Novembris ei pari auctum stipendium ad Flor. 500 confirmata Lectura in quadriennium.

1543 Confirmatus per annos tres, & honorario auctus ad Flor. 600.

1546 A Senatu Veneto non solum confirmatus in eodem loco, sed stipendio auctus ad Florenos 700, & Petro eius filio Lectura concessa Fl. 100 stipendio.

1552 Hanc Lecturam dimisit impetrato primo loco. Eodem

1552 Datus hic locus Tiberio Deciano, qui postea anno 1559 Marco Mantua ad primam Sedem assumto in paritate loci docuit usque ad 1572, quo Mantuæ successit.

1572 Iacobus Menochius collega factus Tiberii Deciani cum Flor. 700.

1578 2 Septemb. Confirmatus est & auctus honorario.

1575 Datus Menochio in eadem Lectura collega Guarinus Piso Soacia Patavinus in paritate loci Florenis 250.

1579 Hic locus decreto Senatus Veneti sublatus fuit.

1582 30 Octobris Franciscus Mantica Vtinensis de secundo loco iuris civilis horis vespertinis traductus Florenis 800, qui ob doctrinæ præstantiã, simulque morum integritatem è quatuor à Serenissima Republica propositis ad Sacrum Rotę Auditorium unus ipse est electus à Summo Pontifice in locum Hippolyti Aldobrandini ad Cardinalatum eve-

evecti, ipse post 1596 ab ipso Hippolyto Aldobrandino tunc Clemente VIII. Pont.Max. Principibus purpuratis fuit adnumeratus.

1586 1 Aprilis Ottonellus Discalcius Patavinus, qui anno 1599 confirmatus in eodem loco, & 1601 7 Novembris Fl.700 stipendio.

1607 16 Octobris Octavius Salgherius Patavinus.

1615 18 Iulii Aucto stipendio confirmatus.

1626 10 Aprilis Flor. 700 confirmatus, mox ad secundum locum juris Cæsarei vespertini progressus Salgherius; & huic Lecturæ præficitur Carbonchius Carbonchius Perusinus.


Eodem anno ex rotulo in eadem Cathedra docuit Alexander Synclitícus in paritate loci. Duo itaque Professores aliquando in eodem loco professi sunt.

1632 20 Septembris Insalutato Gymnasio Carbonchius ad Messanensis Gymnasii Principem locum profectus est. Successit eius loco 1635 7 Februarii Ioannes Baptista Gallus Florenorum 600 honorario.

1637 1638 usque 1640 locus hic secundus vacat.

1641 Die 26 Octobris ex Gymnasio Pisano accitus cum honorario Florenorum 950, & centum pro itinere Marcus Aurelius Galvanus Ferrariensis in paritate primi loci. Anno 1648 5 Febr. confirmatus est cum Florenis 1150. Anno 1651 in primum locum Alex. Synclitici successit, qui an. 1651 1652 vacabat, quem

1653 Antonius Aloysius Aldrighetius Institutionum Interpres obtinet Florenis 700. Iudiciis & muneribus patriæ publicis commendatus.



Ad

Ad Lecturam Iuris Cæsarei de mane in Tertio loco. Cap. XI.

1529 Franciscus Malipetrus.

1531 Fabius de Corombonis, vel Accorombis à Senatu Veneto electus ad hunc tertium locum cum Florenis 140. Aliquando enim ad cohonestandos juvenes summæ expectationis Resp. Veneta sibi hunc locum selegit. Quod etiam de Francisco Mantica accepimus.


1555 Iosephus Bellirotus Patavinus.

1566 Franciscus Mantica è secundo Institutionum loco ad hunc ascendit.

1570 In locum Manticæ Marcus Rutilius successit usque ad annum 1574, quo ob infirmam valetudinem huic lecturæ renunciavit, eique suffectus Guarinus Piso Soacia.

1575 Ipsi data est paritas secundi loci.

1628 Iosephus Angelus Patavinus Moderatorum decreto ob eximias ingenii dotes hanc tertii subsellii dignitatem jubente Senatu Veneto obtinuit cum Florenis 150 titulo Lecturæ, non Civitatis Patavinæ, sed Serenissimi Principis.



Pro-

Professores Iuris Cæsarei horis vespertinis in Primo loco ab anno 1500 usque 1653. Cap. XII.

1500 CArolus Ruinus I.Cl.docuit. Cui anno 1506 auctum est stipendium ad Flor.800.

1521 Petrus Paulus Parisius Consentinus cum Flor.800 collegam Franciscum Sfrondatum habuit, ediditque Commentaria in jus Pontificium, & in quatuor juris civilis postmeridianos Tractatus. 1527 9 Maii confirmatus cum honorario ducatorum mille.

Hieronymus Butigella Ticinensis, & eius collega Ioannes Campegius.

Franciscus Burla Placentinus Butigellæ successit, annisque multis docendo floruit cum Achille Comite collega.

1532 Ob merita in jure docendo D. Mariano Socino secundo loco jus Cæsareum à meridie explicanti à Senatu Veneto auctum est stipendium ad Florenos mille, & hanc Cathedram anno 1535 22 Octobris cum ducatos mille legebat. Alexandro quoque eius filio, quum 300 Propositiones per quinque dies Patavii, deinde in patria biduum magna cum laude sustinuisset, primus Institutionũ locus adsignatur, moxque ad jus Canonicum vesperi transfertur. Anno 1540 ad Scutatos mille honorario aucto Marianus Socinus docuit, postea Bononiam accitus.

Anno 1542 abeunti suffectus est Ansovinius de Medicis, qui in Gallia & Bononia docuerat, vir magni nominis.

1555 Primus locus vacat. In quem annis sequentibus suffectus est Hieronymus Torniellus, 1559 Florenis 1150.

1563 Mense Maii Torniello sufficitur Iulius Salernus cum ducatis aureis 500, qui anno sequenti vita functus meruit à Senatu Veneto, ut reliquum honorarii usque ad nouum prælectionum initium suis filiis impertiretur.

1564 15 Augusti In locum Salerni accitus est Ioannes Cephalus Ferrariensis Flor. 1000 vir celeberrimus, qui in variis Italiæ Academiis docuerat.

1572 Auctus est stipendio, obiit 1580 à Riccobono laudatus, cuius merita nos etiam tetigimus in Elogiis nostris.

1582 22 Aprilis Guidus Pancirolus mille Scutatis in Gymnasium Patavinum revocatus è Sabaudia, ubi annos duodecim docuerat, aëris Taurinensis gravitate oculis suis valde infensa.

1589 28 Octob. Confirmatus in eodem loco, & auctus stipendio; sic etiam 1595 7 Novembris ad Scutatos 1200, obiit Cal. Iunii; eius laudes in nostris Elogiis cum effigie edidimus.

1599 8 Octobris Sfortia Oddus Perusinus honorario ducatorum mille.

1602 24 Octobris Eques Iacobus Gallus Neapolitanus Scutatis mille successit Oddo, qui 1608 29 Sept. confirmatus & auctus est honorario. Item 1614 auctus stipendio ad 1400. Senex lumine orbatus obiit anno 1618 mense Maii. Cuius vitam & effigiem in nostris Elogiis dedimus.

1620 22 Aprilis Iulius Pacius Vicentinus Philosophus & Iurisconsf. celeberrimus è Gallia accitus Scutatis 1200, qui prolis ac nepotum desiderio sequenti anno ad suos rediit.

1625 21 Febr. Bartholomæus Vecchius Senensis Florenis 1400. An. 1632 superadditis bis centum Florenis usq; ad annum 1637, quo à Magno Etruriæ Duce vocatus magno cum Gymnasii damno discessit.

1638 20 Octobris suffectus in hunc locum Carbonchius Carbonchius Perusinus è Messanensi Gymnasio ad Patavinum reversus honorario Florenorum 1400, quibus pro itinere Floreni 300 additi sunt. Anno 1645 Cal. Februarii confirmatus in eodem loco cum Florenis 1600 usque ad annum 1650 Die 17 Maii ætate annorum 78 Senatus Veneti licentia in patriam rediit.

1652

1652 Hic locus vacat.

1653 Carbonchio successit 900 Flor. stipendio C. Iacobus Caimus, auditorum frequentia clarus.

Professores Iuris Cæsarei horis vespertinis in secundo loco. Cap. XIII.

1517 Aloysius Discalcius.

1521 Franciscus Sfrondatus.

Ioannes Campegius Bononiensis collega Butigellæ.

1528 Antonius Trapolinus cum salario ut in Statuto.

1532 25 Maii Ragusius de Raguseis, qui Perusiæ in loco jus docebat ad secundum locum juris Cæsarei Flor. 500 vocatus; cui 1534 successit Fabius Accorambonus Eugubinus, qui postea Romam accitus ad jus docendum, successorem habuit Gasparem Malmignatum.

1539 Idem tenebat hanc Lecturam.

1542 18 Octobris Iulius Oradinus Perusinus, qui in patria docebat. Cui successit

1544 Hieron. Torniellus die prima Aprilis cum ex hoc Gymnasio discessisset. Vacante prima Cathedra in hoc loco duo erant professores, Torniello junctus 1545 27 Oct. Ioannes Scapinellus.

1550 Torniello auctum est stipendium ad Flor. 800.

1548 22 Martii Matthæus Gribaldus de Furges, postquam in variis Italiæ Gymnasiis docuisset, collega Tornelli est electus Flor. 800. Cui 1550 auctum est honorarium ad Flor. 900, & anno 1553 ad mille & centum.

1560 Gasparem Fabianum videtur legisse cum Fl. 100.

1556 8 Octobris Guidus Pancirolus Gribaldo substitutus in hac Lectura confirmatus est Flor. 300 collega Tornielli usque ad an. 1559, quo Torniellus ad primam sedem est evectus, quam affectavit Pancirolus: cui 1560 auctum est

honorarium. Sed defuncto Torniello in eius locum Iulius Salernus est vocatus 1563. Cui defuncto anno sequenti successit Ioannes Cephalus. Pancirolus id ægre ferens ad Gymnasium Taurinense à Duce Sabaudiæ magnis præmiis vocatus Simoni Cravetæ in prima juris Civilis vespertini Cathedra suffectus est anno 1570, ubi annos 12 docuit.

1570 24 Octobris Martius Ruccellius electus legitur.

Eodem anno 1570 In hunc locum eductus est Franciscus Mantica usque ad an. 1582, quo ad juris civilis matutini secundum locum est translatus.

1572 20 Decembris Bonifacius Rugierius Federici summi I.C. filius Fl. 500 Anno 1578 28 Maii confirmatus, & auctus stipendio. Et 1588 Florenis 700 legebat, quo tempore è vivis discessit.

1591 18 Ianuarii Petrus Paulus Rutilius Vicentinus Fl. 400 docuit.

1593 26 Febr. Ioachinus Scainus Saloensis cum Fl. 500 qui anno 1600 750 & 1607 honestatur ad Fl. 900.

1608 29 Sept. Alexander Galvanus cum Flor. 500, qui 1615 21 Octob. auctus est honorario Flor. 700.

1618 22 Aprilis Iacobus Marta Neapolitanus Fl. 800.

1623 2 Novemb. Alexander Syncliticus Fl. 700 docuit, & Carbonchius Carbonchius in paritate loci, uterque postea an. 1626 translatus ad Cathedram matutinam cum paritate loci.

1626 2 Novemb. Octavius Salgherius Patavin. Fl. 700.

1629 Decemb. die 20 Auctus stipendio, tempore pestilentiæ 1630 obiit.

1631 20 Decemb. Iosephus Angelus Patavinus successit Salgherio, 1639 20 Martii confirmatur cum Flor. 450. magnæ expectationis, & scholaribus valde accommodatus. Qui juvenis obiit.

1644 Iacobus Caimus Vtinensis Die 24 Aprilis 1648 confirmatus in eadem Cathedra, aucto stipendio ad Florenos

nos

nos 900. Anno 1653 ad primum locum traductus.

1653 Io. Michael Pierucius traductus in hunc locum.

Ad Lecturam Iuris Cæsarei horis vespertinis in Tertio loco. Cap. XIV.

1518 Marcus Mantua Patavinus.

Marcus Blanchus Patavinus.

1529 Carolus Guarnacia Patavinus, cui auctum est honorarium

1541 ad Flor. 100.

1553 Petrus de Leone Patavinus.

1555 Idem ex rotulo. Sic etiam 1559.

1566 Bonifacius Rogerius usque ad annum 1571.

Franciscus Zabarella in hoc tertio loco diu perseveravit usque ad 1580.

1589 4 Decembris Claudius Curtivus.


1596 Suum munus intermisit, accitus ad Iurisdictionem Gemonæ Præfecti nomine.

1597 Idem ad munus docendi rediit.

1611 28 Oct. Fabius Maximus I.C. Patavinus.

1621 Antonius Leo Patavinus.

1629 Locus vacat usque 1653.



Ad Lecturam Criminalium Professores ab anno 1500 usque 1653 diebus vacantibus. Cap. XV.

LEctura Criminalium antiqua olim erat inter ordinarias: constituta verò in Gymnasio Pandectarum Cathedra, dum de hora lectionis ageretur, sancitum est, hanc fore quotidianam, illam verò diebus extraordinariis instituendam, tametsi ordinaria esset; quæ consuetudo in hunc diem perdurat.

1540 14 Decembris Instituta fuit hæc Cathedra cui præfectus Florenis 200 Petrus Philippus de Matthiolis Perusinus, qui in patria jus civile diu professus erat. Huic successit Marcus Blanca Patavinus.

1547 13 Martii Auctum est honorarium.

1549 Blanchæ ob infirmam valetudinem suffectus est Tiberius Decianus Vtinensis Flor. 200 etiam si abesset Assessoris munere perfunctus Veronæ sub Naugerio Rectore.

1550 11 Novembris Electus est Hieronymus Campi S. Petrus, qui obiit anno 1556. Hoc munus sine stipendio ambivit per libellum Michael Calidonius Vicentinus die 22 Aprilis.

1559 Ex rotulo Antonius de Cataro.

1560 Legebat Fabricius S. Severinus qui abiit, & in eius locum suffectus est Sebastianus Monticulus; sed hoc tempore, ut Riccobonus autor, is explicabat Textum, Glossam, & Bartholum; unde Catarum iterum in hunc locum necesse est fuisse electum. Cui

1563 5 Maii Suffectus est Bartholomæus Silvaticus. Cui

1572 3 Decemb. confirmatus est, & auctus honorario. Sed anno 1575 defuncto Benedicto Barisello Montanianensi ad jus Pontificium matutinum sufficitur.

1575 10 Octobris Donatus Fina Sangrensis, qui obiit 1577, eique subrogatur

1577 17 Maii Ottonellus Discalcius Patavinus I.C.

1586 8 Aprilis Discalcio successit Laurentius Castellanus Patavinus. Confirmatus 1589 in hoc loco.

1593 4 Septemb. Iterum confirmatus, honorario auctus. Eius edita est subtilis Interpretatio in Rubricam & Principium Institutionum de testamentis ordinandis: ac solennis explicatio quæstionum, quæ in Doctoribus disputantur.

1594 28 Sept. Victor Saxonia Patavinus, qui 1600 confirmatus. Item in eadem Cathedra 1607, & 1613 auctus est honorario.

1620 6 Maii Ioannes Galvanus Patavinus Saxoniæ suffectus hanc Cathedram summa cum laude quovis sexennio honorario auctus usque in hanc diem tenet, stipendio Flor. 1300, insueto Patavinis civibus exemplo, suæ virtuti non impar. Cui accessit id honoris eximii, quod declaratus fuerit suis meritis à Senatu Veneto Præses Collegii Græcorum, & perpetuus Laureandorum promotor. Tandem, dum hęc eduntur, anno 1653 electus est à Gymnasii Moderatoribus Præses Collegii Iuristarum auctoritate Veneta, quæ dignitas in primas Lycei Patavini Cathedras confertur.



Ad

Ad Lecturam Pandectarum Professores ab anno 1500 usque 1653. Cap. XVI.

INstituta fuit hæc Lectura in gratiam Inclytæ Nationis Germanorum, & primum concessa

1578 23 Iulii Angelo Mattheacio cum Fl. 200, qui 1587 9 Octobris in eadem confirmatus aucto honorario Fl. 300.

1590 13 Iulii Marcus Antonius Ottelius Vtinensis. Confirmatus 1597 17 Febr. cum Florenis 200, & postea ad superiorem locum evectus huic Cathedræ præficitur

1600 21 Octobris Octavius Salgherius Patavinus cum Flor. 200.

1607 16 Octobris Tadęus Piso Soacia Patav. Flor. 200.

1615 3 Octobris Franciscus Pola Veronensis cum Flor. 600, vir egregius, sed sequenti anno vita excessit, nos laudes eius persequuti sumus in Elogiis nostris editis.

1617 14 Ianuarii Aloysius Corradinus Causidicus Patavinus, & rei antiquariæ studiosissimus ad hunc locum electus cum Flor. 400, non minus cum laude hoc argumentum explicavit, sed brevi tempore fato præreptus est. Vitam eius in nostris Elogiis cum effigie dedimus.

1618 15 Novembris Ioannes Boatus Patavinus Causidicus, & I.C. celebris Corradino successit cum Flor. 400. Post sexennium in eadem confirmatus & honorario auctus ad Flor. 500. De eo in nostris Athenis Patavinis. Obiit 1630 30 Novembris.

1631 4 Februarii Albertinus Barisonius Canonicus Patavinus & Abbas Boato successit, à Feudorum Lectura traductus cum Flor. 350, vir summi ingenii hanc materiam explicavit usque ad annum 1636, quo electus Vicarius Generalis à Capitulo Canonicorum ob mortem Episcopi, ut diligentius tantum onus sustineret, renunciavit.

1636

1636 Iacobus Caimus Vtinensis die 11 Maii Pandectas explicare cœpit à secundo loco Institutionum provectus usque ad annum 1644, quo ad secundum juris Cæsarei vespertini locum electus cum Florenis 300. 1642 confirmatus Flor.600.

1644 Ioannes Michael Pierucius Bondichius à Colle Florentinus cum Florenis 450 ad secundum locum juris de sero electus.

1653 20 Maii Abbas Antonius Paulucius Venetus Canonicus Patavinus elegantis ingenii vir à Lectura Autenticorum ad hanc Cathedram evectus honorario Flor.400.

Ad Lecturam Codicis ab anno 1500 usque ad an. 1653. Cap. XVII.

1534 Octavianus Ianuensis.

1555 Paulus Madicis Romanus studiosus, ex rotulo. Intermissa fuit usque ad 1602.

1602 3 Iulii Electus est Thadeus Piso Soacia Fl.100.

1605 14 Decembris Ioannes Cattularius Patavinus hanc Lecturam obtinuit usque ad annum 1640.

1641 Die 8 Octobris Cęsar Feramusca Vicentinus Flor. 100 Anno 1647 6 Septembris confirmatus cum augmento honorarii ad Flor.250.

1649 Die 6 Octobris Hieronymus Zacchus Patavinus Flor.200. Vterque in nobilitatem Venetam admissus docere desiit.



Ad Lecturam Institutionum in Primo loco Professores ab anno 1500 usque 1653. Cap. XVIII.

1515 2 Martii Marcus Mantua ad hunc locum electus est à Bartholomæo de Liviano Generali militiæ Venetæ honorario ducatorum aureorum quinquaginta. Ab hoc docendi munere cessavit anno sequenti.

1517 Mantua denuo ad hanc Lecturam à Senatu Veneto eligitur.

1522 Ludovicus Gomezius Oriola, cui successit Ioannes Franciscus Bebius.

1529 1 Decembris Io. Franciscus Tolentinus Patavinus usque ad annum 1531 4 Martii, quo die absenti substitutus fuit à Senatu Veneto Nicolaus Ongarus, qui biennio se obstrinxit ad lectiones & disputationes cum suo collega, Serenissimæ Reip. arbitrio relinquens tertium annum. Is anno 1532 docendi muneri renunciavit, quod Gaspari Malmignato die 27 Aprilis datum fuit.

1532 Viglius Zuichemus Frisius ex Riccobono Institutionum professor. Hic est, qui Theophili Institutiones juris civilis in Latinum sermonem transtulit cum doctissima præfatione ad Carolum V Cæsarem, ediditque Commentarios in decem capita secundi libri Institutionum, quibus Testamentorum jura eleganter sunt explicata.

1534 Gaspar Malmignatus docuit, qui anno 1539 ad secundum locum juris civilis ascendit.

1540 18 Martii A Senatu Veneto electi sunt duo Professores Antonius de Cataro, & Iosephus Fontanella in paritate loci cum Hieronymo Campi S. Petri ab Vniversitate electo; cum Fontanella Lecturam recusasset, Anno sequenti 1541 23 Octob. Senatus Venetus decrevit huius loci Professores Hieronymum Campi S. Petri, & Antoniũ de Cataro.

1545

1545 5 Martii Hieronymus Campi S. Petri electus pro annis duobus, & uno ad arbitrium Senatus Veneti.

1547 12 Octobris Auctus est stipendio Hieronymus, & confirmatus in Lectura.

1549 15 Octob. Confirmatus item, & honorario auctus.

1553 Locus vacat; ex rotulo.

1554 10 Februarii A Senatu Veneto de secundo loco Guidus Pancirolus ad hunc traductus est.

1555 Locus vacat.

1559 Philippus de Montagnana, qui anno sequenti ad secundum juris Canonici translatus, huic loco præficitur Bartholomæus Silvaticus in paritate loci. Silvaticus postea transiit ad Lecturam Criminalium successorem nactus Cæsarem Mazium Cesenatem.

1565 Ottonellus Discalcius successit Cæsari Mazio, ut autor Riccobonus, & Discalcio successit Sebastianus Monticulus usque ad 1576, quo ad jus Canonicum vespertinum est provectus.

1577 3 Iunii Philippus Octavianus de Montagnana ad Institutiones revocatus: quia hisce explicandis plurimum eminebat. 1582 30 Oct. confirmatus, & auctus honorario ad Flor.500. Anno 1588 vita excessit. Cui Franciscus Blãca.

1589 27 Octob. Aloysius Durantius cum Flor.80.

1592 28 Oct. Fabricius Ciaconius cum Fl.160.

1599 8 Oct. Octavius Salgherius cum Fl.120.

1600 21 Oct. Octavius Livellus Patavinus cum Fl.150, qui per annos 32 hunc locum summa cum laude honestavit. Fl.mille honorario auctus. Vir sane doctrina & facetiis clarus. De quo in nostris Athenis.

1634 Livello successit Antonius Aloysius Andreghetius, qui per plures annos magna studiosorum frequentia & utilitate Institutiones publicè in tertio, & secundo loco explicaverat. Die 9 Martii orationem suam præliminarem habuit.

1638 13 Martii cum Flor. 300. Anno 1645 confirmatur aucto honorario.

1651 28 Ianuarii Aucto stipendio ad Florenos 600 legebat

1653 Ad Lecturam secundi loci juris civilis de mane.

Ad Lecturam Institutionum in secundo loco Professores ab anno 1500 usque 1653. Cap. XIX.

1528 Nicolaus Ongarus, cui postea subrogatur 1 Decembris Fabius Romanus.

1534 Carolus Lucerna Pedemontanus.

Nicolaus Gratianus.

1543 Petrus Leonissa Patavinus ab Vniversitate Legistarum electus die 5 Novembris à Senatu Veneto confirmatus.

1544 8 Novemb. Franciscus Lauretanus Venetus Presbyter per annos tres.

1547 30 Octobris In locum Francisci Lauretani electus est à Senatu Veneto Guidus Pancirolus Regiensis adhuc studiosus. Accepta vero Laurea Iurisconsulti in Collegio Patavino à Marco Mantua confirmatus est in eadem Lectura, & auctus honorario anno 1550.

1553 9 Augusti Pancirolo ad primum locum evecto subrogatur Philippus Octavianus de Montagnana per annos 3.

1555 Ex rotulo idem Philippus Octavianus à Senatu Veneto electus, & Nicolaus Gratianus substitutus. Eodem anno hoc argumentum Bartholomæus Silvaticus cœpit explanare cum Flor. 60 vacante primo loco. Plures autem professores in hac utilissima Cathedra docuisse, existimo.

1558 Octaviano auctum est honorarium; anno sequenti Silvaticus se à Lectura abdicavit, ut paludibus exsiccandis adesset.

1559 Ex rotulo Hilarius Ventura Parmensis.

1560 In locum Nicolai Gratiani conductus est Franciscus Mantica usque ad 1565, quo ad tertium juris civilis matutini locum est translatus.

1563 Cæsar Mazius legebat cum Flor. 40.

1565 Philippus Octavianus successit Manticæ, postea ad primum est subrogatus locum, eique suffectus est 1565 21 Octobris Sebastianus Monticulus cum Flor. 50.

1571 3 Decembris Sebastianus Monticulus confirmatur Flor. 120.

1573 22 Febr. Vbertinus Fabianus cum Flor. 60.

1584 2 Martii Laurentius Castellanus Patavinus cum Flor. 120 usque ad annum 1589, quo ad Criminalium Lecturam est deductus in locum Ottonelli Discalcii.

1586 Franciscus Blanca Flor. 40.

1586 30 Augusti Aloysius Durantius cum Fl. 40.

1589 23 Decemb. Marcus Triuisanus Pat. Fl. 40.

1596 4 Septembris Octavius Livellus Pat. Fl. 50.

1600 21 Octobris Albertinus Milliaria Pat. Fl. 50.

1602 10 Augusti Claudius Curtivus Patavinus Fl. 60.

1609 In eadem Lectura confirmatus, & auctus honorario Flor. 150. Item 1615. Flor. 250. & 1622 31 Maii cum Flor. 350. & 1629 13 Martii ad Flor. 400.

1632 2 Ianuarii Antonius Aloysius Andrighetius Pat. Flor. 200.

1634 Iacobus Caimus Vtinensis die 20 Martii aggressus est hoc docendi munus.

1638 5 Octob. Ioannes Michael Pierucius Bondichius à Colle Florentinus variæ doctrinæ vir disertissimus in paritate primi loci Florenis 450 Pisis vocatus.

1644 Paulus Doctus de Castro Franco.

Ad Lecturam Institutionum in tertio loco.
Cap. X X.

1533 Ioannes Cyprius.

1534 Petrus Sardena Patavinus.

1565 Laurentius Castellanus docuit usque ad annum 1570, quo ad Secundum Locum est deductus.


1600 Docuit Ioannes Cartolarius.

1611 4 Ianuarii Gaspar Campi S. Petri Patavinus.

1618 Ottonellus Discalcius Patavinus, cui successit Iosephus Angelus Patavinus.

1625 Antonius Aloysius Andrighetius Pat. usque ad 1632, quo ad Secundum Locum successit.

1632 Vacat usque ad hunc annum 1653.



Ad

Ad Lecturam Feudorum extraordinariam. Cap. XXI.

1534 D.Ioannes Cyprius.
1553 Ioannes Cirrus Germanus, ex rotulo.
1555 Ioannes Vestelius Allemanus.
Dimissa fuit hæc Lectura, tandem in gratiam Nationis Germanicæ denuo concessa fuit anno
1577 Michaeli Quarantaocto Pat.Fl.120.
1586 8 Iunii Hercules Bursatus Mantuanus Fl.20.
1589 22 Novembris Victor Saxonia Pat.Fl.60.
1594 28 Sept. Ioannes Baptista Silvaticus Patavinus Flor.50.
1600 21 Oct. In eadem confirmatus & auctus honorario Fl.150. Item 1607 30 Octob.Fl.250. & 1615 18 Iulii ad Fl.450 honestatus.
1618 10 Martii Carolus Forrecia Pat.Fl.100, qui 1625 in eadem est confirmatus auctus honorario ad Fl.250.
1628 4 Aprilis Abbas Albertinus Barisonius Canonicus Patavinus cum Fl.250.
1632 17 Ianuarii Iacobus Sala Canonicus Patavinus & Abbas. Anno 1639 20 Maii aucto stipendio confirmatus Flor.350.
1641 8 Octobris Scipio Gonemus Cyprius successit Salæ Florenis 200. 1647 confirmatur Fl.400.

Ad

Ad Lecturam Authenticorum extraordinariam. Cap. XXII.

1534 Ludovicus Benvignatus Perusinus.


1555 Franciscus Pacianus Romanus, ex rotulo.

1620 Ianuarii Alexander Pacius Iulii I.C. filius Fl. 300. sed paulo post cum parente discessit.

1624 17 Sept. Andreas Trivisanus ex Plebe Sacci electus hanc Lecturam nunquam aggressus est, cum ei Collegium I.C. denegaretur. Erat causarum criminalium actor. Obiit ex peste 1631. Intermissa fuit hæc Lectura usque ad annum 1641.

1641 10 Augusti Antonius Paulucius Venetus Abbas & Canonicus Patavinus. Anno 1647 22 Octobris confirmatus cum augmento honorarii usque ad annum 1653, quo traductus est ad Lecturam Pandectarum.

1653 Paulucio subrogatus est Vincentius Francesconus Patavinus.



Ad

Ad Lecturam de Regulis Iuris. *Cap. XXIII.*

HÆc Lectura instituta fuit à Moderatoribus Gymnasii in gratiam M. Antonii Ottelii I.C. Vtinensis, qui in patria summa cum laude Institutiones docuerat, addito ei honorario Flor. 10.

1586 17 Iulii M. Antonius Ottelius Vtinensis.

1593 27 Sept. Franciscus Bottonus Patavinus cum Fl. triginta.

1597 5 Novemb. Octavius Salgherius Patavinus cum Flor. 60.

1599 28 Octobris Franciscus Vidua Patavinus vir celebris, qui anno 1607 in eadem confirmatus cum Fl. 100.

1608 29 Sept. Iacobus Cesana Saravallensis cum Fl. 50.

1616 6 Sept. Ioannes Galvanus Patavinus cum Fl. 50.

1620 6 Maii Petrus Brusonius Patavinus cum Fl. 100.


1624 11 Ianuarii Iosephus Angelus Patavinus cum Flor. 80.

1629 31 Ianuarii Scipio Gonemus cum Fl. 100.

1632 30 Martii Iacobus Caimus cum Flor. 150.

1635 7 Maii Paulus Doctus de Castro Franco Fl. 100. Anno 1640 20 Iulii confirmatus cum Florenis 200.

1644 Zaccus Zaccus Patavinus Fl. 80. 1652 confirmatur Fl. 140.



Lecturæ diversæ, quæ olim in Gymnasio institutæ hodie intermissæ sunt.

Professores Decretorum in Primo loco. Cap. XXV.

1534 Primus locus vacat
Iacobus Maxius Allemanus secundo loco.
Eodem anno Senatus Venetus concessit Vniversitati Legistarum ut primum locum alicui assignaret, itaque ab ea electus est Camillus Maninus, cui renuncianti subrogatus est Nicolaus Gotoldus Foroliviensis.
1535 Donatus Mancharella in secundo loco ab Vniversitate electus.
1537 Senatus Venetus intermisit hanc Lecturam.
1542 12 Octobris Thomas Zanechinus cui ob senectutem datus est collega
Io. Musler Allemanus in secundo loco.

Ad Lecturam Iuris Civilis horis pomeridianis. Cap. XXVI.

1529 Franciscus Malipetrus.
1534 In primo loco Franciscus Braguno.
Iacobus Fillelus.
In secundo loco
Camillus de Macerata.
Intermissa.
1571 Bartholomæus Sfortia Patavinus.
Intermissa est.

Ad Lecturam Sexti Iuris Canonici. Cap. XXVII.

1521 27 Sept. Marcus Mantua à Senatu Veneto electus Moderatore Gymnasii Georgio Pisano Doctore & Equite

1534 Marcus Antonius Mapolitanus Romanus in primo loco.

Iacobus Cornelius Provincialis.

In secundo loco

Thomas Pisanellus.

1543 30 Octobris Paulus Desideratus Patavinus electus ab Vniversitate in secundo loco confirmatur à Senatu Veneto.

1555 Ex rotulo Daniel de Blasiis Patavinus in tertio loco.

1570 Terentius Terentianus, qui postea ad Textum, glossam, & Bartholum est traductus

1571 Franciscus Blanca Patavinus usque ad 1574, quo pariter ad Textum, & glossam interpretandam est electus.

Ad Lecturam Clementinarum. Cap. XXVIII.

1534 Franciscus de Gymnosio Gallus.

Antonius Serra Gallus.

1543 Antonius Thealdinus Patavinus ab Vniversitate electus à Senatu Veneto confirmatur.

Ad Lecturam Textus, glossæ, & Bartholi. *Cap. XXIX.*

HÆc lectura plurimi æstimata habebatur horis matutinis & vespertinis.

Anno 1544, quo erecta est hæc Cathedra 14 Novembris electus est Federicus Rogerius Regiensis, qui aliàs in hoc studio collega Parisii docuerat Florenis 150. In quam etiam traductus est Antonius de Cataro, qui Instituta legebat. Cui 1552 auctum est honorarium.

1547 Transalgardus Capodelista.

1547 17 Novembris Denuò conductus est Federicus Regiensis, & auctus stipendio ad Fl. 200.

1549 Vincentius Porcellaga Brixiensis.

1552 28 Decembris Auctum est stipendium Antonio de Cataro, & per annos duos confirmatum.

1553 Ex rotulo in primo loco Federicus de Rogeriis; in secundo Nicolaus Gratianus Foroiuliensis.

1559 Hieronymus Olzignanus in locum Catari est suffectus usque ad 1561.

1562 Sebastianus Monticulus.

1570 Terentius Terentianus in primo.

1571 In secundo loco Petrus Antonius Godius Vicentinus, qui anno proximo sequenti hanc interpretationem dimisit.

1574 Nicolaus Bottonus Patavinus.

Galeatius Bigolinus Patavinus usque ad 1577.

Hæc Lectura decreto Senatus Veneti intermissa.

In Secundo Loco Horis Vespertinis.

1553 Adrianus de Molinis Flander.

1555 Daniel Nichesola Veronensis.

Ad Lecturam Institutionum; Textus, & glossæ primi loci à Meridie. Cap. XXX.

1553 Bartholus de Becchariis de Lendenaria.
Marcus Antonius Rubeus Brixiensis in secundo loco.
1555 Ioannes Baptista Manaria Bergomensis.
In secundo loco Hieronymus Petrobellus Bergomensis.
Laurentius Castellanus Patavinus.
1577 Vbertinus Fabianus Patavinus.

Ad Lecturam de Actionibus. Cap. XXXI.

1553 Bartholomæus de Turchis Veronensis ex ordine studiosorum electus.
1555 Camillus à Cornu Tarvisinus.

Ad Lecturam Vniversitatis. Cap. XXXII.

1553 Franciscus Rubeus Alexandrinus.
1555 Bernardinus de Fornariis Rhodiginus. Vterque è studiosorum ordine.



IA-

IACOBI PHILIPPI TOMASINI
EPISCOPI ÆMONIENSIS
De Gymnasio Patavino Commentaria.

LIB. III.

DE PROFESSORIBVS ARTIVM, Philosophiæ, Medicinæ, itemque Sac. Theologiæ.

Professores Artium, & Medicinæ in Gymnasio Patavino ab anno 1250 *usque* 1400.
Cap. I.



ANtiqua fide Historiæ Rolandini videntur hi Doctores & Magistri Anno 1262 in Gymnasio Patavino floruisse: Magister Agnus, Magister Ioannes, Magister Tredecimus, ut ait ipse, in Logica providus indagator, & Doctor, Magister Rolandinus, Magister Morandus, Magister Zunta, Magister Dominicus, Magister Paduanus, Magister Luchesius in Grammatica & Rhetorica vigiles & utiles professores, qui omnes convenerunt in cœnobio S. Vrbani, ut Chronicon Rolandini magistrali auctoritate approbarent.

Sed ante hos omnes anno nempe 1216 floruit Arsegninus Grammaticæ & Rhetoricæ professor clarissimus, cuius plura scripta in membranis Scardeonius in suo Museo asservabat.

1290 Ad hos refertur Matthæus Roncalitius Medicus clarissimus, qui primum Aristotelem, deinde Galenum inter-

pre-

pretatus est, qui cum obierit anno 1303, procul dubio aliquot annos in hoc Gymnasio docuit.

Eodem argumento Petrum Aponensem, qui à Republica Patavina amplo stipendio in patriam accitus ad artem medicam exercendam, hic etiam docuisse meritò credimus. Id enim coniicere possumus ex ipsius testamento 1315 confecto, ubi de suo honorario disponit.

Iacobus Forolivius Philosophus & Medicus, qui obiit 1313, ut ex eius epitaphio in Æde Eremitarum patet.

Ætate Albertini Mussati historici tres Grammaticæ professores Bonincontrus, Magister Guizzardus, & Magister Ioannes celebrantur eius Epistolis poëticis.

1320 Petrus Pernumia Medicinæ professor usque ad annum 1345.

Nicolaus Santasophia præstantissimus Medicinæ professor usque ad annum 1350. Cuius filii Marsilius & Ioannes Medici clarissimi, & scriptores celebres, itemque Bartholomæus Ioannis filius eas disciplinas suo ingenio summopere ornarunt.

Quo etiam tempore floruit Marcus Zanetus in Grammaticis & Rhetoricis Cl. professor.

1380 Iacobus Zanetinus eius filius, Medicinæ professor publicus, obiit 1388.

Sigismundus Polcastrus Patavinus Medicinæ professor publicus subtilis & perspicacis ingenii.

Michael etiam Savonarola, qui plurima opera in re medica scripsit hic juvenis docuit. Primus ille salubrium fontis Aponensis aquarum ægritudinibus tollendis diversis usum docuit. A magno Principe Estensi Ferrariam accitus ibidem familiam suam in posteros extendit.

1399 Anno Primarii Artium & Medicinę professores Iacobus de Zanetinis, & Balthasar atque Franciscus de Sanctasophia, ut ex Laureæ Medicæ testimonio constat.

Pro-

Professores Artium, & Medicinæ ab anno 1400 usque 1500. Cap. II.

EX rotulo, quem vocant, veteri anni 1434 sequentes innotescent Artium Professores.

Antonius Cermisonus Patavinus Lector Ordinarius Theoricæ Medicinæ.

Stephanus de Doctoribus extraordinarius, vel isti substitutus.

Sigismundus de Polcastris } Lecturæ extraordinariæ
Simeon de Lendenaria } Theoricæ professores.

Bartholomæus de Montagnana } Practicæ Medicinæ
Christophorus de Pergamo } Ordinarij.

Benedictus de Padua, &

Candus de Cando Patavinus ad Lecturam extraordinariam eiusdem Practicæ. Candus etiam Astrologiam docuit.

Michael Savonarola diebus festivis Medicinam tradidit.

Laurentius de Senis Chirurgiam.

Gaietanus Thienæus naturalis Philosophiæ ordinarius professor, Sacræ Theol. Doctor usque ad An. 1462, quo obiit. Vitam eius in Elogiis nostris Volum. 2 vulgavimus. Fr. Iulianus de Sicilia in secundo loco.

Ad extraordinariæ Philosophiæ Cathedram Ioannes Ludovicus de Montesilice, & Vasius de Monteferrato.

Philosophiæ moralis præcepta enarravit Venantius de Camerino.

Logicæ professor Reverendus Baccalarius Fr. Nicolaus de Tarvisio, & Dominicus de Dominicis anno sequenti.

Rhetoricæ Antonius Piceno de Bergamo.

1469 Antonius Tubetta, vulgo Trombetta, Metaphysicam in via Scoti publicè docuit, quam per ann. quadraginta duo explicavit summo cum applausu usque ad ann. 1511, quo

quo tempore electus fuit Episcopus Vrbini à Iulio Secundo Pontifice, mox Archiepiscopus Athenarum.

Circa hæc tempora Thomas de Vio patria Caietanus Ordinis Prædicatorum Theol. collega Tubettæ docuit. Is fuit postea Cardinalis, scriptis editis celeberrimus.

Prisca memoria sequentibus annis claruerunt Viri insignes, nempe

1464 Ioannes Antonius Ridius Patavinus in re medica: Christophorus Ricinensis Philosophus & Medicus, qui obiit 1480 in D. Bernardini Æde conditus.

1453 Petrum Roccabonellum Venetum Philosophiam & Medicinam annis quadraginta docuisse ostendit ipsius Epitaphium in D. Francisci Templo, ubi conditus est anno 1493.

1477 Marcus Doctus Chirurgiæ Lecturam obtinuit.

1494 Paulus Bagellardus à Flumine primum Philosophiam, deinde Medicinam professus est ad annum 1494, quo obiit.

Bartholomæus, & Franciscus Novalii fratres Philosophiam, & artem Medicam publicè docuerunt ante an. 1500.

Nicolaus Passera seu Genua M. Antonii Philosophi pater Medicinam publicè docebat hisce temporibus, sed ad senium vergens, dimisso legendi munere ad practicam se contulit.

Circa 1496 Nicolaus Vernias Theatinus Primam Philosophiæ Cathedram honestabat sine collega, qui cum ad ingenii exercitium falsam Auerrois opinionem de unico intellectu argumentis sustineret, rumore exorto apud inferiores studiosos contra virum celebrem, adductis exhortationibus Augustini Barbadici Venetiarum Principis, & Petri Barocii Patavii Episcopi, opusculum scripsit de immortalitate animæ, probans pro Fide Catholica plures animas esse, & non unam, quod Dominico Grimano S. R. E. Cardinali atque Aquileiensi Patriarchæ dicavit. Huic purpuram quum prædixisset,

dixisset, promisso ei Canonicatu Aquileiensi si responderet eventus, in epistola ad eum, se non semper Philosophi, sed Canonici titulo aliquando usurum scribit. Extat Petri Barocii Epistola ad ipsum 1499 12 Cal. Sextilis, de opusculo edendo: cui mox paruit. Cuius etiam Quæstio extat de Gravibus & Levibus iis addita, quæ de pluralitate intellectus; itemque duæ quæstiones in principio commentatiorum Burlæi ad Libros de Physico auditu, quorum altera de partitione Philosophiæ naturalis, altera de præstantia Medicinæ, quod ea nempe sit nobilior Iure Civili: Quæstio etiam cum Quæstionibus Marsilii de Inguen, & Alberti Saxoniæ in Lib. de Generatione & Corruptione legitur. Commentaria quoque in omnes Aristotelis Libros à se conscripta memorat in Epistola ad Dominicum Grimanum.

Ad Lecturam Sacræ Theologiæ in via S. Thomæ Professores ab anno 1500. usque 1653. Cap. III.

IN gratiam Universitatis Artistarum anno 1490 6 Novembris in morem Gymnasii Parisiensis introducta est Senatus Veneti decreto Lectura Theologiæ in via S. Thomæ & primus Lector fuit P. D. Ludovicus Lector Philosophiæ in Ferrariensi Gymnasio Ordinis S. Dominici.

AUgustinus Barbadico Dei gratia Dux Venetiarum &c. Nobilibus & Sapientibus Viris Melchiori Trivisano de suo mandato Potestati, & Sebastiano Baduario Eq. Capitaneo Paduæ, & successoribus suis fidelibus dilectis salutem & dilectionis affectum.

Significavimus vobis, quòd die 21 Octobris proximè elapsi capta fuit pars tenoris infrascripti, videlicet: Decretum fuit per istud Consilium Superiore isto tempore, quòd Præstans D. Magister Gratia Ordinis Minorum legere haberet in Gymnasio nostro Paduano

Lecturam Theologiæ: qui eam legit iuxta doctrinam Scoti. Verum quia foret non tantum vtile Studentibus, verum etiam honorificum ipsi Gymnasio, necnon Senatui nostro Religiosissimo, & Christianissimo; quod etiam doctrina Angelici Doctoris S. Thomæ legatur, quando præsertim in prædicta scientia Theologiæ consistat fundamentum totius Fidei nostræ Catholicæ: quæ quidem lectio Theologiæ principaliter famosum reddit Gymnasium Parisinum: & adeuntes præsentiam nostri Collegii Sp. Lector Artistarum cum bona quantitate Scholarium id instanter petierit.

Vadit pars, quod præstans D. Magister Ludovicus Ordinis Prædicatorum, qui in præsentiarum legit ordinariam Philosophiæ in Gymnasio Ferrariensi, conducatur ad legendum Theologiam iuxta doctrinam S. Thomæ cum eodemmet salario, modis, & conditionibus, cum quibus legit supradictus Magister Gratia, quod quidem salarium est Florenorum 60 in anno. Quare authoritate supradicta mandamus vobis, ut suprascriptam partem, & contenta in ea obseruetis, obseruariq; facere inviolabiliter debeatis, facientes has nostras ad futurorum memoriam registrari, & registratas præsentanti restitui.

Dat in nostro Ducali Palatio die 6 Novembris Indict. 9. 1490.

Anno 1500 Gaspar Perusinus Dominicanus tenebat hanc Cathedram; cui anno 1505 12 Octobris auctum est honorarium, & per plures annos summa cum laude munus hoc sustinuit.

1531 20 Novembris Ei successit Thomas Omnibonus Venetus vir clarissimus, qui 1536 obiit, & in eius locum successit

1536 19 Novembris Bartholomæus Spina Pisanus eiusdem Ordinis; qui anno 1545 electus à Summo Pontifice Sac. Palatii Romani Magister Cathedram reliquit in quam accitus est

1545 Sixtus Medices Venetus usque ad annum

1554 Quo die 8 Novembris Hieronymus Vielmus Venetus

netus ad eam traductus est, vir summi ingenii ac nominis celeberrimi. Eo post annos aliquot Romam vocato à Summo Pontifice, in Lecturam successit anno

1561 P. Ioannes Ambrosius Barbavarius Mediolanensis usque ad annum 1573, quo sui Ordinis Provincialis electus renunciavit Lecturæ, eamque obtinuit

1573 29 Octobris P. Sanctus Settinius eiusdem Ordinis.

1582 16 Maii P. Ægidius Marchesinus.

1586 7 Iunii P. Alphonsus Sotus vir celebris.

1593 1 Decembris Angelus Andronicus Venetus, qui per annos 33 hanc Lecturam summa cum laude ornavit. Cui ætate senili defuncto

1627 21 Februarii Successit Benedictus Bovius Feltrensis, qui Venetiis peste obiit: & in eius locum accitus est.

1631 22 Ianuarii P. Magister Cyprianus Philippinus Venetus ingenii præstantia & moribus conspicuus.

1636 25 Sept. Confirmatus. Item anno 1643 20 Ianuarii. Et anno 1649 22 Octobris aucto honorario ad Florenos 400.



Professores Theologiæ in via Scoti ab anno 1500 usque ad ann. 1653. Cap. IV.

LEctura Theologiæ ad mentem Doctoris Subtilis in Gymnasio Patavino prior fuit ea quæ sententiam Diui Thomæ sequitur, & ferè circa annum 1480 floruit: quandoquidem in testamento D. Francisci Savonarolæ anno 1482 10 Aprilis inter testes enumeratur F. Ioannes Petrus Bellunensis Ordinis Minorum S. Antonii Sac. Theol. Professor.

1520 Simon Ardeus docuit vir magni nominis, cuius effigies cum eleganti elogio in Templo S. Antonii spectatur. Auctum est ei honorarium à Senatu Veneto 1531 ad Flor. 130. & anno 1539 vitam clausit. In cuius locum suffectus est

1539 Hieronymus Girelus Brixiensis eius Ordinis cum Flor. 80. cui anno 1543 13 Octobris auctum est stipendium, itemque anno 1546.

1566 Bonaventura Manentus Gabianensis ex agri Brixiensis oppido hanc Lecturam obtinuit, quam per annos 21 interpretatus est, vir subtilissimus, & in publicis Gymnasii circulis admirabilis. A' Cardinali Turriano Episcopo Cenetensi accitus, summi Quęsitoris munus in ea Diœcesi, ut perageret, publicum docendi onus dimisit.

1580 9 Octobris Hieronymus Pallanterius ex oppido Bononesio, natalibus, & egregiis monumentis, necnon pietate vir celeberrimus. Anno 1587 auctum ei stipendium Flor. 150. 1593 ad Flor. 180. 1599 ad Flor. 230.

1603 4 Octobris Cæsar Lippius à Mordano à Metaphysica in hanc Lecturam evectus cum Flor. 200.

1606 31 Octobris Philippus Faber Faventinus relicta Metaphysicæ Cathedra Theologiam explicare cœpit summa cum laude, editis subtilissimis ingenii monumentis in Philo-

losophia, Metaphysica, & Sac. Theologia. Anno 1612 7 Februarii auctum est ei stipendium Flor. 300. Idem anno 1619 22 Octobris Flor. 350. & anno 1624 13 Ianuarii Flor. 450. Tandem annis plenus die 28 Augusti 1630 obiit, eique à Patribus Cœnobii Sancti Antonii in Templo effigies cum elogio in honorem erecta. De quo in nostris Elogiis Par. II.

1630 4 Februarii Matthæus Ferchius Vegliensis cum biennium Metaphysicam publicè docuisset, hanc Cathedram à Senatu Veneto obtinuit. Vir insignis, multiplicis lectionis, Philosophus ac Theologus hac ætate inter alios præclaris ingenii monumentis celeberrimus. Anno 1635 12 Martii confirmatus. & 1641 20 Iulii honorario Fl. 450.

1647 22 Iunii docere pergit aucto stipendio ad Flor. 700 tandemque suis meritis nullo exemplo anno 1653 30 Maii mille Florenis honestatus est.

Professores Sacræ Scripturæ ab anno 1500 usque ad ann. 1653. Cap. V.

ERecta in Gymnasio Patavino sacræ paginæ explicatio anno 1551 commissa fuit P. Adriano Veneto Ordinis Dominicani, qui Metaphysicam non sine magna laude tradiderat, eamque usque ad annum 1564 diligentissimè tenuit, quo fuit Quæsitor fidei electus, & post Episcopus Iustinopolitanus.

1565 11 Aprilis In eius locum à Senatu Veneto electus est Hieronymus Vielmus Episcopus Argolicensis, qui aliàs Metaphysicam, & Theologiam legerat in hoc Gymnasio. Incertum an legerit tali dignitate ornatus, cum Romæ fermè eo tempore ut plurimum commoraretur, & ad Concilium Tridentinum fuerit missus, ut ex Nomenclatore eorum constat, qui Concilio intererant. Hic anno 1570 13 Augusti tran-

translatus est ad Episcopatum Æmoniensem. De quo non pauca in Historia mea Istriæ.

1571 Vielmo successit Hieronymus Quainus Ordinis Servorum Patavinus Philosophus & Theologus insignis. Obiit die 31 Ianuarii 1582 ætatis suæ 58.

1582 die 19 Novembris Alphonsus Sotus Florentinus Dominicanus tum scientia Theologiæ, tum concionandi facultate clarus successit per quinquennium, post ad Theologiæ Cathedram traductus.

1587 9 Octobris P. Ioannes Franciscus Contarenus Patricius Venetus Dominicanus, qui postquam anno 1589 ultimum diem clausisset.

1589 26 Septembris Successorem habuit Dominicum Zambertum Venetum Carmelitanum, qui Metaphysicam in Gymnasio Ticinensi magna cum laude explicaverat. Sed eo defuncto

1594 29 Octobris Alphonsus Sotus à Theologia ad hanc Lecturam est revocatus. Huic auctum est honorarium 1602 3 Octobris. & anno 1607, quo vitam cum morte commutavit.

1607 13 Martii P. Aloysius Albertus Patavinus Eremitanus successit, quam provinciam per annos 22 magna cum eloquentia sustinuit, auctum ei stipendium 1615 25 Decembris, & 1623 31 Iunii. Scripsit de Paradiso terrestri. De prædestinatione, & reprobatione.

1629 13 Martii Hieronymus Trivesius Dominicanus.

1630 14 Februarii Albertus Campana Florentinus Dominicanus è Gymnasio Pisano in Patavinum evocatus, eloquentia & Philologia omnique ferme doctrinæ genere celebris hanc Cathedram per novennium illustravit, licet podagra torqueretur. Patavii mortuus est 1639 die 24 Septembris, edito duntaxat Lucano versibus Etruscis reddito, quamvis plurima conscripserit.

1641 Adrianus Cardinalis Genuensis Dominicanus, vir

in-

insignis ac Theologus polyhistor. Obiit Patavii 22 Septembris *1643*.

1644 Dominicus Paulacius Phisconensis Dominicanus, qui *1646* die 3 Februarii diem clausit.

1646 Magister Andreas Lao Catanensis Ordinis Carmelitarum disputator insignis.

1647 5 Februarii D. Hieronymus Bendandus Prior Cassinensis cum Flor. 300, qui hanc Cathedram varia eruditione, & conquisita sermonis elegantia mirum in modum in hunc diem illustrat, hodie Abbas dignissimus.

Professores Metaphysicæ in via S. Thomæ. *Cap. VI.*

1506. P. Hieronymus Monopolitanus cum Fl. 25.

1520 P. Albertus Vtinensis Dominicanus, qui anno 1531 discessit, & in eius locum electus est die 4 Novemb.

1531 Ioannes Franciscus Beatus eiusdem Ordinis.

1543 *6* Novembris P. Adrianus Venetus Dominicanus hanc Lecturam obtinuit, cui anno 15*46* auctum est stipendium, & anno 1551 ad Cathedram Sacræ Scripturæ promotus est.

1551 Die 15 Septembris Hieronymus Vielmus Venetus eiusdem Ordinis, quam intermisit ob infirmam valetudinem anno sequenti, suffectus in eius locum

1552 Ioannes Matthæus Valdina, vel *Valdensis* Siculus.

15*60* 20 Martii Thomas Peregrinus Venetus celebris Philosophus & Theologus hanc Lecturam obtinuit, cui anno 15*66* cum Flor. 150. & 1575 auctum est ob eius merita honorarium ad Flor. 200, itemq. anno 1581 *9* Novembris ad Flor. 300.

1584 4 Novembris Angelus Andronicus Venetus eiusdem Ordinis Metaphysica explanare cœpit; cui anno 158*9*

28 Se-

28 Septembris auctum est honorarium ad Flor. 120. & anno 1593 dignus habitus est ut ad Theologiam eveheretur.

1593 3 Februarii Electus est Livius Leonius Patavinus summo ingenio, ac doctrina ornatus cum Flor. 60, qui anno 1601 25 Iunii, & 1607 16 Octobris, & 1612 3 Martii auctus stipendium à Senatu Veneto reportavit ad Flor. 210. Sed anno 1617 die 3 Martii obiit.

1618 27 Septembris Hanc Cathedram obtinuit Benedictus Bovius Feltrensis acutissimus, & eloquentissimus vir, cui anno 1625 21 Septembris auctum est honorarium ad Flor. 150. & anno sequenti data est ei Lectura Theologiæ; & in hunc locum successit


1628 4 Aprilis P. Remigius Scroffa Vicentinus cum Flor. 100.

1629 14 Novembris P. Cyprianus Philippinus Venetus successit cum Flor. 100 usque ad annum 1631, quo tempore ad Lecturam Theologicam evectus est.

1632 27 Ianuarii P. Marcus Rossettus cum Flor. 100.

1638 5 Octobris Magister Thomas Turcus Cremonensis summi ingenii vir, nec minoris doctrinæ, Flor. 200, qui ob sua merita totius Ordinis electus est Generalis, & cum Hispaniam visitaret disputando omnibus admirationi fuit. Cuius consilio Alberti Magni opera omnia Lugduni vulgata. Paulo post reditum Romæ intempestiva fata meritis præmia negarunt.

1644 15 Ianuarii Magister Innocentius Pincinus Venetus cum Flor. 100, & 1649 confirmatur auctus honorario ad Flor. 200, à cuius ingenio plurimum expectamus.



Pro-

Professores Metaphysicæ in via Scoti ab anno 1500 usque ad 1653. Cap. VII.

LEctura Metaphysicæ antiqua est in Gymnasio Patavino præsertim in via Scoti. Hanc enim Clarissimus Vir Antonius Trombetta Patavinus Minorita Ordinis S. Antonii, antequam à Summo Pontifice Iulio Secundo Archiepiscopus Vrbini, mox Atheniensis eligeretur, annos 42 exornavit. Quam aggressus est anno Christi 1469 in Annum 1511. Hic scripsit in duodecimum Metaphysicorum; super Formalitiate Scoti, & de contingentia rerum.

1520 Iacobus Burgius, vel Burges post bellum Cameracense professionem hanc obivit, cui anno 1531 auctum est stipendium, itemque 1541, & 1546 ad Flor. 140.

1563 Antonius Gariganensis eiusdem Ordinis, cui post biennium successit

1565 Martialis Peregrinus Calaber, cui auctum est honorarium anno 1571, sed præ studiis anno 1575 lumine orbatus, successorem habuit die 23 Octobris

1575 Carolum Billæum Siculum doctrinæ & ingenii fama excellentissimi, post eius mortem 1580

1582 5 Iulii Electus est Salvator Bartolucius Assisii natus, insignis orator & concionator & Philosophus cum Flor. 90, qui Doctori suo Subtili singulare lumen suis laboribus attulit, emendando Quodlibeta eius, Scriptum Oxoniense, disputationes illustrando præclaris annotationibus omnia, conficiendo eius vitam, & explicando Formalitates Antonii Lichetti ad mentem Scoti; quamobrem præter Lecturam à Senatu Veneto in Collegium Theologorum ascriptus & inter Patres Patavinos Cœnobii unà cum Pallenterio enumeratus. Anno 1587 8 Octobris, & 1593 27 Septemb. aucto stipendio ad Florenos 180.

1599 28 Octobris Cæsar Mordanus variarum rerum cognitione celebris, cui 1602 24 Iulii auctum est honorarium ad Florenos 200.


1603 4 Octobris P. Philippus Faber Faventinus, qui post quadriennium ad Theologiam traductus. In eius locum successit

1607 24 Octobris P. Octavianus Strambiatus Ravennas, obsoletioris corporis, sed acerrimi ingenii. Qui hoc munus per annos 22 quum gessisset, apoplexia vexatus in patriam se recessit, ubi 1630, die 17 Aprilis obiit prope septuagenarius.

1628 30 Ianuarii P. Matthæus Ferchius Vegliensis; sed post biennium ad Theologiam evectus.

1630 27 Februarii Successorem habuit Franciscum Mariam Vaccarium de S. Ioanne Bononiæ juvenem prompti ingenii & disputationibus accommodatum, qui post novennium à malignis variè uexatus phrenesi interiit; legebat cum Flor. 200.

1644 P. Franciscus Betotus Bononiensis. 1646 cum Floren. 220 legit, ingenii doctrinæque dotibus nihil inferior.



Pro-

Professores Theoricæ Ordinariæ Medicinæ ab anno 1500 usque 1653. Cap. VIII.

OBtinebat circa hæc tempora hanc Cathedram D. Gabriel Zerbi, cui anno 1505 30 Decembris successit ex decreto Senatus Veneti D. Antonius de Faventia cum Ducatis 400, quem secutus est Marcus Antonius à Turre.

1520 Franciscus Victorius Bergomas circa hæc tempora hanc Cathedram tenebat. Qui plurima in Philosophia & Medicina scripsit, incendio ex bello deperdita, ut refert Aldus Manutius in Præfatione Comm. Alexandri Aphrodisæi in Aristotelis Topica.

1524 Matthæus à Curte, vel melius Curtius rei medicæ scriptor celeberrimus, præsertim de venæ sectione in pleuritide, de aquæ bonitate. Commentaria in Anatomen Mundini, & de Methodo dosandi ad Tyrunculos edidit, aliaque quæ apud me pluribus extant voluminibus inedita, quæ in Bibliothecis Patavinis recensentur.

1527 Huic auctum est stipendium ad Florenos 700.

1530 Iterum eidem honorarium auctum ad Fl. 920.

1532 Curtius discessit è Gymnasio Patavino, & in eius locum suffectus est Benedictus Victorius Faventinus, qui Bononiæ docebat, honorario Florenor. 700, & per septennium summa cum laude hanc materiam explicavit cum Ducatis aureis 800.

1539 Franciscus Cassianus conductus est Fl. 500, vir celebris, qui in variis Italiæ Gymnasiis, præsertim Ticinensi docuerat.

1541 Ob mortem Cassiani data est hæc Lectura Pamphilio Montio, vel de Monte, Bononiensi, tunc in patria legenti, Floren. 460 honorario. Translatus postea ad practicam Ordinariam Medicinæ in primo loco, successorem habuit

Ioannem Baptistam Montium Veronensem practicæ ordinariæ locum tenentem.

1544 Ex rotulo hic ipse Io. Baptista huic Cathedræ præfuit, qui anno 1546 denuò revocatus ad primum locum Ordinariæ practicæ amplissimo stipendio Florenorum mille.

1546 Oddus de Oddis de Montesilice, qui prius secundum locum tenuerat ad hanc Sedem translatus est veluti miles emeritus; quam quidem summa cum laude decoravit usque ad ultimum vitæ terminum, scilicet ad annum 1558. Extat huius viri Elogium in Primo Volum. Clariss. Vir. à me editum.

1559 Bassianus Landus Placentinus Oddo defuncto successit, vir celebris qui per plures annos in hoc Gymnasio summo cum studiosorum profectu docuerat. Auctor est Iatrologiæ, seu Dialogorum de cognoscendis & curandis morbis. Scripsit de humana historia Libros II. Convertit è Græco in Latinum Orationem Demosthenis contra Antrodotionem: Ecphrasis de motu, de tempore, de loco edidit. Legimus eiusdem Præfationem in Aphorismos Hippocratis. Libellos de Vacuatione. Lib. Epiphyllides. Annotationes in Terentium. Paraphrasin in Lib. Aristotelis de anima. Com. in Artem parvam. De origine & causa pestis Patavinæ, quæ in ann. 1555 incidit; & de Incremento & Natura cœlesti. Hic celeberrimus vir anno 1562 ad januam suam nefariè confossus est.

1563 Bernardinus Paternus Saloënsis Fl. 500 vocatus, qui in Gymn. Ticinensi, Pisano, & Montis Regalis legerat, dumque Ticini publicè doceret, propter clarissimas suas virtutes & ingenii & doctrinæ præstantiam, Francisco Venerio, egregio Philosopho, Veronæ Prætore favente, dignus visus est, qui jure Veronensis civitatis cum tota sua familia donaretur. Anno 1568 auctum est ei stipendium ad Flor. 800. Item 1574 13 Novembris, & 1581 10 Novembris: & 1587 4 Decemb. denuò à Senatu conductus honorario Fl. 1200.

Se-

Senex obiit anno 1592. Eius editus est Tractatus de humorum purgatione in morborum initiis tentanda; & Tractatus de cœna uberiori: & post eius obitum Explanationes in primam partem Primi Canonis Avicennæ.

1592 2 Iulii Horatius Augenius à Monte Sancto, qui in Maceratensi Gymnasio Logicam duobus annis & in Romano Medicinam Theoricam extraordinariam quinque annis, in Taurinensi Practicam in primo loco sexdecim annis docuerat è quibus collega Ioanne Costeo ex Laude Pompeia sex traduxerat, sine collega reliquos, in hoc Gymnasium accitus honorario Florenorum 900. Cui anno 1599 8 Octobris auctum est stipendium ad Floren. 1100. Senex obiit anno salutis humanę 1603. Editis Libris 10 de sanguinis missione. Huius etiam extant Epistolarum Medicinalium Libri 24 duobus Voluminibus comprehensi, Liber de partu hominis. Commentaria in Lib. II Galeni ad Glauconem de Curatione auctoris manu scripta; in Museo Ioan. Rhodii servantur.

1611 6 Octobris Cum Flor. 800 accitus est Sanctorius Sanctorius Iustinopolitanus vir præstantissimus & ingeniosissimus, qui plura invenit, & multa scripsit undique edita & probata, è quibus præsertim Statica. Commentaria in Aphorismos in primum Fen Avicennæ. In Artem Parvam Galeni. Cuius vitam tertio volum. Elogiorum nostrorum dabimus.

1618 27 Novembris Ob eius merita auctum est ei honorarium ad Florenos 1200.

1624 4 Iunii Pompeius Caimus Vtinensis è Romano Gymnasio in hanc Sedem traductus cum Fl. 750, cuius varia legimus, & 1625 defunctis Adriano Spigelio, & Francisco Plazzono Anatomen etiam explicavit. Obiit anno 1631 in patria, quò flagrante Patavii peste secesserat, ex quo & hæc Cathedra annos 14 vacua fuit ob excellentiam Io. Dominici Salæ Patavini Medici primi nominis secundo loco le-

gen-

gentis; quod Senatus Veneti decreto duo Professores Patavini Prima Gymnasii loca tenere non liceret.

Gaspar Hofman Medicus polihistor celeberrimus in locum Caimi invitatus, qui & mox Duci Veneto Librum dicavit, senectute & mala valetudine impeditus fuit.

1645 Die 28 Septemb. Fortunius Licetus Genuensis summus Philosophus è Gymnasio Bononiensi post septennium in hoc Lyceum, ubi olim annos 24 Philosophiam docuerat, revocatus per amplo stipendio, & communi tum Studiosorum, tum Civium, ac Nobilium applausu. Quem ipsi honorem diu ad Gymnasii decus exopto. Legebat anno 1653 Florenis 1300. Annis septuaginta quinque agens, conscriptis totidem voluminibus orbi.

Professores Theoricæ Medicinæ ordinariæ in secundo loco ab anno 1500 usque 1653. Cap. IX.

1506 Petrus Trapolinus Patavinus collega M. Antonii à Turre.

1520 Ludovicus Carensius Tosettus Flor. 300.

1523 Ioannes Laurentius Saxaferratensis. Cui postea successit Ludovicus Carensius vulgo Tosettus, qui anno 1530 19 Octobris auctus est honorario ad Flor. 400, & data societas cum Matthæo Curtio. Anno 1535 postea traductus est ad Practicam Ordinariam in primo loco successor Accoromboni.

1533 Franciscus Frizimeliga Patavinus legebat Florenis 200. & anno sequenti profectus Venetias Lecturam dimisit, cui

1535 27 Octobris Successit Oddus de Oddis Florenis 400 usque ad annum 1546, quo evectus est ad primam Theoricæ Medicinæ Sedem.

1547 Bassianus Landus Placentinus per annos 12 sum-

ma

ma cum laude docuit, postea ad primum locum translatus 1559. Cui successit.

1559 Paulus Crassus Patavinus præstantissimus Doctor, qui Bassiani Landi, & postea Bernardini Paterni collega fuit, vir Medicæ scientiæ & eloquentiæ laude clarissimus hanc facultatem per annos 15 explanavit Flor. 350. Excessit è vita anno 1574. Edidit Anatomen, seu de humani corporis Fabrica Theophili Protospatharii, quam de Græco in Latinum sermonem convertit. Item opus Aretæi Medici, & Rufi Ephesii Opuscula. Scripsit de Balneis Patavinis, & Annotationes in Theophrasti Libros de Plantis.

1574 In locum Crassi successit Nicolaus Curtius Brixiensis, qui anno 1554 Tertium Avicennæ, Anno 1555 Sophisticen docuit, & postea in secundo loco Practicæ extraordinariæ successor Andreæ Appellati 1559. Collega Mariani Stephanelli in æqualitate primi loci 1571. tandem in hanc Cathedram sumtus. Anno 1576 cum in patriam se recepisset, ut sævientem Patavii pestilentiam fugeret, in eam Brixiæ incidit à qua extinctus est.

1578 20 Maii Electus est ad hunc locum Bernardinus Trivisanus Patavinus, qui anno 1563 Simplicium Medicamentorum rationem, postea Medicinam Theoricam extraordinariam annos 12 magna cum laude docuit, & continuavit Flor. 300 usque ad annum 1583, quo decessit. Funus eius oratione Riccoboni cohonestatum.

1583 5 Novemb. Albertinus Bottonus Patavinus cum Flor. 270, cui 1589 26 Aprilis, & 1596 14 Novembris auctum est honorarium ob eius merita ad Flor. 600. Imo propter famæ celebritatem Gymnasii Moderatores ipsum delegerunt non ambientem id munus, concessa parilitate primi loci cum Horatio Augenio; anno 1596 è vita discessit. Eius extant Libri tres de morbis mulieribus. De Vita conservanda opus. De ratione consultandi in re Medica disputatio. Varia eius reconditæ naturæ sunt remedia non-

dum

dum edita, quæ cum auditoribus suis communicaverat. Primus ille post Carpum Bononiensem Hydrargyro luem Veneream profligare cœpit, ingenti lucro.

1596 19 Octobris Æmilius Campolongus Patavinus hanc Lecturam obtinuit. Cui auctum est stipendium ad Florenos 400 anno 1597 9 Novembris.

1607 16 Octobris Nicolaus Trivisanus, qui per plures annos tertio loco Theoricæ Extraordinariæ Lector ad hanc Sedem evectus Flor. 200 eam annos 26 laboriosè tractavit, auctum ei honorarium 1613 29 Martii. 1617 6 Octobris. 1622 11 Febr. & 1631 17 Ianuarii ad Florenos mille. Senectute confectus è vita discessit 1633, suæ ætatis 74. cui successit

1633 12 Iulii Ioannes Dominicus Sala Patavinus anno 1640 auctus honorario Flor. 950 summæ scientiæ, ac affabilitatis Vir, qui hanc doctrinam magno auditorum applausu ad ultimum diem explicavit. Editis Commentariis in Artem parvam, & De Alimentis. Auditorum manibus teruntur De Methodo.

1644 Die 26 Octobris Salæ successit eius discipulus Guidus Antonius Albanesius Patavinus Florenis 300. Anno 1650 20 Octobris confirmatus Fl. 600, acerrimi ingenii Philosophus, totus artis exercitio deditus.



Pro-

Professores Medicinæ Practicæ Ordinariæ in Primo loco ab anno 1500 usque 1653. Cap. X.

1500 Hieronymus de Verona circa hæc tempora legebat, quo defuncto anno 1505 die 11 Februarii locum obtinuit Franciscus de Caballis Flor. 400.

1506 23 Octobris In Lectura Practicæ Ordinariæ horis vespertinis Ioanni ab Aquila jam annis gravi substituitur Bernardinus Speronius Florenis 200 per annos duos.

1521 Christophorus Aretinus à Riccobono in hunc annum reponitur.

1527 22 Octobris Hieronymus Accorombonus Eugubinus, qui annos 20 in diversis Gymnasiis Practicam Ordinariam professus est, à Senatu Veneto ad hanc Lecturam conductus est honorario Florenorum 700. Huic anno 1531 17 Octobris auctum est stipendium ad Flor. 800. Eius editus est Tractatus de Catarrho, de Visu, de Lacte, & de Putredine.

1535 Ludovicus Carensius Accorombono successit usq; ad annum 1539, quo è vita discessit, & in eius locum

1539 Suffectus est Ioannes Baptista à Monte Veronensis, qui paucos post annos ad Theoricam traductus est usque ad annum 1546.

1544 Ex rotulo Pamphilius Montius hanc Lecturam obtinebat.

1546 10 Oct. Io. Baptista de Monte denuò est revocatus ad hanc Sedem honorario mille Florenor. & anno 1549 cum Duci Vrbinati Serenis. Reipub. armorum Præfecto operam suam præstitisset, decretum est honorarium, etiam ei absenti, concedendum.

1551 21 Novembris Victor Trincavella accitus est honorario Flor. 930 per annos tres, & anno 1554 28 Septem-

bris auctum est ei stipendium ad Florenos 1200. Obiit 1564 & in eius locum suffectus est

1564 Antonius Fracantianus Vicentinus Floren. 700, è Gymnasio Bononiensi evocatus. Vir magni nominis, qui obiit 1567. edidit Tractatum de Morbo Gallico, & biennio vacabat hæc Lectura. Eius apud Ioannem Rhodium servantur Prælectiones in 9 Rasis nondum editæ.

1569 21 Octobris Hieronymus Mercurialis Foroliviensis Flor. 600, cui post sexẽnium auctum est stipendium 1575 20 Iunii ad Florenos 900. & 1581 9 Novembris iterum ad Flor. 1150. Anno 1583 à Maximiliani II Imperatoris valetudine vocatus, impetrata Senatus Veneti licentia, à Cæsarea Maiestate muneribus & Comitis atque Equitis dignitate ornatus rediit. Discessit ex hoc Gymnasio anno 1587 ad Gymnasium Bononiense accersitus. Extant eius opera multa variis Vol. digesta, quæ in Elogiis nostris editis 1629 enumeravimus.

1587 13 Octobris Alexander Massaria Vicentinus amplissimo honorario Florenorum 800. Cui etiam 1593 27 Aprilis auctum est ad Florenos mille. Vir multæ literaturæ Græcis ac Latinis literis. Cuius præcipuè laudatur Liber de Peste. Reliqua in nostris Elogiis editis videantur.

1599 15 Octobris Eustachius Rudius editis magni usus Commentariis Cl. Medicus ad hanc principem Sedem delectus: cui anno 1603 6 Decembris auctum est honorarium ad Florenos mille: & 1609 5 Novembris ad Scutatos mille.

1612 7 Decembris Ad hanc Lecturam accessit Thomas Minadous Rhodiginus. Anno 1615 30 Maii obiit Florentiæ, illuc ad Serenissimum Ducem curandum evocatus. Edidit inter alia Disputationes medicinales. Itemque de Turpitudinibus Libros tres. & De febre maligna duos. Historiam de bello Persico. Apologiam ad obiectiones Leunclavii.

1615 6 Decembris Rodericus Fonseca Lusitanus honorario

rario Flor. mille è Gymnasio Pisano vocatus, medendi peritia celebris plurima Scholis commoda in lucem protulit.

1622 Die 2 Decembris Ioannes Colle Bellunensis: Cui auctum est honorarium 1630 4 Februarii ad Flor. 850. Obiit senex tempore pestis primo Iulii 1631. vir cultus, & affabilis, & variarum operum in re medica scriptor, quæ enumerantur in secundo Vol. Clar. Viror. à nobis edito.

1632 2 Ianuarii Cum Prima Subsellia Patavinis sint vetita Senatus decretis, Benedictus Silvaticus Eques raro exemplo ad hanc Primam Sedem est evectus ob sua merita Florenis 900. docendi facilitate miraque facundia, & consultandi promtitudine semper ingens traxit auditorum agmen, in primis advenarum. Principum & purpuratorum valetudini sæpe admotus. De quo uberius in Athenis nostris.

1638 5 Octobris Auctus est honorario ad Florenos mille & centum.

1650 Ob sua merita declaratus est à Senatu Veneto Lector Supraordinarius annuo honorario Florenorum 1200.



Professores Practicæ Ordinariæ in secundo loco ab anno 1500 usque 1653. Cap. XI.

1521 Circa hæc tempora Ludovicus Carrensius in hunc locum legisse, & postea

Hieronymus Bagolinus Veronensis.

1528 Franciscus Victoria Memoria à Theorica ad practicam in secundo loco; cui successit

Franciscus Bonafides Patavinus: cui auctum est honorarium 1531 24 Octob. qui varia opera in re Medica edidit.

1537 7 Octobris Franciscus Frizimeliga legebat cum Flor. 450.

1543 Paulus Crassus substitutus in hac Lectura pro Frizimeliga.

1544 Ex rotulo Frizimeliga legit, & die 26 Ianuarii post eius infirmitatem auctum est ei stipendium.

1546 9 Octobris Paulus Crassus Patavinus in paritate primi loci. 9 Novembris Antonius Fracantianus in paritate loci.

1548 Fracantianus iterum conductus Flor. 350.

1552 Ex rotulo Idem. Cui 1554 23 Septembris auctum est honorarium. Idem ex rotulo 1555 legebat. Hinc ad Gymnasium Bononiense fuisse vocatum arbitramur. In eius locum Aloysius Bellacatus Brixiensis successit.

1564 Hieronymus Capivacceus Patavinus factus est collega Antonii Fracantiani loco primo legentis, & post mortem Fracantiani collega Mercurialis, cum quo postea in paritate primi loci docuit. Auctum ei honorarium anno 1570 29 Septembris, 1575 7 Octobris, & 1581 9 Novembris, & 1587 4 Decembris cum Flor. 830. Qui id honoris est consecutus, ut tamquam miles emeritus à publicis in circulo disputationibus per literas Senatus immunis esset. Vocatus

à Ma-

à Magno Duce Etruriæ in Gymnasium Pisanum renuit. Vir in re medica princeps. Eius extant opera Medica practica in Lib.7. Tractatus de Vrinis. Libellus de componendis medicamentis. Explicationes triginta quatuor de methodo medendi. Liber de methodo Anatomica. Et de differentiis doctrinarum, seu de methodis. Obiit 1589.

1590 *9* Novembris Hercules Saxonia Capivacceo successit Flor.300. cui *1596* *19* Decemb. auctum est honorarium ad Flor.*600*.& 1*602* 3 Decemb. idem in paritate loci cum Massaria Flor. *900*. Vir maximus in re medica. cuius Elogium iam edidimus 1*629*.

1*607* 1*6* Octob. Ioannes Thomas Minadous suffectus est Saxoniæ defuncto honorario Flor. 500. qui traductus post quinquennium ad primum Practicæ locum successorem vidit

1*612* 7 Decembris Alexandrum Vigontiam Patavinum Florenis *600*.

1*6*18 Hoc defuncto electus 5 Maii Benedictus Silvaticus Patavinus, cui anno 1*62*5 data est æqualitas primi loci. & 1*629* 30 Ianuarii auctum est ei honorarium ad Flor.700. & anno 1*6*31 ad primum huius Lecturæ locum evectus.

1*632* Hæc Lectura aliquot annos vacauit professore.

Ann.1*636* 17 Novemb. Data est Ioanni Francisco Bonardo Patavino, qui hoc argumentum diligenter explanat.

1*642* 4 Septemb. confirmatur. Item anno 1*6*48 28 Febr. aucto honorario ad Flor.750 suam Spartam exornat.

Ad Medicinam Practicam Ordinariam in tertio loco ab anno 1500 *usque* 1*6*53. *Cap. XII.*

D. Paulus de Placiola circa hæc tempora hanc Lecturam docebat.

1530 2*6* Ianuarii Electus est Gaspar Marævolus Patavinus in locum Placiolæ, qui Lecturæ renunciaverat.

Ad

Ad Anatomen cum Ordinariis, & ad Chirurgiam ab anno 1500 usque 1653. Cap. XIII.

1520 PEtrus Maynardus Veronensis. Fl.40.

1523 Io.Baptista Pigafetta Vicentinus.

1525 Hieronymus Vails Hispanus.

1527 Nicolaus Musicus Patavinus. cui 1532 auctum est honorarium ad Flor. 60.

1530 Io.Baptista Lombardus Patavinus.

1535 Franciscus Litigatus Lendenariensis electus ab Universitate, qui primum & secundum locum suppleret, confirmatus à Senatu Veneto.

M. Antonius Montagnana Patavinus.

1540 Andreas Vesalius Chirurgiam explicabat: cui hoc anno à Moderatoribus Gymnasii injunctum fuit munus Anatomicum usque ad annum 1544. In cuius locus suffectus est

1544 Matthæus Realdus Columbus Cremonensis, scriptis notus.

1547 Ioannes Paulus Guiducius Chirurgiæ & Anatomes Cathedram obtinuit. Huic successit

1551 Gabriel Fallopius, qui dum vixit hoc munus magna cum laude gessit.

1562 Francisco Lendera pro lectione Anatomes datum fuit honorarium Ducatorum 35 &

1564 Die 17 Ianuarii Prosper Borgarucius destinatus fuit ad Anatomes administrationem.

1565 Hieronymus Fabricius ab Aquapendente ad utrãque electus die 18 Decembris 1567 auspicatus humani corporis dissectionem.

1571 30 Octobris Auctum stipendium ad Fl.200. Idem anno 1577 4 Octobris Fl. 400. & 1584 5 Februarii Flor. 600. & 1589 28 Septemb. Flor. 850. 1594 28 Septemb.

Flor.

Flor. 1100. & *1600* 24 Septembris honorario amplissimo Scutatorum mille. Vir equidem in hac re supra alios totius orbis celeberrimus. Cuius extant typis opera egregia ubique edita. Anno *1609* hoc munere se abdicavit ob senectutem, salario fretus usque ad *1619*, quo 24 Maii obiit. Plura de ipso in nostris Elogiis.

1609 25 Augusti Substitutus fuit Iulius Cassencis Placentinus usque ad annum *1615* die 3 Octobris, quo aucto honorario ad Flor. 420. Ipso sequenti anno fatis defuncto conductus est è Moravia.

1615 22 Decembris Adrianus Spigelius Bruxellensis Aquæpendentis discipulus ad utramq; Lecturam Flor. 500. Cui postea ob merita Eques D. Marci creatus est, & torque aureo condecoratus.

1619 4 Martii Novo exemplo Franciscus Plazzonus Patavinus electus in secundo loco Chirurgiæ, & Anatomiæ cum Flor. 100, qui anno *1624* obiit.

1625 Spigelius è vita excessit, & hæc Cathedra vacua fuit usque ad

1625 6 Novembris, quo Pompeius Caimus primarius Ordinariæ Medicinæ interpres Anatomen in Theatro docere cœpit, dissectore Hieronymo Sabiono è Montesilice, electo ad Lecturam Chirurgiæ, & ad incisionem Anatomicam, usque ad annum *1631*, quo uterque fato sublatus.

1633 17 Ianuarij Publicè Anatomici munus aggressus est Ioannes Veslingius Mindanus Eques S. Sepulcri, electus *1632* ad Anatomen, & Chirurgiam Florenis 300, & dono 200 Florenorum. Anno *1638* auctum est ei annuum stipendium ad Florenos 500. Anno *1644* confirmatus Florenis *900*.

1636 17 Iulii Ad secundum locum electus est Bonaventura Ferrarius Vtinensis, qui exacto biennio sponte docere desiit.


1637 Ioannes Veslingius cum obtinuisset Lecturam Simpli-

plicium destitit à Lectione Chirurgiæ, continuata Anatome, quam suo tempore summa cum laude & studiosorum vtilitate, nominisque celebritate in re herbaria ac Anatome ostendebat usque ad annum 1649 30 Augusti, quo editis egregiis ingenii monumentis vivere desiit. Paucis ante annis, ne immensis laboribus occumberet, Ioannes Leonius Estensis eius discipulus auctoritate Senatus publico stipendio fuit additus, qui ei manum præberet.

1640 24 Augusti Petrus Marchetus Patavinus Eques electus ad Chirurgiæ Cathedram in secundo loco Anatomen simul in theatro tractabat. Cui 1642 4 Decembris Collegium Phil. & Medicorum conceditur. An. 1646 confirmatur, & 1652 auctum est ei honorarium ad Florenos 500.

1647 22 Ianuarii Petrus Franzanus Vicentinus ad secundum locum Chirurgiæ per modum provisionis conductus Flor. 100. 1648 18 Septembris auctum quinquaginta Florenis salarium cum ingressu in Collegium Phil. & Medicorum. An. 1649 27 Februar. literis publicis locus ipsi extraordinarius decernitur. Ex quo vacante Cathedra Logica eodem anno die 23 Decembris Nerio successit.

1949 27 Decembris Antonius Molinetus Venetus ad Chirurgicam & Anatomicam Cathedram in locum Veslingii defuncti electus est Fl. 800. Cui anno 1652 29 Decembris concessum fuit stipendio quinquaginta Florenorum, ut juvenem sibi auxiliarem eligeret. 1653. Collegii Veneti Præses declaratus.



Ad

Ad Lecturam Simplicium cum Ordinariis, & ad ostensionem in horto ab an. 1500. usque 1653. *Cap. XIV.*

1533 FRanciscus Bonafidius Patavinus in Scholis Simplicium virtutes declarabat.

1535 Hæc Lectura intermissa fuit Senatus Veneti decreto.

1542 3 Octobris Restituta Lectura auctum est stipendium Bonafidio.

1551 23 Septembris Gabriel Fallopius Mutinensis conjuncta Chirurgia cum Simplicium explicatione.

1563 Defuncto Fallopio suffectus est Bernardinus Trivisanus Patavinus.

1564 Melchior Guilandinus in Viridario cœpit stirpes ostendere usque ad annum 1590. Cui successit Iacobus Cortusius Patavinus ad annum 1593.

1593 Prosper Alpinus Marosticensis ad Lecturam Simplicium in Scholis, & ad ostensionem Simplicium in viridario mense Maio electus est. Cui auctum est stipendium 1601 23 Iunii. & 1606. & 1613 29 Maii ad Fl. 750. Defuncto Alpino ad ostensionem

1618 Successit Ioannes Prevotius, & ad Lecturam in Scholis Iacobus Zabarella Patavinus, qui obiit peste anno 1630. quo tempore etiam Prevotius febre sublatus maligna.

1631 Ioannes Rhodius Danus ad Lecturam & ostensionem electus; eam ob rationes domesticas modestè recusavit.

1633 Vtrumq; munus conceditur Alpino Alpino, quod peregit usque ad an. 1637, quo vita excessit.

1638 Ioannes Veslingius Eques S. Sepulcri ad utrum-

que electus, vnà cum Anatome, sub cuius auspiciis Viridarium summopere crevit, ut superius diximus. Anno 1644 confirmatus, & auctum est ei honorarium. Cui defuncto

1649 6 Octobris Successit Georgius à Turre Patavinus cum ostensione Simplicium in horto Florenis 200.

Professores Philosophiæ Ordinariæ in Primo loco ab anno 1500 usque 1653. Cap. XV.

1500 ANtonius Fracantianus.

1506 7 Novembris Alexander Achillinus, qui diu Bononiæ docuerat primo loco Philosophiam, ad hanc Sedem successit Fracantiano.

1520 Brandaporus Mediolanensis, Riccobono teste. & Hieronymus Bagolinus Veronensis, qui postea adhibitus est ad Medicinam Practicam Ordinariam explicandam.

1521 Ioannes Montisdocha Hispanus.

1525 M. Antonius Zimara Sanctipetrinas.

1528 Vincentius Mazius.

1529 Ex publicis rotulis & Libris Primus locus vacabat.

1531 17 Octobris M. Antonius Genua Patavinus Flor. 300. qui plures annos summa celebritate secundo Philosophiæ loco docuerat, ad primam Sedem traductus est. Cui 1535 auctum est stipendium ad Flor. 500. 1542 29 Novembris auctum est stipendium. Idem 1544. & anno 1545 Senatus Venetus ipso supplicante Florenos 600 pro stipendio concessit, & in dotem unius è tribus filiæ munus Ducat. 600.

1552 16 Iunii Iterum Genuæ summo Philosopho auctum est honorarium ad Flor. 700 in sexennium conductus.

1559 Iterum eidem ad Flor. 800 auctum stipendium; senectute confectus anno 1563 obiit. Cuius laudes in nostris Elogiis persequuti sumus.

1564

1564 Federicus Pendasius Mantuanus, & Franciscus Piccolomineus Senensis in paritate loci. Pendasio Bononiam accitus 1571. Piccolomineus Primo loco legebat.


1571 29 Octobris Auctum est honorarium ad Florenos 600 Piccolomineo. Idem 1577 9 Septembris. & 1583. & 1589 30 Septembris ad Scutatos mille. Vir enim celebris & Philosophorum sua ætate coriphæus.

1601 23 Iunii Cæsar Cremoninus Centensis è secundo loco ad primum traductus Flor. 600. Quem annos 30 summa celebritate & Gymnasii splendore aucto honorario raro exemplo ad Florenos 2000. Obiit senectute confectus anno 1631.

1633 12 Iulii Ioannes Thomas Ziliolus Perusinus accitus est honorario 1400 Florenorum. Vir summi nominis & multiplici scientiarum cognitione excellentissimus. Anno 1637 defuncto in eius locum successit

1637 Ioannes Cotunius Verriensis Eques Florenorum mille honorario. 1645 28 Septemb. confirmatur aucto honorario ad Flor. 1300.

1650 Auctum est ei stipendium ad Florenos 1600. Vir voce & scriptis celeberrimus, cuius copiosa, & erudita Commentaria extant in universam ferè naturalis scientiæ ab Aristotele traditæ doctrinam, itemque Logicæ disputationes, ac de conficiendo Epigrammate Liber, cuius rationem se optimè novisse ostendunt Epigrammata Græca nuper emissa; eloquentiam Viri testantur Orationes diversæ; omnia Cedro digna.



Professores Philosophiæ Ordinariæ in Secundo Loco ab anno 1500 usque 1653. Cap. XVI.

1528 26 Octob. MArcus Antonius Genua Patavinus augmentum habuit pro honorario Flor. 180. sed translatus ad primam Sedem

1531 5 Novembris Suffectus est ad hunc locum Vincentius Madius, vel Mazi Brixiensis: cuius leguntur in Aristotelis Librum de Poetica explanationes communes cum Bartholomæo Lombardo Veronensi, & propriæ Annotationes, ac de Ridiculis Liber, itemque Interpretatio in Horatii Poetica.

1535 Anno auctum est Madio honorarium ad Fl. 300.

1543 9 Octobris Abracius Appulus, qui primum locum Philosophiæ extraordinariæ prius docuerat, ad hanc Cathedram traductus, eique anno 1546, & 1549, & 1552, & tandem 1555 auctum est stipendium, & in hac Lectura confirmatus.

1559 12 Februarii Ioannes Calaber electus in concurrentia Ioannis Gabrielis, ita in publicis Libris.

1577 27 Martii Archangelus Mercenarius à Monte Sancto à Cathedra prima Philosophiæ extraordinariæ traductus est ad hunc secundum locum. Cui 1584 auctum est honorarium ad Flor. 460. & 1585 obiit subtilissimus Philosophus, eius extant Dilucidationes in plurima Aristotelis loca perobscura, & nonnulla Averrois. Item aliæ Dilucidationes Quæstionum Philosophiæ naturalis Aristotelis, & illius Interpretum. Disputationes de putredine eiusdem Mercenarii, & Thomæ Erasti adversariæ quatuor.

1585 6 Septembris Comes Iacobus Zabarella hanc Cathedram obtinuit cum Flor. 410, quam ingenti nominis fama annos quatuor tenuit, præmatura morte abreptus. Hu-

ius

ius præclaras dotes in Elogiis nostris, & Athenis vulgavimus.

1590 23 Novembris. Cæsar Cremoninus Centensis, qui in Gymnasio Ferrariensi primum Philosophiæ locum obtinuerat, Flor. 200 accessit.

1597 14 Decembris, auctum est ei honorarium ad Flor. 400. & quadriennio post ad primam Sedem evectus fuit.

1601 20 Octobris Georgius Raguseus hunc locum obtinuit anno 1607, & 1615 in eodem à Senatu Veneto confirmatus honorario auctus ad 650 Flor. cuius opera, & laudes in Elogiis nostris extant.

1622 2 Aprilis Fortunius Licetus Genuensis successit Flor. 600. Cui 1630 4 Febr. auctum est stipendium ad mille Flor. & defuncto Ziliolo 1636 ad primam Sedem desideratus, cum in Bononiense Gymnasium accitus esset magno stipendio, anno 1637 discessit; ex quo Cathedra vacavit.

1640 Claudius Berigardus Gallus multiplicis doctrinæ vir è Gymnasio Pisano conductus fuit in paritate primi loci Flor. 800. anno 1646 aucto honorario ad Flor. mille.

1653 8 Aprilis confirmatus legit honorario Flor. 1200 editis reconditæ doctrinæ commentariis in universam prope Philosophiam naturalem.

Ad Philosophiam Ordinariam in tertio loco. *Cap. XVII.*

1550 Hieronymo Stephanello auctum est hoc anno honorarium ad Florenos 67, quæ Lectura postea fuit intermissa.

Professores Theoricæ Extraordinariæ horis pomeridianis in Primo loco ab anno 1500 usque 1653.
Cap. XVIII.

1506 27 Octob. FRanciscus Trapolinus Petri filius, postquam Logicam & Philosophiam docuisset ad hanc Lecturam receptus est.

1520 Hieronymus Pedemontiùs Veronensis, Riccobono teste.

1529 5 Octobris Oddus de Oddis.

1530 23 Aprilis Andreas Baranzonus Mutinensis ab Vniversitate Gymnasii electus, & à Senatu Veneto confirmatus salario; de quo in Statutis.

1531 6 Novembris Octavius Tabula Vicentinus salario in Statutis posito.

1533 Oddus de Oddis in locum Francisci Frizimelicæ Flor. 400.

1539 Antonius Fracantianus in hac Lectura confirmatus aucto honorario, quod idem assecutus est anno 1543. & biennio post in locum Pamphili Montis, cui in hac Cathedra suffectus Bassianus Landus 1547.

1552 Comes de Monte, vel Montanus Vicentinus electus huic Cathedræ renunciavit. successit

1553 Franciscus Morzentius Brixianus per annos tres.

1558 Paulus Crassus in locum Oddi Fl. 300 accitus.

1563 Bernardinus Trivisanus Patavinus electus hanc materiam usque ad annum 1578 explanavit Flor. 100.

1578 8 Maii Marcus de Oddis Patavinus Flor. 100, qui postea translatus est ad Medicinam Practicam extraordinariam.

1583 5 Novembris Æmilius Campolongus Patavinus. cui 1591 23 Martii auctum est honorarium ad Flor. 200. sed

po-

postea eodem anno ob suam in praxi Medica excellentiam ad Medicam Practicam extraordinariam à Moderatoribus studii inscius traductus est, datusque hic locus

1591 Annibali Bimbiolo Patavino cum Flor. 200. qui anno 21 magna cum laude docuit, scilicet usq; ad ann. 1612, quo tempore auctus honorario Flor. 500.

1613 29 Martii Ioannes Dominicus Sala Patavinus cum Flor. 200 successit. Cui 1622 21 Martii, & 1628 30 Ianuarii eodem in loco auctum honorarium ad Flor. 550.

1633 23 Iulii Iulius Sala Patavinus Salæ suffectus est; Cui anno 1637 auctum est honorarium cum Lectura in Nosodochio S. Francisci de pulsibus, & urinis, qui 1641 obiit, & aliquot annis vacavit hæc Cathedra.

1644 Hieronymus Golzadius Vicentinus summæ expectationis juvenis Constantinopoli reversus. anno 1649 24 Aprilis confirmatur Flor. 500. qui in ipso ætatis, & honorum flore obiit 21 Augusti 1651.



Pro-

Professores Theoricæ Extraordinariæ in secundo loco ab anno 1500 usque 1653. Cap. XIX.

1529 FRanciscus Frizimeliga.
1531 14 Martii Auctum stipendium.
1534 16 Novembris Iacobus Ferdinandus de Bari.
1544 Ex rotulo electus Pompeius Maceranus Brixianus, pro primis sex mensibus.
Baptista Vittanus Comensis, pro reliquis sex mensibus.
1545 Bassianus Landus.
1551 Comes de Monte Vicentinus.
1552 Franciscus de Orrellis de Vrbino, ex rotulo.
1555 Ex rotulo, Iulius Bonifacius Vicentinus.
1561 Hieronymus Capivacceus Pat. usq; ad ann. 1564.
1564 Albertinus Bottonus, cui 1572 collegæ par stipendio Flor. 60.
1578 20 Oct. Æmilius Campolongus Patavinus Fl. 30.
1583 Hercules Saxonia Patavinus Flor. 30.
Intermissa fuit hæc Lectura usque ad annum 1599.
1599 15 Ian. Concessa fuit Nicolao Trivisano Pat. Fl. 80.
1607 30 Octobris Io. Dominicus Sala in eam suffectus est juvenis altissimi ingenii summæque expectationis Fl. 100.
1613 29 Martii Andrighetus Andrighetius vir variæ Lectionis & multiplicis, qui hanc annos 17 summa cum studiosorum utilitate, ac sui nominis gloria decoravit; anno 1630 pestilentia extinctus, quo tempore Florenis 400 docebat.
1631 14 Ianuarii Guidus Antonius Albanesius Patavinus successit Fl. 100. An. 1638 5 Octob. confirmatus Fl. 200.
1644 Auctum ei stipendium ad Flor. 350.
1644 19 Novemb. Eam obtinuit Antonius Gambarus, qui multos annos V. Cl. Ioannis Prevotii assecla egregiè medicinam facit.
1650 7 Martii confirmatur ad Florenos 400.

Ad

Ad Theoricam Extraordinariam in tertio loco ab anno 1500 usque 1653. Cap. XX.

1520 Bartholomæus Barisonius Patavinus.
Petrus Novalius Patavinus.

1529 Ex rotulo legebat hoc loco Bartholomæus de Petroniis.

1552 Ex rotulo Baptista de Balneatis Patavinus. Itemque ex rotulo 1555.

Sebastianus Marcellanus, cui

1564 Ludovicus Agnellius Patavinus in hunc locum successit juvenis multæ expectationis, Hieronymo Nigro ad Medicinam practicam extraordinariam declarandam successit. Obijt 1575. Vacavit aliquot annis hæc Cathedra, tandemque data est

1585 Nicolao Trivisano.

1600 Tarquinius Carpenetus Patavinus.

1617 Aloysius Strà Patavinus.

1618 Franciscus Bonardus hunc locum juvenis adiit.

Franciscus Rocca Patavinus videtur hanc lecturam tenuisse.

1621 Ioannes Antonius Albanesius usque ad an. 1630, quo ad secundum locum translatus.

1631 Successit Ioannes à S. Cruce Patavinus, qui hanc aliquot annos summa cum laude, & sui ingenii expectatione tenuit.

1637 Hieronymus Sancta Sophia Patavinus, qui seueriora artis Medicæ studia literis amœnioribus feliciter temperavit.

Professores Practicæ Extraordinariæ in primo loco ab anno 1500. usque 1653. Cap. XXI.

1505 ELectus fuit Franciscus Annibalis, qui cum se excusasset, ei suffectus est

1506 19 Februarii Hieronymus de Oddis de Montesilice Flor. 75.

1528 22 Novemb. A secundo loco ad primum traductus est Franciscus Bonafides Patavinus.

1539 Paulus de Crassis Pat. Fl. 100.

1552 Ex rotulo Aloysius Bellacatus, qui & legebat anno 1559. Fl. 180.

1564 Marianus Stephanellus Patavinus docere cœpit ad annum 1575, quo obiit.

1566 Nicolaus Curtius, vel Corte, qui in paritate loci cum Stephanello Fl. 200 legebat 1572.

1573 Marianus Stephanellus Fl. 250.

1576 20 Decemb. Albertinus Bottonus, cui auctum est honorarium 1582 30 Octobris ad Florenos 270.

1583 5 Nouembris Marcus Oddus Flor. 150. qui anno 1589 in ea confirmatus fuit aucto stipendio ad Fl. 200.

1591 16 Ianuarii Æmilius Campolongus Pat. Flor. 200.

1596 25 Februarii Ioannes Thomas Minadous Fl. 200. cui auctum est honorarium 1602 6 Maii ad Florenos 400.

1607 16 Octobris Alexander Vigontia Patavinus Flor. 200. Confirmatus ad eundem locum 1612. Fl. 300.

1612 12 Decemb. Benedictus Silvaticus Flor. 230. 1620. 15 Martii confirmatus Flor. 330. Sed eodem anno 1620 6 Maii Ioannes Prevotius Rauracus accitus est Fl. 250. qui 1623. & 1628 confirmatus, & auctus honorario ad Florenos 600. obiit anno 1631. Italiæ infesto; cuius vitam dedimus in secunda parte Elogiorum.


1631 Electus fuit Fl. 200 Io. Iacobus Hartigius Alemannus; sed Venetiis medendo occupatus huic loco renunciavit; ad quem à Moderatoribus Gymnasii evocatus Brixia

1634 Ioannes Baptista Soncinus Brixianus Fl. 200. qui 10 Decembris hanc lecturam aggressus magno ingenii acumine eam sex annis tenuit; Vocatus à Serenissimo Magno Etruriæ Duce in Pisanum Gymnasium Roderico Stephano à Castris primo loco successit.

1641 Vacat.

1644 15 Ianuarii Ioan. Baptista Spontonus Mantuanus Medicus & Astrologus in locum Soncini cum Flor. 300 electus, post annum in patriam reversus obiit.

1646 22 Septemb. Data est Hieronymo Frizimeligæ Patavino, qui 1652 23 Octobris confirmatus aucto honorario cum lectura de Pulsibus & Vrinis in Nosodochio D. Francisci ad Florenos 800. Vir comis, varijs patriæ honoribus conspicuus, elegantiæ studiosus, qui civium valetudini benignam operam præbet, domesticis maiorum exemplis ad maxima quæque excitatus, in patriæ atque Gymnasii decus, annis & existimatione floret.



Professores Practicæ Medicinæ extraordinariæ in secundo loco ab an. 1500 usq; ad an. 1653. Cap. XXII.

1528 FRanciscus Victoria dictus Memoria.
1529 Ex rotulo Hieronymus Tirabuscus Flor. 75.
1531 14 Maii Confirmatus cum Fl. 90. & 1535 12 Novembris cum Flor. 150. Pauli Crassi collega.
1544 Aloysius Bellacatus, qui postea ad primum locum translatus est.
1546 18 Octobris Andreas Appellatus.
1552 Idem ex rotulo.
1563 Nicolaus Curtius, vel de Curte, qui 1572 ad hanc lecturam confirmatus est, Florenis 120.
1575 Fabius Niphus.
1576 5 Maii Hieronymus Brasciolus Patavinus Fl. 100.
1578 13 Decemb. Annibal Bimbiolus Patavinus Fl. 50.
1579 Sublata fuit & mox restituta hæc Cathedra.
1598 6 Martii Alexander Vigontia Patavinus Flor. 40.
1607 30 Octob. Benedictus Silvaticus Patavinus Fl. 130.
1613 29 Maii Tarquinius Carpenetus Patavinus Fl. 80.
1616 14 Ian. Io. Prevotius Rauracus Germanus cũ Fl. 200
1620 20 Oct. Bartholomæus Sfortia Patavinus. Cui 1629 auctum est stipendium ad Fl. 120, Vir promti ingenii & medendi peritus, de quo plurima spes erat; sed immaturo fato anno 1630 mense Augusti è vita discessit.
1631 4 Ianuar. Iulius Sala Patavinus biennio post in prima Theoricæ extraord. Cathedra Dominico Salę successit.
1633 Ioannes Franciscus Bonardus de lectura Avicennæ ad hunc locum traductus: mox ob sua merita ad practicam ordinariam in secundo loco successorem nactus
1637 Hieronymum Frizimeligam Patavinum ingenio & variarum literarum genere ornatissimum. Anno 1642 die 30 Octobris aucto stipendio confirmatur cum lectura de Pulsibus

bus & Vrinis in Xenodochio vsque ad annum 1646 die 22 Septembris, quo ad primum locum huius lecturæ accitus est aucto honorario.

1647 6 Septemb. Angelus Montagnana Patavinus Flor. 130 successit, & anno 1652 docebat: totus medicationibus non sine aliqua opinione occupatus.

Ad Practicam Extraordinariam Medicinæ, in tertio loco ab anno 1500 usque 1653. Cap. XXIII.

1529 5 Octob. GAspar de Marzolis de Montagnana.
1544 Christophorus Maximus Patavinus.
1552 Ex rotulo Hieronymus Capivacceus usq; ad 1561.
1574 Hieronymus Bradiolus Capivaccei discipulus, & summæ expectationis juvenis, qui artis apicem attigisset, nisi morte anno 1576 ereptus fuisset.
1577 Annibal Bimbiolus: qui anno sequenti è tertio ad secundum est translatus.
1591 Alexander Vigontia: qui 1598 in secundũ successit.
1598 Io. Petrus Peregrinus Io. Baptistæ filius Patavinus.
1613 2 Iunii Bartholomæus Sfortia Patavinus.
1614 24 Ianuarii Iacobus Zabarella Patavinus.
1622 1623 Franciscus Bonardus legebat, ut ex rotulo hoc titulo in altero loco.
1624 Datus est Merio Merio Patavino, qui hac provincia functus usque ad annum 1630, quo peste interiit.
1631 In huius locum suffectus M. Antonius Peregrinus Pat. quo ad Theoricam extraordinariam anno 1638 diebus festis in hanc sedem traducto, in eius locum successit
1638 Angelus Montagnana Patavinus usque ad annum 1647, quo ad secundum locum translatus.
1653 Vacat, quod Syndicus Vrbis Decurionibus in conferendo calculo cedere nolit.

Pro-

Professores Philosophiæ Extraordinariæ in primo loco. Cap. XXIV.

1520 Andreas Aleotus Patavinus.
Io. Baptista Confalonerius Veronensis.
1523 M. Antonius Genua Patavinus.
1524 Speron Speronus Patavinus.
1526 Aurelius Thedoldus Patavinus.
1528 Vincentius Madius Brixiensis.
1529 5 Octob. Vincentius Casena Vicentinus, qui secundo loco legebat. Antonius Frizimelica.
1531 Abraccius Apulus usque ad annum 1543. translatus ad secundum Ordinariæ.
1544 Hieronymus Stephanellus ex rotulo, cui anno 1546 5 Novembris auctum est stipendium ad Florenos 180.
1550 Ioannes Gabriel Albertus Pedemontanus per annos tres.
1552 Idem ex rotulo.
1554 Confirmatus per annos quattuor.
1559 Item confirmatus, sed vita excessit.
1560 25 Ianuarii Franciscus Carolus Piccolomineus Senensis è Gymnasio Perusino vocatus docuit usque ad 1564, quo ad ordinariam Philosophiam est evectus, & in huius locum
1564 Abraccius Apulus è secundo loco Philosophiæ ordinariæ ad hunc denuò revocatus est.
1566 Archangelus Mercenarius de secundo loco in hunc ascendit collega Bernardino Petrella, remanente in loco secundo Comite Iacobo Zabarella, ad Logicã Petrella rediit.
1577 Co. Iacobus Zabarella, qui anno 1584 primo Iunii confirmatur auctus stipendio Fl. 350.
1585 6 Septemb. Ioannes Carpenetus Fl. 100.

1589 29 Septemb. Octavius Rubeus Brixiensis, pòst suæ patriæ historicus, & variarum literarum fama vir celeberrimus Flor. 50.

1591 23 Augusti Camillus Bellonius: cui auctum fuit stipendium hac lege, diebus vacantibus Meteora Aristotelis interpretaretur, Fl. 250. Anno 1606 ab hoc munere cessavit ob simultates cum Cremonino gliscentes.

1609 25 Augusti Fortunius Licetus Genuensis è Gymnasio Pisano accessit, 350 Florenis conductus, & prima Novemb. suam orationem præliminarem habuit.

1615 2 Octobris Auctum est ei honorarium ad Fl. 500.

1622 23 Aug. Iterum Camillus Bellonius ad hanc Lecturam traductus Fl. 600. qui 1631 4 Febr. confirmatus fuit, auctusque honorario ad Fl. 700. Peste extinctus eodem anno die 18 Iunii. Vir equidem ingenio, doctrina, & variarum rerum notitia celebris, necnon affabilitate, & in suos discipulos erudiendos mira diligentia præditus.

1632 Ioannes Cotunius magno stipendio Fl. 800. è Gymnasio Bononiensi in hunc locum accitus eleganti oratione 30 Nouemb. Cathedram est aggressus, quam præclarè usque ad annum 1637 honestavit, quo ad primum Ordinariæ est evectus.

1637 Marius Mazzolenus Patavinus, qui plures annos secundo loco docuerat, ad hunc est accitus, quem magna cum auditorum frequentia ob summam docendi facilitatem ad exemplum Magistri sui Francisci Piccolominei, & diligentiam mirè celebrem reddidit, pijssimus sacerdos, honorario Florenorum 1200 annos quinque & octoginta excedens, verum Gymnasii decus usque ad annum 1648 10 Ianuar. quo viuere desiit.

1650 7 Martii D. Anastasius Galdiolus Vicentinus Abbas Cassinensis ex secundo loco in hunc primum evectus Flor. 150 stipendio.

Ad Philosophiam Extraordinariam in secundo loco. Cap. XXV.

1528 29 Octobris E Lectus est Vincentius Catena.
1529 Octavianus à Tabula.
1531 9 Novembris Andreas Baratus.
Hieronymus Stephanellus Patavinus Flor. 47. Anni 1535 confirmatus.
1539 Idem confirmatus Flor. 80.
1541 Idem Florenis 100.
1544 Bassianus Landus ex rotulo; sed mox ad Medicinæ lecturas traductus.
1552 Iacobus Calaber ex rotulo. & 1555.
1559 Confirmatus aucto honorario: ob cuius absentiam
1561 Archangelus Mercenarius, qui ad primam traductus
1566 Bernardinus Petrella suffectus est; sed proximo anno rediit ad Logicam in prima Sede, qua mirè videbatur excellere; est revocatus cum alteram teneret Amaltheus.
Comes Iacobus Zabarella.
1576 5 Maii Ioannes Carpenettus eligitur Floren. 50. Intermissa fuit hęc lectura, Senatus Veneti decreto vsque ad 1600.
1600 29 Septemb. Data est Mario Mazzoleno Theologo Patavino quam annos 36 mira cum laude continuavit.
1637 15 Septemb. Hector Bellirotus Patavinus Philosophus & Theologus, qui diu in tertio loco docuerat. Obiit anno 1642.
1643 Successit Carolus Emanuel Vizzanus Bononiensis è prima Logicæ Sede in hunc locum traductus. Is mitioribus literis, & præsertim Græcis anno 1642 Romam profectus Ocellum Lucanum notis illustravit, lectura data est

1644 An-

1644 Andreæ Corradino Philosopho & Medico practico Patavino elegantis ingenii juveni Florenis 80; de quo plurimum expectabamus, si diu vixisset.

1648 6 Septembris D. Anastasius Galdiolus Vicentinus Monachus Cassinensis suffectus, qui electus

1650 Ad primum locum successorem habuit D. Comitem Iuliũ Clementem Scotum Placentinum natalium splendore & doctrinæ varietate clarissimum, cui anno 1652 27 Febr. conceditur Collegium Phil. & Medicorum.

Ad Philosophiam Extraordinariam in tertio loco ab an. 1500 usq; ad an. 1653. Cap. XXVI.

1544 EX rotulo Ioan. Baptista de Balneatis Patavinus.

1552 Augustinus Brugara Patavinus ex rotulo; & 1555. cui successit Ioannes Carpenetus.

1597 Angelus Portenorius Eremitanus Patavinus Philosophus & Theologus, rerum Patavinarum scriptor per annos 11 hoc loco Philosophiam interpretatus est, sed scritioni & quieti deditus docendi munus reliquit.

1608 19 Octobris Io. Baptista Magnavinus de Montagnana.

1614 5 Novemb. Inghulphus Comes de Comitibus.

1615 27 Iunii Alexander Borromæus Patavinus juvenis summæ expectationis per annos ... quo è vita discessit.

1624 28 Aprilis Hector Bellirotus docere cœpit, qui anno 1637 ad secundum locum traductus vacavit usque ad

1641 Quo Magister Dominicus Zacchus Patavinus successit.

1642 Magister Clemens Florius Venetus.

1646 Mag. Bernardus de Laurentiis Patavinus Ordinis Iesuatarum.

Professores Philosophiæ Morales ex Aristotele ab anno 1500 vsque 1653. Cap. XXVII.

1520 LVcius Carminiola, cui 1521 successit Antonius Marinus Taurisanus.
1522 Palamedes Gualdius à castro Caro.
1524 Ludovicus à S. Bonifacio.
1525 Hieronymus Adornus Ticinensis.
1526 Hieronymus Cepolla Bergomas.
1527 Priscianus Calurius.
1529 5 Octobris Paulus de Crassis Patavinus.
1259 Potestate D. Matthæo de Corregio eiusmodi statutum fuit sancitum: *Quod Magistri conventuati, & approbati in Grammatica, qui tunc legebant in civitate Paduæ, vel de cætero legerint, gaudeant immunitate secundum formam Iuris.*

1260 Rector primus utriusque Vniuersitatis Patavii, ut ex lib. Statutorum Gymnasii constat, D. Gosaldus Hispanus, qui nonnulla statuta conscripsit. Vrbis Potestas tunc erat Marcus Quirinus Venetus.

1261 Rectores Gymnasii duo, quorum alter Transalpinus Henricus de Sancta Petronilla Præpositus Frisensis. Alter Cisalpinus, Franciscus de Novara Canonicus Patavinus. Quorum uterque statuta multa condidit ad studiosorum commoda.

Vrbis Prætor Ioannes Baduerius Venetus. Sancitum in Statutis Pat. Quod quilibet fœnerator non possit ultra denarios quatuor pro libra exigere à Scholaribus. Et plura alia.

1262 Vrbis Potestas Gibertus Bellagente Parmensis.

Privilegium Vrbani Quarti Summi Pontificis pro Scholaribus magistrandis concessum Episcopi Patavini precibus, quod edidimus Lib. 1. Cap. 3.

Hoc anno Commune Patavinum quædam de Gymnasii administratione decrevit.

Eodem tempore Guidone de Monte Potestate sancitum fuit: Quod nullus Scholaris teneatur solvere telonium, seu pedagium in eundo & redeundo. Die 13 Aprilis Rolandi Chronicon approbatum fuit à Doctoribus & Magistris, cuius formulam dedimus lib. 1. cap. 51. In festo omnium Sanctorum incendium grave in Foro, & vico S. Luciæ ortum.

1263 Matthæus de Corregio Parmensis Potestas.

1264 Laurentius Theupolus Venetus Potestas. Mense Iulio cometa admodum fulgens apparuit Aquilonem versus: teste Monacho Pat. Chron. lib. 3.

1265 Prætor civitatis Gherardinus Longus Venetus.

1266 Iacobus de Rubeis Parmensis Potestas, sub quo decretum fuit: Quod quilibet forensis, qui dedit legere in civitate Paduæ, sive in Decretalibus, vel Decreti sine salario, sit civis Paduæ, & tamquam civis Paduæ tractetur, & juret alibi non legere, & quandocunq; cessaverit legere, cesset ei jus civitatis, & hoc Statutum locum habeat dummodo non sit contra Statuta Vniversitatis. Ex quo deprehenditur, quanti fuerit Gymnasium publicum apud urbem Patavinam; ac eius Consilium, dum Statuta condere niteretur, contra Vniversitatis decreta.

1267 Rector Gymnasii Ioannes Præpositus Germanus, civitatis Potestas Bonifacius Canossa Regiensis.

1268 Potestas Rolandinus Canossa Regiensis.

1269 Matthæus de Corregio secundum Potestas. Quidem Rector Gebenensis pleraque de electione Doctorum decrevit.

1270 Thomasinus Iustinianus Venetus Potestas.

1271 Rectores Gymnasii Nicolaus Polonus Archidiaconus Cracoviensis, & Ioannes de Monte Longo Archidiaconus Aquileiensis, qui statuerunt, quando studium esset inchoandum; Item nonnulla de Festivitatibus.

1272 Potestas Michael Auro Venetus.

1273 Iacobus de Rubeis Potestas.

1274 Gotofredus Turrianus Mediolanensis Potestas.

Eodem anno Gotofredo Turriano Potestate, quum mense Februario novi orphanotrophii à civibus nostris excipiendis infantibus expositis ære publico alendis fundamenta jacerentur, Antenoris urbis nostræ conditoris monumentum à gravissimis Hunnorum ac Gothorum incursionibus hic occultatum cum aureis numismatibus inventum est;

cui

cui magna urbis & Gymnasii solemnitate ingens honor habitus. Auri pondus ad 17 millia librarum ascendisse nostri historici affirmant. Pars Episcopo, pars Senioribus, seu Decurionibus, ac fossoribus cessit: reliquum structuræ impensis. Deliberatum fuit à civibus ubinam reponenda essent ossa tanti Patris. Opinio Lupati de Lupatis I.C. & Equitis pervicit, ut prope eius domum juxta ædem S. Laurentii publicis expensis, splendida mole erecta reponerentur. Sepulcrum nucis pineæ forma tectum Lupati carminibus conspicuum quatuor insignibus exornatur. Ad Occidentem Fantonis de Rubeis Florentini Prætoris: ad Septentrionem Olivi de Circis Prætoris Patavini an. 1284. reliqua ex tribus Liliis eminent Cessorum, qui eo tempore fortassis urbis Seniores, vel Decuriones, cuius familiæ monumenta duo in æde Divi Antonii hisce ipsis insignita conspiciuntur. De quibus Inscriptiones Patavinæ à nobis editæ plenius. Quibus vero causis moti nonnulli hæc Galliæ Regibus adscripserint, non satis constat, quandoquidem nulla hic est Corona, nec urbi nostræ cum Rege Galliæ quicquam iis temporibus intercesserit.

1275 Robertus de Robertis Potestas.

1276 Guidus de Robertis supradicti nepos Potestas.

1277 Matthæus Quirinus Venetus Potestas.

1278 Marinus Valaressius Venetus Potestas.

1279 Iacobus de Garzolonis de Offero usque ad 9 Decembris. Rector Gymnasii Philippus de Speciariis Veronensis.

1280 Matthæus de Corregio tertium Potestas.

1281 Henricus de Auro Venetus.

1282 Bertus de Frescobaldis Florentinus Potestas. Circa hæc tempora Senatus Patavinus plura adversus libertatem Ecclesiasticam statuit; unde multi Religiosi in urbe interimuntur. Pontifex certior factus urbem sacris interdicit, privilegia, ac Gymnasiũ tollit. Post septennium liberata civitas.

1283 Ioannes Forzateus Episcopus obiit. Cuius precibus Vrbanus IV Pontifex Gymnasii dignitatem auxit: quæ antea solis Augustorum privilegiis innitebatur. Verus de Cerchi Florentinus Potestas.

Decretum hoc Gymnasii editum fuit in hæc verba: quod duo Stationarii, sive Bidelli tantum sint, & esse debeant salariati de publico per commune Paduæ hoc modo: quod Bidellus generalis Iuristarum habeat libras quadraginta parvas, quæ valent ducatos octo. Bidellus vero generalis Medicorum, & Artistarum habeat libras duodecim parvas, quæ valent ducatos duos solidos quadraginta; & dicti Bidelli debeant habere, & tenere petias, & exemplaria in legibus, decretis, & decretalibus, & Physicis, sub pœna privationis officii, & solidorum decem pro qualibet petia sibi deficiente.

1284 Fantonus de Rubeis Parmensis Potestas. Domus Antianorum ædificata, in cuius aula fiebat maius Consilium, & pons lapideus S. Ioannis exstructus inter Turrim rubeam, & Ferrarias.

1285 Gulielmus Malaspina Obizius de Luca Potestas.

1286 Baro de Manzatoribus Potestas.

1287 Curtius Donatus Florentinus Potestas. Bernardus Provincialis Comes ex Maltraversorum familia Canonicus Cathedralis ab eiusdem Ecclesiæ Capitulo Episcopus electus, consecratus est ab Aquileiensi Patriarcha.

1288 Ottolinus de Mandello Mediolanensis Potestas.

1289 Principallis de Mandello eius frater. Incendium circa Forum. Successit in Episcopatum Bernardinus Ioanninus Gallus Narbonensis.

1290 Thomas Quirinus Venetus Potestas.

1291 Lambertacius de Frescobaldis Florentinus Potestas. Census & vectigalia inchoata reficiendis ædibus combustis in vico, qui iis temporibus Stringariorum appellabatur: quo incendio quarta pars civitatis absumta fuit.

1292 Paulus Quirinus Venetus Potestas.

1293 Gerardus de Ianſano Cremonenſis Poteſtas.

1294 Nicolaus Maurocenus Venetus Poteſtas.

1295 Creati ſunt duo Prætores. Primus Nicolaus Maurocenus Calendis Ianuarii. Alter Fantonus de Rubeis Calendis Iulii ſuum regimen aggrediebatur.


Epiſcopus creatur F. Ioannes Sacellus Romanus Ordinis Prædicatorum: qui poſt duos annos translatus eſt ad Eccleſiam Bononienſem.

1296 Prætores Conradus de Montemagno de Piſtoia. Bertus de Grimaldeſchis Florentinus.

1297 Blaſius de Tolomeis Senenſis. Franciſcus de Cremonenſibus de Piſtoia.

1298 Vngarus de Oddis Peruſinus. Bertoldus Malpileus de S.Miniato. Epiſcopus Ottobonus Placentinus.

1299 Carolus Cancellarius de Piſtoia, & Nero Bardus Florentinus.



CHRONOLOGIA GYMNASII PATAVINI

Ab Anno 1300 usque 1400.

1300 CIvitatis Patavinæ Potestatibus Nicolao Bonsignori Senensi, & Nicolao Cerchio Florentino, Rector Gymnasii Vniversitatis Iuristarum fuit Theonitarius de Theobaldis Parmensis: qui Statuta correxit, & mutavit, licet ab Vniversitate postea non fuerint omnia approbata.

1301 Rector Iuristarum Ioannes de Bononia: urbis Potestates Bertolinus Majus Brixiensis, & Petrus Brondacius de Saxoferrato; quorum unusquisque semestrem gessit magistratum.

1302 Cal. 16 Maii Paganus Turrianus, vulgo della Torre, ex Decano Aquilejensi creatus fuit Episcopus Patavinus. Iuristarum Rector Rodulphus de Augusta, & Bonus de Mora Mediolanensis magna diligentia reformarunt Constitutiones Vniversitatis, adhibitisque multis ex Bononiensi Vniversitate Statutis volumen confecerunt. Civitatis Potestates Bessarion de Oppignanis, & Florinus de Ponte canale Brixiensis.

Hoc anno Pagano Turriano Episcopo, & Gymnasii Moderatore Alberto Saxoniæ Duce, utroque Collegio Doctorum & Vniversitatibus studiosorum præsentibus, totius Vrbis lætitia & applausu Albertinus Musattus Patavinus Historicus, Orator, & Poeta insignem ex Lauro coronam publicè accepit. Extat de hac re eiusdem Albertini Epistola ad Collegium Artistarum carmine conscripta jam typis edita.

1303 Civitatis Potestates Marinus Baduarius, & Andreas Valaressius Veneti. Mathæus Roncalitrius summus

Philosophus ac Medicus magno cum Gymnasii detrimento vita excessit.

1304 Rubeus Castellus, & Montanus Marinus Genuensis Potestates civitatis.

1305 Pacius Paci Bononiensis & Tambottus de Tambottis Anconitanus civitatis Prætores.

1306 Ponzinus de Ponzonibus Cremonensis, & Bassanus de Fissiraga Leodiensis Potestates.

1307 Federicus de Ponzonibus Cremonensis, & Ongarus de Oddis Perusinus, secundum Potestas Patavinus.

1308 Franc. de Bitinis Assisinensis. Pirrhus de Vernazzis Cremonensis Potestates.

1309 Marinus de Lambranca Eugubinus, & Franc. de Cremonensibus Pistoriensis altera vice Potestas Paduæ.

1310 Gentilis de Pilipesis Eugubinus, & Ptolemæus de Cortesiis Cremonensis, Potestates Paduæ.

1311 Albertus de Vguccionis de Castello, & Rudolphus de Malpileis de S. Miniato.

1312 Gherardus de Inzola Parmensis pro Henrico VII Imperatore Patavii Potestas, per menses quinque, ciuibusq. ab Imperatore divulsis pro Republica Patavina usque ad mensem Iulium, cui successit per alios sex menses Iacobus Rubeus Florentinus.

1313 Bornius de Samaritanis Bononiensis, & Nicolaus Calbula Foroliviensis Potestates Paduæ.

Hoc anno Prætorium urbis magnificè extructum Mathematicis Imaginibus mirabiliter ornatum à Petro Apono Medico celeberrimo, ac Mathematico excogitatis, quæ postea in unum volumen congestæ editæ sunt.

1314 Dinus de Rubeis Ariminensis per duos menses Potestas: reliquis Vgolinus de Accatiis Bononiensis.

Bellum inter cives. Cal. Maii Obizius dictus Papafava de Carraria Marsilii filius cum Nicolao Vbertini filio collecta rusticorum manu, & quibusdam patriciis, stipati Petrum Al-

ti-

triclinum in Foro adoriuntur. Occurrunt Petri amici: Strages hinc & vulnera: postea in Ronchi ædes irruptio. Carrarienses victores. Et die 16 Septembris Patavini Vicentiæ à D. Cane Scaligero capti post M D. Inter captivos celebres fuere Prætor urbis, Iacobus Carrariensis, Rolandus Placeola, Albertinus Musattus, & alii. Die 7 Octobris pax prima inter Patavinos, & D. Canem inita.

1315 Ponzinus de Ponzonibus Cremonensis secunda vice, & Franciscus Calbula Foroliviensis, Potestates.

Mense Aug. Cortusius refert D. Vgolinum de Liazaris de Bononia successisse Corbulæ.

1316 Vbertus de Cancelleriis Pistoriensis, & Mericus de Pardavicinis Assissinensis, Potestates.

1317 Beraldus de Cancelleriis Pistoriensis (quem Cortusius hist. vocat Vbertinum) & Mericus de Pardavicinis Assissinensis, aliis Merulus Potestates Paduæ. Et mense Martio Berardus, vel Brogdus de Cornio Potestas, quo tempore Venetiis Leæna quædam Leones tres peperit.

Mense Maio clades altera Patavinorum ad Vicentiam accepta: exercitus Scaligerorum ad portas civitatis Patavinæ penetravit. Secundum pax cum D. Cane facta.

1318 Petrus Triduta Tarvisinus, & Io. Molinus Venetus Potestates Paduæ.

Die 24 Iulii Iacobus Carrariensis proclamatus est Dominus ciuitatis. Cuius regimen felici moderatione annum unum & menses tres duravit.

1319 Marcus Gradenicus Potestas Paduæ. Ildebrandinus de Comitibus Romanus à Ioanne XXII electus fuit Episcopus. Quo munere annos 33 functus est.

1320 5 Ianuarii Patavium in potestatem Federici III Imperatoris venit, qui eam Henrico Duci Carinthiæ fratri suo consignavit, sub quo Potestates & Vicarii Imperiales fuerunt, Altinierus de Azzonibus Tarvisinus & Nigresolus de Arsoldis Cremonensis.

1321

1321 Nigresolus Vicarius Imp. usq; ad finem Octobris: postea titulo Prætoris urbem rexit. Hoc anno facta fuit descriptio familiarum Patav. quæ circumfertur manuscripta.

1322 Idem per sex menses Potestas; reliquum anni penes Gherardum Marchia Tarvisinum.

1323 Theobaldus Castelnovus Potestas.

1324 Rinaldus Comes Cesenas, & Bernardus Caserius per alios sex menses Potestas.

Die 22 Novemb. obiit Iacobus maior Carrariensis hærede instituto D. Marsilio maiori, ex fratre Porenzano nepote.

1325 Pulionus Beccadellus Bononiensis per sex menses, totidemque Corradinus Bucchius Brixiensis.

22 Septembris Pauli Dentis insultus ad S. Martinum in ædes Papifaviorum Carrariensium factus, sed resistentibus familiaribus, foribus clausis, in forum armatus rediit, ubi pugna civilis committitur, & Carrarienses vincunt.

1326 Idem Corradinus usque ad Cal. Octobris: postea Bonacursus de Reglesiis Parmensis.

1327 Idem Bonacursus per totum Aprilem. Thebaldus Castelverius per sex menses; & reliquum anni Pasinus Grissis de Villaco Germanus Potestas civitatis.

1328 Idem usque 12 Augusti suffectus in eius locum Petrus de Rubeis à Marsilio Carrariensi novo Duce civitatis electus à populo; qui tempore illo calamitatum pleno Thadeam filiam Iacobi Primi Paduæ Domini Mastino Scaligero in matrimonium junxit, relicto ipsi urbis suæ dominio die 10 Septembris.

Die 26 Novembris Thadea solemniter Veronæ excepta, nuptiis peractis cum splendore ac Scaligerorum liberalitate eximia, consilio D. Marsilii multi cives Patavini Equites creati à Domino Cane.

1329 Potestate D. Marino Falerio eiusmodi Statutum legitur à civibus factum in favorem Gymnasii: *Statuimus, & ordinamus quod Magistri legentes & docentes in Grammaticalibus*

non

non conventuati sint immunes à personalibus muneribus, & fuisse intelligantur à millesimo vigesimo nono citra, ut in Statuto veteri continetur.

Eodem an. ult. Maii Clodiæ obiit Albertinus Musattus historicus, & Poeta Laureatus; cuius ossa in D. Iustinæ translata, mea ætate inventa sub ostio Turris sacræ 1648. quorum pars in communem tumulum, pars in archivum me suadente reposita sunt.

1329 Bernardus Etuarius, & Galeotus Majus Brixiensis Potestates.

22 Iulii D. Canis obiit æt. an. 40 Tarvisii. Marsilio Nepotes commendans vexillum tradidit hisce verbis: *Domine Marsili libere volo teneatis Paduam cum districtu*. Sed postea recusavit. Nepotibus a D. Cane Alberto & Mastino dominium concessum. Ipse vero Capitaneus Generalis Scaligerum eligitur.

1330 Bailardinus Nogarola Veronensis Potestas duobus annis.

1332 Tadus de Vbertis Florentinus Prætor per sex menses, & postea Petrus Messa usque ad mensem Majum 1334 in eodem munere confirmatus.

1333 Ildebrandus Comes Romanus Episcopus Patav.

1334 Federicus de Vbertis per sex menses Potestas. Celebres Doctores floruere in Gymnasio Antonius Sanctangelus, & alii.

1335 Bailardinus Nogarola urbis Potestas.

1336 Federicus Caballus Veronensis.

1337 Guidonus Riccius Regiensis. Die tertia Augusti Marsilius Carrariensis pulsis Patavio Scaligeris Pater patriæ nominatus, dominium suscepit, & pacificè idem sustinuit, electo urbis Prætore Marco Cornelio Veneto.

1338 Marinus Falerius Venetus Potestas. 21 Martii Marsilius Carrariensis Dux II Paduæ vita excessit. In eius locum subrogatur Vbertinus Carrariensis III Dominus

Pa-

Paduæ. Sub quo plura pro Gymnasii restauratione ac splendore decreta fuere. Celebres Doctores elegit inter quos Reinerium Arsendum Forumliviensem Bartholi præceptorem magno honorario conduxit, & paulo post Bartholum ipsum vocavit: quos etiam tamquam consiliarios suarum rerum habuit. Cumque plurimum Nobiles Venetos adamaret, eos vicissim in Prætores civitatis elegit. Marsilius maior testamento hæredem instituit Vbertinum germanum in gradu:v. & Cortusio teste, pro male ablatis, Florenorum centum millia deposuit Venetiis, & ad S. Mariam Novam Zeccham ordinavit. Executores testamenti elegit Procuratores D. Marci. In exsequias insumta fuerunt tria millia Florenorum &c.

1339 Ianuinus Contarenus Venetus, & Petrus Badoerius.

1340 Ioannes Sanutus & Petrus Zenus Veneti Patricii Rectores. Maxima hoc anno frumenti penuria: quam è Suevia curavit Dux Vbertinus. Lanificium Paduæ cœptum: Itemque charta confecta. Arx Estensis ab Vbertino Carrariensi condita.

1341 Idem Zenus in annum confirmatus.

1342 Ioannes Gradenicus Venetus à prima Martii usque ad primam Septembris anni sequentis.

1343 Petrus Zenus Prætor Patavii. Regium Palatium Vbertini perficitur. Civitatis ornamenta augentur. Horologium Turris in foro Dominorum erigitur, & urbs altero muro cingitur. Legatis Patavinis ad Gulielmum Comitem Hannoniæ, Regum Galliæ & Hiberniæ consanguineum, obviam missis, ipse Vbertinus magna pompa & donariis hospitio fuit exceptus.

1344 Idem Zenus Potestas, electus Generalis Venetorum & classis contra Turcas, cui Gandulphus Ariminensis substitutus est postea Bernardus Iustinianus ab initio Octobris usque finem Martii 1345.

Vber-

Vbertinus Carrariensis mense Septembris salarium amplissimum assignavit D. Rainerio de Forlivio egregio Legum Doctori, qui Vniversitatem fama & opere multum decorabat, ex archivis Carrariensium accepi.

Siciliæ Rex juvenis ab Vbertino Patavii summa pompa excipitur.

1345 Idem confirmatur in sex menses. Guidonus Cardinalis Pisaurensis totidem mensibus Potestas à Cal. Octobris.

Magnus Vbertinus virgæ morbo consumptus sine liberis antequam moreretur, hæredem & Principem dixit Marsilium Papafavium Carrariensem, quem ab exigua corporis statura Marsiliettum appellabant: exclusis Nicolao de Carraria, eiusque posteris. Marsiliettus eodem tempore in foro à civibus in Quartum Paduæ Ducem assumitur. Die 25 Martii Vbertinus obiit, solemni pompa in æde D. Augustini in sacello Carrariensi conditus est. Die 6 Maii Marsiliettus noctu miserè interfectus est in suo palatio à Iacobo Carrariensi Nicolai filio, cui Vbertinus hæreditatem intercesserat. Is violenta manu in dominium civitatis succedens Quintus Dux huius familiæ fuit. Vir atrox, sed sagaci prudentia: Iacobum Papafavam & Albertinum pupillum filium nepotem ex fratre ad quos Paduæ dominium spectabat, post avi mortem in castellum Pendicis detrusit.

Mense Octobris coniuratio Henrici, Francisci, & Nicolai Comitũ de Lucio contra Iacobum Carrariensem detegitur.

1346 Ioannes Dandulus Potestas Patavii.

Mense Iunio à Serenissima Rep. Veneta Iacobus Carrariensis Veneta nobilitate ornatus, magna pompa Venetias profectus est, ut gratias ageret. Dona eidem collata à Serenissima Republica.

1347 Petrus Badoerius Venetus Rector civitatis, anno etiam sequenti confirmatus.

Hoc anno Clemens VI Summus Pontifex Ildobrandino Episcopo Patavino id petente Gymnasii Patavini studio-

sis Laureandis privilegium concessit. Hoc anno Iacobus Papafava de Carraria in arce Pendice obiit.

1348 Idem Potestas rebus præfuit.

3 Iunii Vormiæ privilegium Caroli Quarti Imp. extat, quo Iacobus Carrariensis & hæredes honestantur. Item die 9 Iunii alterum quo Vicarius Generalis Patavii & ditionis eius eligitur.

Die 25 Ianuarii Terræmotus ingens & pestis à Cortusiis Lib. IX descripta, quæ Venetiis & Paduæ grassatur. Nobilis vir Andreas Maurocenus Potestas obiit.

1349 Ianuinus Contarenus Venetus.

Guidus Comes de Bononia Cardinalis Legatus Apostolicus Paduæ hospitatur apud Iacobum Carrariensem.

1350 Matthæus Contarenus, & Marinus Falerius Veneti Potestates Paduæ.

Circa hæc tempora constat Bartholomæum Capivacceum consuluisse cum Baldo & Paganino Sala Illustribus Iurisconsultis. Eius extat Consilium contra Richardum Malumbram in Vol. III Consiliorum Baldi, Consilio 419.

Eodem anno die 22 Decembris hor. 20 Iacobus Carrariensis interfectus à Gulielmo Carrariense spurio Iacobi Magni, successorem habuit Iacobinum Carrariensem fratrem & Franciscum eius filium.

12 Septembris Fr. Gulielmus Ordinis S. Augustini Episcopus Novariæ Sacræ Theologiæ Magister de mandato Sum. Pont. Clementis Fr. Matthæo Ordinis Heremitarum Patavino Insignia Doctoratus in Theologia contulit.

1351 Franciscus Foscarus Venetus Potestas civitatis.

1352 Idem Foscarus.

1353 Omnibonus de Iudicis Mantuanus Vice Potestas per sex menses. Petrus Badoerus.

Ioannes Orsinus Romanus Episcopus Patavinus, 19 Cal. Febr. successit Ildebrandino ab Innocentio VI electus.

Victor Dulcis Feltrensis & Ioannes Sancto Georgianus

Bononiensis gener Io. Andreæ celeberrimi Decretalium & Clementinarum expositores.

1354 Idem Baduerius.

Carolus Quartus Imperator declaravit Franciscum de Carraria Vicarium Imperii, & Bassani eum tamquam filium recepit. Tertio Novembris Paduam ingressus Imperator visitavit Ecclesiam Cathedralem & hospitatus est in palatio Dominorum de Carraria, cum eo erat Patriarcha Aquilejensis. Creavit militem D. Iacobinum de Carraria. Die 7 Novembris profectus Montemsilicem.

1355 Matthæus Contarenus Potestas.

Enumerantur milites Patavini creati ab Imperatore in Hist. Cortusiorum Lib. 11. cap. 2. Vbi etiam describitur ingressus Imperatricis filiæ Ducis Poloniæ, & honores quibus fuerit recepta Paduæ die 21 Ianuarii in palatio Dominorum de Carraria, eamque Franciscus Carrariensis comitatus est Patavio Pisas.

1356 Marcus Cornelius Venetus, & Ioannes Manfredus Regiensis Potestates in locum Marini Mauroceni, qui primo Septembris regimen suum incœperat, sed à Venetis ad patriam revocatus.

1357 Idem Manfredus Potestas Paduæ per annos quinque usque ad 1361.

1358 usque 1361 Idem Manfredus.

1359 Episcopus Ioannes translatus ad Archiepiscopatum Patracensem; cui successit Pileus de Prata Comes olim Episcopus Tarvisinus, & Ecclesiam administravit usque ad annum 1370. Quinta Maii anni 1360 Patavii summa urbis & Gymnasii celebritate prima sacra celebravit.

1360 Richardus Salicetus magno præmio invitatus ad jus civile interpretandum, eodemque tempore Salvanus Bononiensis aliique celebres I.C. in Gymnasium Patavinum conducti.

Mense Augusti Capitulum Generale totius Ordinis PP.

Eremitarum congregatum fuit Patavii: ubi viginti tres Theologiæ Professores enumerati, Patribus annonam præbuit Franciscus Carrariensis Dux: cum suis nobilibus interfuit eorum disputationibus, ac discedentes donariis honestavit. In hoc cōsessu electus est Generalis F. Mattheus Ascolanus.

1362 Ioannes Salgardus, & Guelphus Guicciardinus Florentinus Rectores Patavii. 15 Septemb. Franciscus Carrariensis Iacobino Avo in carcerem detruso, dominium sibi solus retinuit, & quidem egregiè præsertim in colendis Viris virtutum nomine claris, Gymnasii insignem se patronum præbuit: Franciscum Petrarcham accivit, eumque Canonicatu Patavino ditatum, sibi perfamiliarem habuit. De quo videatur Petrarcha noster Redivivus jam editus.

1363 Idem Guelphus Guicciardinus Potestas. Francisco Carrariensi procurāte Vrbanus V. Gymnasio, & civitati hoc decus addidit, ut publica auctoritate S. Theol. collegium institueretur vigore huius diplomatis, quod ex tabulario Vaticano erutum Abbas Ferdinandus Vghellus nobis vol. 5 de Episcopis Italicis edidit, postquā huius operis lib. 1 typis commissus esset. Ideoq. ad vberiorē notitiam hoc loco reponitur.

VRBANVS. Sanè dum fructus uberes, quod Studium Paduanum, quod longis temporibus in se ipso, sicut præfulgens Stella emicuit, & diffusa claritate longe, lateq. refulsit in iure canonico, & civili, & liberalibus artibus, tanquam ager plenus, cui Dominus benedixit, copiosa fertilitate produxit hactenus, & producit, cum delectatione animi recensemus, & exinde speramus ipsius Theologiæ palmites, si illud studium esset ibidem amplius propagari, dumq. Fidei puritatem, & devotionem eximiam, quam dilecti filii universitas studii Paduani, & cives civitatis eiusdem nostri, & Ecclesiæ Romanæ devoti ad Nos, & dictam Ecclesiam habuerūnt hactenus, & habere noscuntur diligenter attendimus, dignum ducimus, & æquitati congruum existimamus, ut civitas, & universitas supradictæ, quas divina gratia magnis donis, & gratiis illustrauit, ac bonorum multiplicium fœcunditate dotavit, & loci amœnitate non modica de-

decoravit, huiusmodi scientiæ Theologiæ facultatis muneribus amplietur. Ideoq; eorumdem studentium inibi supplicationibus inclinati auctoritate Apostolica statuimus, & ordinamus, quod in dicta civitate deinceps studium generale in eadem Theologiæ facultate existat; & perpetuis futuris temporibus vigeat, ac docentes, & studentes ibidem in facultate prædicta, omnibus privilegiis, libertatibus, & immunitatibus concessis docentibus, & scholaribus studentibus in illa generalibus eiusdem facultatis commorantibus gaudeant, & utantur. Volumus tamen, quod ad docendum, & regendum in ipso studio huiusmodi facultate Magistri, & Baccalaurei, qui in Parisien. seu aliis famosis studiis, eiusdem facultatis honorem magisterii, seu baccalaureatus receperunt, & alias experti, & idonei in huiusmodi studio Theologiæ facultatis noviter assumantur, ita quod civitas ipsa tanto insignita honore, dotibus fulgeat honori correspondentibus memorato. Insuper civitatem, & studium, & præfata ob profectus publicos, quos proinde speramus, amplioribus honoribus prosequi intendentes, auctoritate ordinamus eadem, ut, si qui in eodem studio, processu temporis eiusdem Sacræ Theologiæ facultatis bravium assecuti, sibi docendi licentiam, ut alios erudire ualeant, petierint, impartiri possint, examinari diligenter ibidem, & in eadem facultate Theologica titulo Magisterii decorari. Dat. Avinioni 18. Kal. Maii anno primo.

Eodem anno Franciscus Carrariensis Dux ad pauperum juvenum studia juvanda Collegium 12 studiosorum instituit.

1364 Simeon de Lupis Potestas à prima die Martii usque ad ultimam Februarii 1368.

Quum Franciscus Carrariensis Albertinum Papafavam in carcere Pendicis ab anno 1345 detentum interfici decrevisset, ex voto D. Finæ uxoris, quod conceperat inter captivos annis maiorem fore dimittendum, Albertinus ex tabulis publicis huius conditionis deprehensus celeri nuncio à morte & carcere liberari jubetur. Admirabili rei eventu exterritus Princeps, & cum libertate bona restituit. Atque sic divinitus conservatus est Albertinus, à quo familia nobilissima

Papafava hodieque in urbe Patavina Venetis Patriciis adscripta Cl. Viris floret.

1368 Onufrius Rubeus Poteſtas.

1369 Artuſius Loianus.

1370 Scolarus de Cavalcanti Florentinus.

Pileus ex Pratæ Comitibus Epiſcopus translatus ad Archiepiſcopatum Ravẽnatem ſucceſſorem habuit x Cal. Feb. Ioannem de Placentinis Parmenſem ut ex tabulis Vaticanis conſtat. Alii affirmant Eliam quemdam huic Eccleſiæ per annum præfuiſſe.

Ioannes autem nondum expleto anno ad Eccleſiam Vrbevetanam, poſtea ad Caſtellanam tranſiit.

1371 Federicus Vallis longa Brixienſis Poteſtas.

Poſt Ioannem electus eſt Iacobus Leonius Canonicus Patavinus. Sed Franciſcus Carrarienſis electioni ſe oppoſuit, miſſis Avinionem publicis tabulis, quæ docebant inter coniuratos Iacobum de ipſius Ducis nece conſilium tuliſſe.

1372 Idem Federicus.

1373 Corteſia Lambertacius Brixienſis Poteſtas.

1374 Iacobus Rangonus Mutinenſis Poteſtas civitatis. Epiſcopus Raimundus Provincialis Gallus 25 Martii munus adiit. Extant Patavii huius Præſulis varia monumenta, & apud Moniales S. Benedicti eius memoria tamquam protectoris recolitur.

Die 18 Iulij Franciſcus Petrarcha Arquadæ vita exceſſit. Cuius funus Franciſcus Carrarienſis Dux civitatis cum Epiſcopo & toto Clero, ac Vniverſitatibus Studioſorum honeſtarunt. Oravit in eius laudes Fr. Bonaventura de Piraga Eremitanus, qui poſtea Cardinalis fuit. Vitam eius & Lauræ exactè deſcriptam nuper auctiorem evulgavimus.

1375 Ricciardus Comes S. Bonifacii Poteſtas civitatis uſque ad diem 6 Maii 1382.

1376 7 Iunii Franciſci Iunioris de Carraria nuptiæ cum Thadea filia Marchionis Ferrariæ ſolemniter celebrantur.

1377 Raimundus Episcopus vltima Octobris cœnobium S.Mariæ in Vantio in commendam tradidit Patri D.Michaeli Abbati S.Mariæ de Saccho longo.

1378 Ad Gymnasii decus præter alios Professores Baldus Vbaldus Perusinus à Francisco Carrariensi ad jus civile profitendum accersitus est.

1380 Nicolaus Spinellus Iuris Pontificii Interpres diem suum obiit. Quo tempore Angelus frater Baldi jus civile explicabat. Albertus Guidelotius, & Philippus Cassolus Reginus I.C. celeberrimi floruere.

1381 Magno in honore Franciscus Carrariensis habuit præter hos Aicardum Alvarotum, & Zilium Casalem, qui cum eodem Carrariense Venetias profectus in componendis pacis Legibus inter Venetum Senatum, & Ludovicum Vngariæ Regem Tarvisium numeroso exercitu obsidentem, tantum profecit, ut composita pace, & obsidione soluta Rex in patriam redierit, Venetique ea civitate potiti sint.

1382 Robertus de Asola à 6 Maii usque ad 6 eiusdem mensis 1383.

1384 Marinus Memus Venetus per sex menses Potestas: cui successit Simeon Lupus à die 6 Novembris: quo vita functo eius vices sustinuit 14 Maii Valaranus.

1385 Andreas de Bitonto Potestas.

A Principe Carrariense in Gymnasium adhibiti sunt per hæc tempora Petrus ab Ancarano ad jus civile: Item Io. Ludovicus Lambertacius, & Benedictus Plumbinus, qui circa annum 1400 obiit.

Bartholomæus Salicetus ex Richardi fratre ortus ad jus civile declarandum conductus.

Baldus Bonifacius Plumbinus Francisco II admodum charus & in arduis negotiis ab eo adhibitus, & præcipuè in legatione ad Galeacium Vicecomitem Mediolani, à quo Francisci patris corpus in carcere defuncti sibi dari ad sepeliendum summis precibus obtinuit.

1386 Vgolinus de Presbyteris Bononienſis.

1387 Iacobus de Azzonis Tarviſinus Poteſtas Paduæ.

13 Maii Incendium cives noſtros deprimit.

1388 Idem per ſex menſes.

Vgolinus de Presbyteris ſubrogatus per dies decem urbem pro Carrarienſibus rexit: reliquo tempore pro Vicecomite Galeacio.

Die 26 Iulii Franciſcus Carrarienſis filio ſuo Franciſco dominium conceſſit. Die 24 Novemb. utrique Ioannes Galeacius Vicecomes Mediolani Dux vi Vrbem Patav. eripuit.

1389 Guilielmus de Soardis Bergomenſis à die 20 Iulii uſq; 19 Iunii 1390 Pôteſtas Paduæ pro Duce Mediolanenſi.

1390 die 19 Iunii Expulſis Vicecomitis militibus Franciſcus Novellus denuò urbem Patavinam ingreditur, qua ut Dominus potitur.

Epiſcopus Ioannes Enſelminus Patavinus favore Vicecomitis electus, redeuntibus Carrarienſibus Epiſcopatum permutare cogitur cum Adrienſi anno 1393.

1390. & 1391 Rizardus Comes de S. Boniſacio Poteſtas.

1392 Iacobus Gradenicus Venetus à die 20 Iunii cœpit ſuum regimen Poteſtatis titulo.

11 Febr. Solemnis proceſſio pro pace inter Ducem Carrarienſem, & Vicecomites.

1393 6 Octob. Franciſcus Carrarienſis Senior Dux VII Paduæ obiit Modoeciæ in carcere Vicecomitum. Cadaver Patavium delatum regio funere 21 Novembris in mauſoleo S. Ioan. Baptiſtæ conditur, cuius hodie nulla ſunt veſtigia ſepulcri. Exſequiis adfuere quatuor & viginti Epiſcopi. Regio apparatu omnia, ut auctor Gatarus Hiſtoricus Patavinus nondum editus. Ioannes Albertacius pro civitate oravit in eius laudes. P. Paulus Vugerius: & pro Academia Franciſcus Zabarella I.C. Profeſſor.

Matthæus Memus Venetus à die 20 Iunii uſque ad 23 Maii 1395 Poteſtas.

Anno

Anno 1393 Vgo de Robertis de Tripolis Regiensis Episcopus Adriensis ad Patavinam Ecclesiam transijt, favore Ducis Francisci Carrariensis. Sed oborta contentione de Iurisdictione, eam postea reliquit. Stephanus Carrariensis Francisci filius naturalis Episcopatus administrator declaratur usque ad annum 1402, quo tempore in ætate legitima Summus Pontifex Episcopum Patavinum elegit.

1394 Die 13 Octobris consensu Francisci Iunioris de Carraria Ducis Collegium ad D. Catharinæ ædem institutum fuit pro studiosis juvenibus testamento Iacobi Arquati Medici celeberrimi, tabellione Zilio de Calvis.

1395 Petrus Pisanus à die 23 Maii usque ad 1402 Potestas Paduæ.

1397 Descriptio civium & militum iussu Ducis Carrariensis.

1398 19 Iulii in suis ædibus ad Vaccæ puteum studiosis juvenibus testamento Collegium instituit Nicolaus Ridius nobilis Patavinus Medicinæ Doctor: quod postea Daniel Ridius I.C. confirmavit anno 1405. die 7 Aprilis.

7 Maii Procuræ instrumentum D. Stephani de Carraria studii Paduani Gubernatoris legitur circa controversias inter Vniversitatem Iuristarum & Artistarum, & decretum fuit, Artistarum Rectorem eligendum.

1399 27 Iunii Vniversitates inter se discordes Franciscus M. à Mella Catellanus Vltramontanus, & Ioannes Fusuda ex Regno Calabriæ Citramontanus Rectores Artium, Vniversitatis totius nomine, ut Magnifico Domino Francisco Carrariensi tunc Patavii Dominium obtinenti morem gererent, accepta prius ab eo donationis nomine ea domo, quam Vniversitas nostra possidet, huic subiectioni Artium Vniversitatem liberaliter exemerunt. De qua re publicum instrumentum à Iulio Fantino de Calvis Notario scriptum exstat.

CHRONOLOGIA
GYMNASII PATAVINI
Ab Anno 1400 usq; ad 1500.

1400 PEtrus Pisaurus Venetus adhuc Paduę Potestas. Stephanus Carrariensis Episcopatus administrator, & gubernator bonarum literarum professores summopere dilexit, Ecclesiam Cathedralem novis laquearibus exornavit. Aram Divo Stephano tutelari suo erexit. Aream latissimam Patris beneficentia Ecclesiæ junxit. Cum Patavium in ditionem Venetorum venisset, amisso patre Romam concessit, ab Innocentio VII translatus ad Ecclesiam Nicosiæ, inde ad Aprutinam, mox ad Tricaricensem, Romæ 1449 21 Iulii obiit.

1402 usque ad 1405 Prætorum nomina sunt ignota.

1405 17 Novembris Patavium Serenissimæ Reipublicæ Venetæ fidei se tradidit. Oratores ad eam cum Vrbis clavibus, & vexillo missi.

Serenissimæ Reipublicæ Venetæ Duce Michaele Steno, Rectores Vrbis electi sunt Marinus Caravellus, & Zacharias Trivisanus.

1406 Albanus Michael Episcopus Patavinus, & Gymnasii M. Cancellarius. Senatus Venetus plurima pro Gymnasii splendore excogitat, celebresque viros in unaquaque disciplina conquirit. Cumque hanc Vrbem ad optimarum artium studia esse accommodatiorem existimaret, dimisso Gymnasio Tarvisino, quod ante à Federico Imperatore II confirmatum sub Scaligeris, ipsisque Venetis aliquamdiu floruerat, solum Patavinum Doctoribus in ipsum traductis summa celebritate esse cœpit. De cuius incremento supra lib. 1.

lib. 1. cap. 4. disseruimus. Serenissimæ Reipublicæ Venetæ non parum accessit splendoris, quod pridie Cal. Novemb. Angelus Corrarius Venetus electus fuerit Summus Pontifex, Gregorii XII nomine assumpto.

1409 Die sexto mensis Novembris Petrus Marcellus Venetus Doctor à Cenetensi Ecclesia ad Patavinam est translatus. Martino V Sum. Pont. Archiepiscopus Cretensis eligitur, & Vmbriæ, atque Perusiæ regimen ei committitur. Theologorum collegium temporum iniuria fere collapsum instaurare annixus est.

1413 Thomas Mocenicus Dux eligitur à Senatu Veneto. T. Livii Patavini sepulcrum repertum in cœnobio D. Iustinæ. Nimirum ossa in plumbea capsula inventa eruto lapide veteri, in quo Livii epitaphium; dum fundamenta cuiusdam ædiculæ altius effoderetur. Vrbis gaudium, & solemnitatem perstringit epistola Xichus Polentonus, quam dedit Pignorius in Orig. Patav. Reliqua videantur in vita T. Livii cap. 9. anno 1630 à nobis vulgata.

1417 Die 6 Novembris In Concilio Constantiensi obiit Cardinalis Zabarella Patavinus, olim in hoc Lyceo Iuris prudentiæ professor. Poggius oravit in eius laudes præsente Sigismundo Imperatore. Postea à suis in patriam delatus Patavii in templo maximo conditus est, summo Gymnasii luctu, statua sepulcro adiecta. Vide eius Elogium in lib. 1. Cl. Virorum à nobis editum.

1420 Rectoribus Vrbis Marco Dandulo, & Laurentio Bragadeno, palatium publicum, quod annos 202 integrum steterat, spatio trium horarum igne consumptum, eodem anno à Serenissima Republica reædificari cœptum.

Statutum Gymnasii sancitum est hisce Rectoribus, quod singulis annis per eosdem eligerentur quatuor boni cives, qui, ut statuti verbis utar, sint solicitatores, & Reformatores studii, ut soliti fuerunt esse omni tempore, quorum erit inquirere & examinare ea, quæ sibi utilia videbuntur pro stu-

dio prædicto, & referre dictis Dominis Rectoribus Paduæ, ut ipsi, & Rectores ad informationem eorum, & solicitudinem possint studium bona hora, & congruis temporibus reformare, de bonis Doctoribus, prout dictis D. Potestati, & Capitaneo melius videbitur. Quæ reformatio debeat fieri quolibet anno de mense Maii per totum mensem, vel ante, secundum consuetudinem, & continentiam statutorum Universitatis.

1423 Serenissimæ Reipublicæ Dux Franciscus Foscari eligitur.

1427 Pestis maxima Italiam vexat. Civitatis Rector Paulus Corrarius.

1428 Defuncto Marcello subrogatus est Petrus Donatus Venetus in Episcopatum Patavinum: vir juris civilis, & canonici doctissimus, cuius opera non semel Eugenius Quartus usus est adversus Basiliensis conciliabuli sectatores. Palatium Antistitum restauravit. Beneficia duo perpetua pro Magistris Grammaticæ, & Musicæ ad pueros erudiendos constituit. Hoc anno B. Virginis imago in calido fonte ad radicem montis Ortonis inventa plures mortalibus gratias concedit; cuius historiam evulgavimus 1645.

1429 Collegium Campionis in vico Vinealium institutum ab Albricio Brancaricco Lucensi Canonico Tarvisino.

1430 Quarto Febr. D. Georgius Cornelius Potestas, ut ex Comitiis hac die habitis constat. Natalis Donatus Præfectus.

1431 Nonas Martii Magna Gymnasii nostræ Urbis lætitia ac communi totius Orbi & Ecclesiæ applausu ad Summum S. Sedis apicem evehitur Gabriel Condulmerius Eugenii Quarti nomine insignitus, qui olim juventutem hic traxerat studiis mancipatus.

1432 Lituinus Zuchareda Artistarum Rector.

Nicolaus Capello Prætor, & Marcus Foscari Præfectus.

1433 Bartholomæus Maurocenus Prætor, & D. Vitalianus

nus Mianus Præfectus. D. Artium Rector Magister Lituinus Zuchareda de Tarvisio.

1434 Gymnasii Artistarum Rector Iacobus de Cypro suscepit die 12 Iunii Rectoratus onus coram tota Vniversitate congregata in Ecclesia Domus Dei, & promisit accipere caputium, & instituere festum solemne, & symposium generale more solitò intra mensem. Tunc erat Cancellarius D. Iacobus Aspis q. Fabiani Sterucignensis Notarius Imperialis. Pro Rectore fideiussit Artium Doctor, & Scholaris Medicinæ Magister Saladinus de Roma. Rector die 15 substituit in Vice-Rectorem D. Rogerium de Sicilia. Eadem die in Ecclesia S. Martini Syndici sententiam tulere contra D. Franciscũ de Trantorio solvendos Duc. duos auri, & iusti ponderis. Hoc anno decretum fuit ab Vniversitate Artistarum supplicationes quidem observandas Corporis Christi, & D. Antonii. Pro oblatione vero nihil constituerunt, sed ea cuiusque arbitrio relicta. Quo peracto in eandem Ecclesiam Domus Dei convenerunt Magnifici, & Generosi Rectores Paduæ, videlicet D. Marcus Dandulus Potestas, & Leonardus Caravellus Capitaneus; coram quibus electi fuerunt Doctores Vniversitatis, cathedris adhibendi.

Ceterum, ad rei memoriam, ex antiquis tabulis hoc loco referam Caputii solemnia.

Die 15 Iulii.

Spect. ac Gen. Vir D. Mag. Iacobus de Cypro tunc temporis Vice-Rector, ac noviter in Rectorem electus Vniversitatis Dominorum Scholarium Artistarum, ac Medicorum studii huius felicissimæ Vrbis Paduanæ venit honorifice cum Dominis Doctoribus, Prælatis, utriusque Vniuersitatis scholarium, & aliis nobilibus ad Ecclesiam Cathedralem, & cum maximo honore Caputium, & officium Rectoratus accepit à famosissimo Artium, & Medicinæ Doctore D. Magnifico Lituino Zuchareda de Tarvisio, olim Rectore

præ-

præfatæ Universitatis cum maxima solemnitate sermonum ab utroque factorum. Post hæc honorifice associatus fuit cum multitudine præfatorum Dominorum nobilium ad Curiam D. Capitanei Paduæ, ibique collationem solemnem, & generalem fecerunt omnes prædicti Domini, prout moris est. Facto prandio eodem die associatus quàm honorifice per Civitatem Paduæ cum maxima multitudine equitum ad bagurdia videnda, quæ facta erant sui honoris causa, & multa alia, quæ facta fuerunt.

Die tertia Augusti in Ecclesia S. Martini Universitas congregata decrevit, quod Rector cum duobus scholaribus Venetias accederet pro confirmatione, & ordinatione rotuli Gymnasii. Ritum vero creandi Doctores pristinum depromptis ex veteri tabulario aliquot exemplis heic referre libet.

Die quarta Iunii coram Ven. Viro, ac Decretorum Doctore, ac Vicario D. Petri Donati Episcopi Paduani, videl. D. Antonius de Cerro Mediolanensis examinatus, & conventuatus priuatè in camera Episcopatus Mag. Iacobus de Friburga de Alemania in Medicina, & approbatus est ab omnibus.

Die quinta Septembris coram supradicto Episcopi Vicario sub Magistris, & Promotoribus suis, videl. Bartholomæo de Montagnana, Stephano de Doctoribus, Sigismundo de Polcastris, Hieronymo de S. Sophia examinatus, & approbatus Io. Franciscus de Tarvisio. Item D. Vicarius dedit sibi licentiam prout consuetum est dari aliis examinatis in artibus. Fuit conventuatus dictus D. Franciscus privatè in camera, & dedit sibi insignia Magister Stephanus de Doctoribus die 11 Septembris. Eodem die privatè conventuatus in Artibus, & Medicina M. Custodius de Alberenio nemine discrepante sub promotoribus supradictis, addito Mag. Michaele della Savonarola die ultimo Septembris Franciscus de Pisis conventuatus.

Die 17 Octobris per Rogerium Vice Rectorem conceditur facultas Gasparo de Ferraria eundi Ferrariam pro ipso fideiubente Maffio de S.Angelo.

Die 29 Octobris coram &c. sub Priore Bartholomæo de S.Sophia. Promotoribus Antonio Cermisono, Barthol. de S.Sophia ambobus absentibus; præsentibus vero Bartholomæo de Montagnana, Stephano de Doctoribus, Sigismundo de Polcastris, & Cando de Candis examinatus, licentiatus, & approbatus Spect. & Generosus Vir D. Andriolus Dandulo de Venetiis, qui titulus nobili Veneto, atque Rectori Universitatis erat communis. Ex rotulo Universitatis
1434 Lectores deputabantur ab Universitate, & ipsa conficiebat Rotulum. Aggrediebantur autem lecturas suas professores die 18 Octobris. Rectores etiam Universitatis legebant, & in rotulo primum locum obtinebant. Diversi tituli dabantur Lectoribus. Qui legebant in secundo loco dicebantur substituti. Extraordinaria vero practicæ, & Astrologiæ lectio diebus festivis instituta.

Die 7 Novemb. Doctoratus Zachariæ Tarvisini de Venetiis, & die 9 Decembris in camera Episcopi sub Prioratu Stephani de Doctoribus conventuatus in Medicina Barthol. de Noale, & dedit illi insignia Barthol. de Montagnana.

Die 14 eiusdem. Saladinus de Roma conventuatus.

1435 Die 6 Ianuarii. Conventuati duo amore Dei.

12 Ianuarii legitur electio Consiliariorum Universitatis Artistarum in Ecclesia Domus Dei. Sub qua extat licentia de ferendis armis, cuius formam curiosis hic subnectimus.

NOS IACOBVS *de Cypro Rector Universitatis DD. Artistarum & Medicorum &c. Ex vigore statutorum prædictæ Universitatis damus, & concedimus Egregio Schol. Artium nostræ Iurisd. subiecto Mag. Io. de Catania Siculo filio Mag. Antonii Siculi licentiam portandi arma liberè, & securè quantam Nos auctoritatem*

tatem habemus dandi, & concedendi ex forma prædictorum statutorum per Paduam, eiusque districtum diù, noctùque pro tutela, & securitate suæ personæ, hoc addito, quod dictus Magister non committat contra honorem, statum nostrum, Inclyti Dominii Venetiarum, & contra honorem regiminis Mag. DD. Potestatum, & Capitanei, vel contra formam aliquorum statutorum Communis Paduæ, valituris præsentibus ad nostri beneplacitum. In quor. fid. &c.

Die secundo Maii per Consiliarios tres electi fuerunt pro Rectoratu, & die quinta eiusdem per Vniversitatem propositis tribus approbatis à Consiliariis, duo se excusarunt, tertius, nempe Ioannes de Manzono suffragiis totius Vniversitatis electus est, qui petiit terminum ad respondendum tres dies juxta statuta. Die septima Maii acceptavit Rectoratum, & fecit collationem privatam sine mentione publicæ. Eadem die Sapiens proponitur à Rectore, & ab Vniversitate approbatur. Die decima Iunii Iacobus de Cypro Rector examinatus in utraque facultate nemine discrepante, & ultimo Iulij in Cathedrali in utraque conventuatus, & insignia dedit ei Stephanus de Doctoribus in Medicina, in Artibus D. Christophorus de Pergamo. Postea caputium, & officiũ reddidit Cl. Artium Doctori, & Schol. Med. Io. de Manzono de Neapoli: Ecce, quam utraque Laurea distinctè collata, secus ac nostra ætate.

Die 15 Iulii convocata Vniversitate pro collatione Rectoris fuit disputatum, utrum novus Rector debeat facere collationem, vel scribendos curare aliquot libros pro Vniversitate, quorum quilibet scholaris copiam habere posset, & die 19 fuere suffragia pro collatione num. 52. pro libris 30.

21 Iulii in Ecclesia S. Martini convocata Vniversitate Io. de Manzono in Rectorem electus dedit fideiussorem pro collatione generali facienda Magistrum Antonium Picenum Lectorem Rhetoricæ de Pergamo.

28 Augusti in Ecclesia S. Martini Rector supradictus cum Syn-

Syndicis confirmat actus omnes Io. de Cypro Rectoris à die 26 Maii 1434 ad ultimum Iulii, quo novus Rector Ioan. de Manzono accepit caputium: modo non sint contra formam statutorum. Rotulus Venetias missus per Bidellum pro confirmatione.

Mutatio Lectorum quo ad locum instituta. Caietanus de Thienis positus in loco Mag. Simonis de Lendenaria, qui concurrebat anno proximè præterito cum D. Magistro de Polcastris in Lectura Theorica ordinaria: Item translatus in rotulo ad Lecturam Phil. naturalis ordinariæ Mag. Ludovicus de Pirano Sac. Theol. Doct.

Io. A furnacibus de Venetia.

Andreas de Med.

28 Aug. licentia multis scholaribus concessa in patriam redeundi.

23 Septemb. examen, & conventus Iac. de Monferrato.

3. Octob. Vice-Rector Gulielmus de Notho de Sicilia substitutus à Rectore, dum esset ante Ecclesiam S. Clementis Paduæ, præsente eximio Art. Doct. Mag. Venantio de Camerino, &c. eo quod ipsi legitima de causa extra civitatem esset discedendum. Quę consuetudo tunc solemnis erat.

21 Novembris Rector convocat Consiliarios ad tollendam discordiam inter scholares Philosophiæ naturalis, cum vna pars eorum iuberet prælegi libros Physicorum, altera libros de Coelo, & de Mundo. Erat tunc Lector Mag. Caietanus. Suffragiis maioribus in libros de Coelo convenerunt.

Marcus Dandulus Prætor, & Natalis Donatus Pręfectus.

Anno 1436 7 Ianuarii in Ecclesia S. Martini convocatis consiliariis cum Rectore Io. de Manzono propositum fuit lecturam Ordinariæ Medicinæ horis matutinis incommodam sine concurrente, & à Rectore propositus pro ea Nicolaus de Faba, & petitum an vellet Vniversitas, ut mitteretur aliquis Venetias ex parte Vniversitatis ad Ducem Venetum

supplicandum, ut is conduceretur ad concurrentiam D. Antonii Cermisoni. Determinatum fuit, ut dictus Rector cum duobus scholaribus electis per Vniversitatem iret Venetias expensis Vniversitatis. Item ut in casu quod D. Antonius Cermisonus nollet habere pro concurrente dictum Nicolaum de Faba, quod conduceretur ad dicti Cermisoni concurrentiam D. Stephanus de Doctoribus. Et hoc quia prædictus de Doctoribus electus ad dictam lecturam pro concurrente dicti Antonii pro anno præsenti. Item, quod debeat Rector cum dictis scholaribus coram Rectoribus civitatis, & Dominio Veneto procurare, quod scholæ aptentur ob commodum scholarium.

Die 12 Ianuarii. Rector ægrotans substituit Vicerectorem Virum Vrbanum de Seruano, & etiam suo nomine facultatem dedit eundi Venetias, ut supra.

Die 27 Ianuarii: Examinatus, & ab omnibus, nemine discordante Ieremias de Austria coram Vicario Episcopi.

11 Februarii: congregata Vniversitas in Ecclesia Domus Dei, quia in huius Ecclesiæ vicinia erant scholæ publicæ.

Die 5 Martii Consiliarii novi eliguntur.

Die 22 Martii convocata fuit Vniversitas ad instantiam PP. Prædicatorum in Ecclesia Domus Dei, qui petebant ut semel in anno festum D. Thomæ in Ecclesia S. Augustini ab Vniversitate celebraretur; hisce conditionibus propositis. Primum quod si aliquis scholaris, vel Gymnasii professor decederet ex hac vita, ipsi vellent venire, & honorare corpus, & eius sepulcrum sine aliquo præmio, & etiam promitterent, quod, si aliquis scholaris pauper, vel officialis, vel Doctor legens sepultura indigeret, ipsi offerrent sepulcrum in eorumdem Ecclesia concedere. Quod quidem ab omnibus approbatum fuit. Festum nempe S. Thomæ debeat celebrandum in formam statuti ut festum B. Mariæ mense Martii.

[1] 24 April. cõvocata Vniversitate Artistarum pro electione novi Rectoris, quæ, ob pestẽ, absentibus Scholarib. differtur.

19 Iu-

19 Iunii Gregorius de Sicilia fideiubet se mansurum Paduæ pro Syndicatu Io. de Manzono de Neapoli Rect.

Die 10 Iunii fuerunt approbati actus, & sententiæ D. Io. de Manzono, & idem Rector absolutus.

Die 26 Novembris D. Nicolaus de Sancta Sophia filius q. D. M. Galeatii de Perusio petiit, ut pro scholari forensi describeretur in matricula generali. Attulit consilium in hac re Cl. D. Pauli de Castro, & per testes probavit alibi vocem dedisse in Vniversitate. Receptus fuit, & Cal. Decembris dictus Nicolaus de S. Sophia electus fuit Rector Vniversitatis existentibus Vrbis Rectoribus Hieronymo Contareno Prætore, Thoma Duodo Præfecto, sed Rectoratus honores recusavit die 14 Decembris.

1437 Vrbis Præsules Hieronymus Contarenus Prætor. Thomas Duodus Præfectus. Paulus de Mutonibus Tarvisinus Artistarum Rector.

1438 Civitatis Rectores Thomas Michael Prætor, Vitalis Miani Præfectus.

Magister Leonardus de Magistris de Aquila Artium Doctor Rector Artistarum, qui Cal. Maii caputium solemniter sumpsit, symposium perhonorificum fecit.

Die 5 Maii congregavit Vniversitatem in æde S. Martini pro eligendis statutariis. Pro discutienda negligentia D. Nicolai de S. Sophia.

Die 7 dedit juramentum publicè per scholas Doctoribus legentibus. Proclama legitur pro Syndicatu D. Pauli de Mutonibus olim Rectoris.

Die 9 Maii ad Lecturam Chirurgiæ electus fuit Mag. Zacharias de Monselice, quia Mag. Io. Michael de Bertopalea recesserat ab hoc loco. In eadem Vniversitate decretum fuit, quod Cives Patavini non admittantur in Vniversitate.

Die 14 Maii confirmantur actus, & sententiæ latè à præcedenti Rectore.

27 Maii convocata Vniversitate pro rotulo conficiendo

anno venturo, qui die 18 Octobris exordium sumebat.

Cal. Iulii: De consensu Vniversitatis permissum fuit Rectori D. Leonardo de Magistris accipere Medicinæ Lauream, & officium Rectoratus, ac Iurisdictionem usque ad terminum sibi missum tenere. Sed in patriam vocatus à patre die ... Augusti substitutum elegit D. Vbertinum de Albreaz de Pergamo, qui Cal. Septembris fuit confirmatus ab Vniversitate tanquam Vice-Rector.

19 Decembris Andreas Donatus Prætor Patavium accessit.

1439 Die 18 Martii electus est Rector Artistarum Dom. Bartholomæus de Spilimbergo Artium Doctor, & Medicinæ scholaris.

Eadem die. Per scholas admoniti sunt Professores, & scholares, ut die 25 Martii conveniant causa eundi ad Ecclesiam S. Mariæ de Arena, & quod quisque prædictorum portet pro oblatione id, quod placeat.

Die 4 Septemb. Rector elegit substitutum D. Io. Antonium de Lido de Forolulio.

Vice-Rector, seu novus Rector petiit, ut accepta pecunia à solemni festo in acceptatione caputii dispensaretur, sic Præfecto Vrbis disponente propter temporum calamitates; sed 27 Maii scholares festum petierunt, & secunda die Iunii Rectori intimatur, ut faciat festum solemne.

Secunda mensis Octobris Io. Antonius de Lido Artium Doctor V. Rector electus est, cui permissum est ire Venetias pro confirmatione Rotuli.

Hoc eodem anno Cal. Decembris Summus Pontifex Eugenius Quartus, cum iam Ecclesias Patavinas privilegiis, ac opibus cumulasset, Gymnasium etiam sua beneficentia exornare voluit amplissimo diplomate, studiosisque, ac Professoribus eiusdem omnia privilegia aliorum Gymnasiorum communicavit, quod supra lib. 1. cap. VI retulimus.

Hoc anno Collegium pro studiosis Bellofortius Spinel-

lius filius Nicolai I. C. celeberrimi instituit ad pontem Corvum Venetis D. Marci Procuratoribus commendatum.

Decuriones Patavini Episcopo supplices libellos porrigunt, ut à Summo Pontifice pro stipendiis sex professorum Gymnasii tot beneficia, quæ vocant simplicia, impetret.

1440 Marcus Lippomanus Prætor, & Andreas Maurocenus Præfectus.

1441 Pasqualis Malipetrus Prætor; & 12 Maji Ioannes Pisaurus Præfecturam aggreditur.

1442 Matthæus Veturi Prætor, & Christophorus Maurus Præfectus.

1443 Legimus in actis publicis Civitatis Decuriones concessisse Episcopo Patavino prope templum D. Antonii Collegium pro studiosis erigendum. Die 2 Iulii Iacobus Barbadicus Præfectus; & quarta Augusti Moises Grimani Prætor.

1444 Decuriones Civitatis decreverunt, collegam Antonio Bosello I. C. eligere.

Lucas Tronus Præturam gerebat.

1445 Civitatis Rector Thomas Michael, & Antonius Diedus Præfectus.

Gymnasii Iuristarum Rector Georgius Ehinger Vlmensis Germanus constitutiones Vniversitatis emendatas promulgavit. Propter tumultuosas etiam studiosorum contentiones in eligendis, & reiiciendis Professoribus, Senatus Rectoris precibus eiusmodi decretum edidit, quod electio Doctorum ab ipsis facta Pręsidibus civitatis aperienda esset, electique interrogarentur, an obstringere se Venetæ Reipublicæ vellent, ipsisque ita obligatis constituta in Senatu præmia persolverentur.

1446 Die 7 Augusti ad Pontem Corvum collegium pro studiosis juvenibus testamento instituit Franciscus de Englescis q. Leonardi de Cavalcantibus Florentini filius Artium, & Medicinæ Doctor.

Ma-

Madalenus Contarenus Præturam Vrbis, & Aloysius Storlitus Præfecturam gerebat.

1447 Rector Iuristarum G. Bernardus ex hac inscriptione ad ædes Vniversitatis ante templum D. Antonii cum stemmate.

G. BERNARDVS IVRISTARVM RECTOR
ÆDIBVS RESTAVRANDIS INITIVM
DEDIT M CCCC XLVII.

Donatus Episcopus obiit in quadam Episcopatus villa ex peste, teste Vespasiano Florentino, qui eum inter viros illustres recenset. Cui Marinus de Valtera Carthusianus Poema de septem verbis Domini inscripsit.

1448 Ante Idus Ianuarii. Fantinus Dandulus Doctor Episcopus Patavinus electus ex Archiepiscopatu Cretensi. Iuristarum Rector D. Ioannes Paulus de Bernabuciis ædes Vniversitatis ad D. Antonium vetustate collapsas instauravit, ut ex inscriptione ibidem posita, & in Vol. nostro congesta pag. 363.

PER. IOANNES PAVLVS DE BERNABVCIIS
IVRISTARVM RECTOR
ÆDES VETVSTATE COLLAPSAS
RESTAVRAVIT
M C C C C XLVIII.

Iacobus Loredanus Prætor, & Bartholomæus Georgius Præfectus.

1449 Vrbis Præsides Nicolaus Contarenus Prætor, & Zacharia Bembus Præfectus.

1450 Vrbis Rector Orsatus Iustinianus, & Georgius Loredanus Præfectus.

1451

1451 Iacobus Loredanus Prætor, Zacharias Bembus Præfectus.

1452 Vrbis Præsides Matthæus Veturi Prætor, Ioannes Memo Præfectus.

Quarto Non. Ianuar. Fridericum III Imperatorem, quum Patavium transiret Iordanus Orsinus pro Vniversitate Iuristarum oratione excepit, quæ asservatur in Bibliotheca summi viri Ioannis Galvani Patavini cum altera eiusdem Iordani ad Nicolaum Quintum S. P. acta Romæ 1451. undecimo Cal. Martii.

Tridanus Gritti Prętor, & Zacharias Valaresius Pręfectus.

1454 Madalenus Contarenus Prætor.

1455 Antonius Diedo Prætor, Georgius Loredanus Præfectus.

1456 Ex monumentis nobilis familiæ Turrinæ à Cl. Iurisconf. Sebastiano Galeoto mihi communicatis, Balthasar Turrinus hoc anno V. Rector Iuristarum electus jus canonicum interpretabatur. Ita ex eius epistola, Cal. Octob. eiusdem anni Dominico Patri scripta constat.

1457 Benedictus Vituri Prætor, & Leonardus Contarenus Præfectus, Pasqualis Malipetrus Dux Venetus eligitur.

1458 Præsides civitatis Andreas Bernardus Prætor, & Leonardus Contarenus Præfectus.

Decretum fuit à Senatu Veneto, Reipublicæ Venetæ subditos in hoc Gymnasio sua studia exercere, aliosque in alienis Academiis literis incumbentes privilegiis destitui, quibus perfruuntur Doctoris insignia in Pat. Collegiis consecuti.

1459 Petrus Barbus Cardinalis Episcopus Vicentinus Patavinam Ecclesiam commendatam obtinuit à Pio Secundo Cal. Martii. Vix annum administravit, eoque munere se ultro abdicavit. Hic est ille, qui, Pontifex electus, Pauli II nomen sumpsit anno 1464 31. Augusti.

Typographiæ ars Venetias hoc anno traducta à Nicolao Ienson Germano.

Ioan-

Ioannes Rot Iuristarum Rector, ut ex volum. statut. lib. 1. cap. 16.

Andreas Contarenus Prætor, & Antonius Venerius Præfectus.

1460 Iacobus Zenus, Iurisconsultus gravissimus, & antiquitatis studiosissimus Episcopus Patavinus ex Bellunensi est electus.

Gymnasii Rector Iuristarum Franciscus Scledus Vicentinus, immoderatos studiosorum sumptus, qui in conventibus fiebant, correxit, & pecunia, quæ Cancellario, Collegio Doctorum, ac Vniversitati tribuebatur, moderari tentavit, accedente omnium consensu. Rectoris item potestatem adversus calumniosè supplicantes, promulgavit.

Bernardus Bragadenus Præfectus.

1462 In Ducem Venetum eligunt Senatores Veneti Christophorum Maurum.

Die 8 Maii obiit Eques nobilissimus Pallas de Strozzis Florentinus, qui Codices Græcos, & Latinos sua ferè manu conscriptos cœnobio S. Iustinæ testamento reliquit.

Vrbis Prætor Iacobus Loredanus, & Nicolaus Tronus Præfectus.

1463 Præsides Vrbis Zacharias Trivisanus Prætor, & Lucas Legius Præfectus.

Rector Iuristarum Henricus Murmester Namburgensis Doctor, statuta Vniversitatis suæ correxit, & quicquid antiquarum constitutionum iustum, utile, & honorificum videbatur, in unum volumen redactum evulgavit.

Decuriones Civitatis Vniversitati Legistarum in Palatio ad jus dicendum sedem cum pluteo concedunt.

Hoc anno jussu Ducis Venetiarum die 3 Idus Augusti ab Vrbis Rectoribus peritissimi Gymnasii Medici selecti sunt, qui ossa Sancti Lucæ Evangelistæ dignoscerent in Ecclesia D. Iustinæ posita. Hi fuerunt Paulus à Flumine, & Franciscus Passera cognomento Genua. Affuere civitatis Decuriones,

riones, & proceres Gymnasii professores. Sublato lapide superiori, intus visa est arca plumbea senos pedes longa, duos lata, cuius operculum in piramidem assurgebat. Iacebat in ea corpus Sancti Lucæ sine capite, soluta tamen compage ossium. Hæc à Medicis revoluta apparuerunt hominis esse, & maximæ vetustatis, qualem à tempore obitus Sancti Lucæ metiri licet.

1464 Præses Vrbis Leonardus Contarenus.

Petrus Albertus Rector Iuristarum ex Stat. volum. lib. 1. cap. 57. Georgius Martinengus Brixiensis Rector.

1465 Andreas Bernardus Rector, & Leonardus Contarenus Præfectus. Rector Iuristarum D. Andreas Plancher-net Kuusperet artium Doctor, Statuta Vniversitatis Iuristarum in quatuor Libros divisit, multaque detraxit, plura etiam addidit. Christophoro Mauro Duce Venetiarum Senatus Venetus confirmavit Statuta Vniversitatis Artistarum, & Medicorum noviter reformata sub D. Odomatheo de Vrbino Rectore.

Hoc anno, & sequentibus Decuriones civitatis pro incremento Gymnasii decernunt Oratores eligere ad perquirendos professores celebres. Die 7. Sept. Senatus Venetus jubet exequias, & orationes per omnes Vrbis Ecclesias institui pro anima Bartholomæi de Bergomo defuncti.

1466 Marco Zane Prætore, & Triandano Griti Præfecto Senatus præcepit, ne quicquam contra formam antiquarum consuetudinum, & Iurisdictionum Rectoris Gymnasii, & scholarium innovaretur.

Anno sequenti in gratiam Civium Patavinorum Senatus decrevit, ut interpretes constituerentur duo Tertii loci in Iure civili, duo in jure Canonico, ac duo similiter Tertii in Medicina, & Artibus, dato singulis in singulos annos præmio Floren. 20 facta electione ab utroque Præside, ab utroque Quæstore, à Rectore Vniversitatis, & ab uno ex sapientibus Deputatis ad utilia Patavinæ civitatis. Quod usque

in hodierna tempora usitatum est, magna juvenum & Gymnasii utilitate.

1467 Ioanne Gradenico Prætore, & Bernardo Iustiniano Milite Præfecto, Senatus Venetus 28 Ianuarii decrevit, Rectorem Vniversitatis posse ferre suffragium in conferendis tertiis Gymnasii Cathedris, quæ à Patavinis suis civibus conceduntur.

Sub die 27 Novembris datæ sunt Ducis literæ non improbantes electionem Rectoris D. Bernardi de Capitibus listæ factam, sed postea revocatam.

Hoc anno Rector legitur Ioannes Cheluuorth Anglus Linconiensis Archidiaconus.

1468 Ioannes Gradenicus Vrbis Prætor.

1469 Stephanus Trivisanus Præfectus, & Andreas Leonius Prætor.

1470 Dominicus Georgius Præfectus.

1471 Franciscus Venerius Prætor, & Marcus Barbadicus Præfectus. Georgius Hehenolder Rector.

1472 Leonardus Contarenus Præfectus.

1473 Hieronymus Lauredanus Prætor.

Ioannes à Scrofa Iuristarum Rector lib. 3. cap. vltimo vol. Stat. & lib. 4. ad ann. 1474.

1474 Prætor Antonius Erizius, & Bertucius Contarenus Præfectus.

Artistarum Rector Dominicus Zanotus, ut ex lib. 4. Stat. Iurist. veteri. Iuristarum Rector D. Ioannes Parsperger die 9. Augusti decretum obtinuit, quod scholares pro annona, tam in civitate, quàm extra nullum vectigal penderent iuxta antiquatum morem; quod publicis itidem literis anno 1475. 1478. & 1481 confirmatum fuit.

Hoc etiam tempore civitatis Decuriones Ducem Venetum exorant, ne ad publicas Cathedras admittantur professores, qui in aliquo Gymnasio Laurea Doctorali non sint insigniti.

Ex

Ex veteri vol. Statutor. lib. 3. cap. ult. Ioan. à Scrofa Iuristarum Rector.

1475 Bernardus Donatus Potestas, & Victor Superantius Miles Capitaneus.

Silvester Rambaldus Veronensis utriusque Universitatis Nuncius Stat. lib. 4.

Decuriones civitatis collegium Iuristarum publicis Oratoribus defendunt pro suis statutis conservandis, & contra quendam Iuris studiosum, qui à Principe contra morem, insignia Doctoratus gratis impetrasset.

Item contra Angelum de Castro I. C. celeberrimum, quem Senatus Venetus Doctoribus Collegii, ut vocant numerariis, adscripserat.

Hoc anno legitur Vicarius Iuristarum Ioannes de Placentia Patavinus, qui remotus fuit, ut in Stat. lib. 1. cap. 3. apparet.

1476 *9* Iunii Io. Franc. de Ravenna Lector recensetur, ut in vol. Stat. lib. 1. cap. 2. patet.

1477 Bernardus Venerius Prætor, & Gabriel Lauredanus Præfectus. Ioannes Mocenigo Dux Venetus.

Die *26* Iunii Senatus Venetus decrevit, Nobiles Venetos à lecturis Gymnasiii removendos esse; inter quos tunc erat Cosmus Contarenus Iuris professor. Aliorum memoria extat nulla.

1478 Zacharias Barbarus Prætor, & Petrus Iustinianus Præfectus.

1479 Zacharias Barbarus Potestas, & Vice Capitaneus, ut ex Ducali die 2 Aprilis planum est. Successit in Præfectura Petrus Foscarenus.

Statutum fuit à Senatu Veneto duos Patavinos non posse unum, idemque docendi munus eodem tempore subire, sed exterum Patavino semper adiungendum, ut ex decreto, die 2. Aprilis descripto, liquet. Pileo Vonico Tarvisino Rectore.

Alexander Sermoneta Pisis Patavium venit ad Lecturam ordinariam Medicinæ Theoricæ, ex vol. Statutor. lib. 2. cap. 1.

1480 Federico Cornelio Prætore, & Francisco Sanuto Præfecto Senatus Venetus mandat sub die 5 Aug. immunitatem circa necessaria ad victum scholaribus conservandam.

Rector Iuristarum Iacobus de Salodio. 2 Octobris ex St.

Eodem anno Simeon Federicus Tridentinus Rector ex eod. vol. lib. 2. cap. 68.

Decuriones civitatis pro Vniversitatibus Studiosorum Serenisс. Senatum sollicitant, ut denuò ipsis Studiosis jus eligendi professores concederent.

Vincentius Schrench de Monacho etiam Rector perhibetur. Sed alterius forsitan Vniversitatis.

1481 Iacobus Zenus Episcopus apoplexia obiit. Palatium Episcopale exornavit. Vitas Romanorum Pontificum scripsit, & lib. 10 de gestis ab ipso, pluraque alia ingenii monumenta reliquit. Bibliothecam rarioribus M.S. refertam Capitulo Ecclesiæ Pat. donavit, quam Bibliothecis Patavinis jam editis vulgauimus 1639.

Episcopo Patavino Petrus Foscari Venetus successit, eodemque anno inter Cardinales enumeratur.

Mapheo Contareno Prætore, & Iacobo Marcello Capitaneo, Senatus Venetus jubet iterum, immunitatem Scholaribus circa necessaria ad usum, & victum servari.

Rector Iuristarum D. Selvagius de Angelis Doct. & in vol. Stat. veterum lib. 4. legitur Selvaggius de Anglia Iuristarum Rector. Cui erant assessores Gulielmus de Sicardis de Bergomo, & Belpetrus Chiericatus de Vicentia.

1482 Ioannes Contarenus Prætor, & Augustinus Barbadicus Præfectus.

1483 Nicolaus Leonardus Præfectus.

Ioannes Gunder Germanus Rector Vniversitatis.

1484 Thomas Trivisanus Prætor.

Va-

Valerius Coloniensis Rector Vniversitatis.

1485 Ioannes Michael Venetus Cardinalis Episcopus subrogatus, Pauli Secundi ex sorore nepos, & in Ducem Venetum eligitur Marcus Barbadicus.

Philippus Tronus Prætor, & Aloysius Bernardus Præfectus.

1486 Rector Iuristarum Franciscus Traversius sub die ultimo Iunii impetrat habere locum à dextris proximum apud civitatis Rectores, ut moris est.

Antonius Venerius Prætor. Lucas Maurus Præfectus.

1487 Dux Venetus Augustinus Barbadico.

Rector Vrbis Antonius Venerius, Lucas Maurus Præfectus.

Rectore Iuristarum postulante, Senatus Venetus die 7. Decembris Præsidibus Civitatis mandat Statutorum Vniversitatis conservationem pro immunitatibus Studiosorum contra Datiarios, & alia in eis contenta.

Præterea decretum est à Senatu, quod Rectores utriusque Vniversitatis præcedant Quæstores.

Iacobus Giroldus Rector Iuristarum, ut ex Stat. vol. lib. 2. cap. 28.

Audita est hoc anno summa omnium admiratione in Gymnasio Patavino Cassandra Fidelis Virgo Veneta pro Bertucio Lamberto suo consanguineo, Concordiensi Canonico, Liberalium artium insignia suscipiente, ex more tunc recepto orare. Huius Cl. feminæ vitam, Orationes, & Epistolas anno 1637 edidimus.

1488 Die 15 Martii Petrus Barocius Nobilis Venetus ex Bellunensi Ecclesia ad Patavinam translatus: Vir doctissimus, vitæ probitate ac literis celeberrimus. Scripsit de bene moriendi ratione Lib. 1. De Consolatione Lib. 3. Hymnos, Epistolasque ad diversos. Vixit ad annum 1507.

Christophorus Duodus Prætor, Nicolaus Trivisanus Præfectus.

1489 Thomas Lippomanus Præfectus.

Decretum fuit à Senatu, quod non nisi Doctores Laureati in publicis Collegiis ad docendum in Gymnasio admitterentur; iis nimirum seclusis, qui Doctores à Comitibus Palatinis creari consueverunt.

Insuper, quod Professores ingredientes scholas infra numerum sex auditorum, pœna librarum decem in singulas lectiones mulctarentur.

1490 Melchior Trivisanus Prætor, & Sebastianus Badoerius Præfectus.

1491 Antonius Marcellus Præfectus.

Die 13 Februarii in Senatu Veneto sancitum fuit, quod subditi non possent frequentare alia Gymnasia, sed infra duos menses ad Patavinum concederent.

1492 Benedictus Trivisanus Prætor, & Aloysius Bragadenus Præfectus.

1493 Præsidibus Marino Venerio, & Marino Leonio, cum scholæ ad D. Blasii ædem non essent admodum commodæ ad alias translatæ sunt ad D. Martini prope Forum vinarium, ubi hospitium ad Bovis signum à D. Iacobo Bonzanino Equite in emphyteusim acceptum, Rector Iuristarum D. Bernardo Gilo de Valentia, ut ex instrumento à nobis supra posito lib. 1. cap. 9.

1494 Decuriones Vrbis decreverunt, ut Inclytæ Nationis Germanorum privilegia publicis suffragiis apud Serenissimum Ducem Venetum firmarentur.

Marinus de Garzonibus Prætor, & Marcus Antonius Maurocenus Præfectus.

Rector Iuristarum Nicolaus Bolizza, & Fulvius Plovenus Vicarius.

1495 Nicolaus Marchesius Bergomensis Rector Vniversitatis.

1496 Rectoribus Paduæ Hieronymo Vendrameno, & Dominico Marino.

Se-

Senatus Venetus confirmavit Statuta Artistarum, eaque Rectoribus die 10 Iulii observanda mandavit.

Gymnasii Rector pro Vniversitate Artistarum D. Leonardus Vbriacus civis Veronensis.

1497 Paulus Barbus Prætor, Fantinus Pisaurus Præfectus.

Ioannes Antonius Brantius de Luschis Vicentinus Rector Iuristarum.

1498 Benedictus Sorantius Prætor.

1499 Rectores Vrbis Marcus Bollanus Prætor, & Lucas Zenus Præfectus.

Hoc tempore, legimus, Vrbem ex aeris intemperie peste laborasse, cœlum enim imbribus grave fuit, & ventorum impulsu insectis quibusdam refertum, quæ putrilagine aerem infecerunt.

Rumor exortus contra virum celebrem Nicoletum Verniam Theatinum, primarium Philosophum de vnitate intellectus secundum Averroem animi causa disputantem, tollitur edito ab eodem de Immortalitate animæ. De quo supra non pauca diximus.



CHRONOLOGIA
GYMNASII PATAVINI
Ab Anno 1500, usq; ad 1600.

INitio huius seculi prope Athesten à rusticis terram altius fodientibus inventum ferunt vas fictile, ac in eo urnulam, in qua erat lucerna adhuc ardens inter duas ampullas; quarum altera erat aurea, altera argentea, purissimo liquore plenas. Eam à Maximo Olibio Plutoni dicatam, ex sequentibus carminibus constat. Quæ sanè in Gymnasio Philosophiæ, ac Philologiæ in professores varias excitavit cogitationes. In urna maiori hi versus legebantur.

Plutoni sacrum munus ne attingite fures:
Ignotum est vobis hoc quod in orbe latet.
Namque elementa gravi clausit digesta labore,
Vase sub hoc modico Maximus OLIBIVS.
Adsit fœcundo custos tibi copia cornu,
Ne pretium tanti depereat laticis.

In altera minori.

Abite hinc pessimi fures:
Quid vestris voltis cum oculis emissitiis?
Abite hinc vestro cum Mercurio
Petasato, caduceatoque
Donum hoc maximum Maximus OLIBIVS
Plutoni sacrum facit.

Extat apud Hippolytum Angelerium De Antiquitate Vrbis Athestinæ nondum editum de ipsa Francisci Maturantii Perusini literas humaniores in oppido Athelle docentis ad Alphenum amicum epistola Cal. Maii Ann. 1600 scripta.

Hu-

Huius etiam Scardeonius meminit rerum Patavinarum lib. 1. classe 3.

1500 Petrus Barocius Venetus Vrbis Episcopus, Gymnasii M. Cancellarius anno sui Episcopatus XIII.

Gymnasii Rector Iuristarum Franciscus Abraam.

Vrbis Rectores Leonardus Mocenigo, & Laurentius Venerius.

1501 Rector Iuristarum Gymnasii Ioannes Thebaldus Bergomas, & Artistarum Iulius de Valle.

1502 Thomas Mocenigo Prætor, & Andreas Venerius Præfectus.

1503 Gymnasii Rector Nicolaus Trautmansdorf Alemanus.

Georgius Cornelius Rector, & Paulus Trivisanus Præfectus.

1504 Prætor Aloysius Molinus.

1505 Paulus Pisanus Vrbis Prætor, & Angelus Trivisanus Præfectus.

Ad D. Luciæ ædem Collegium pro sex juvenibus Brixiensibus instituit Hieronymus Lambertus Nob. Brixiensis Medicus.

1506 Præses Vrbis Andreas Gritti.

Rector Gymnasii Gaspar Cultranus Siculus.

Interdictum est à Senatu Veneto Professoribus publicis, extra tempus vacationum Venetias accedere pro causis tractandis, vel pro curanda aliorum valetudine, nisi de licentia Senatus. Sublatæ sunt quædam Lecturæ. Nempe Decretum, quod interpretabatur Petrus Canis. Clementinæ, quas Ioannes de Faciis legebat Flor. 80. Lectura Feudorum, Artis Notariæ. Extraordinariæ Theoricæ Medicinæ, quam explicabat Hieronymus de Pedamonte Flor. 50. Secunda Lectura Chirurgiæ. Secunda Tertii Avicennæ, & Mathematicarum, quam explicabat Benedictus Trinca Flor. 66. stipendio.

1507 Die 10 Ianuarii Venerabilis Episcopus Barocius obiit summo Gymnasii dolore, cuius funus præsentibus studiosorum Universitatibus honestatum est. Conditus est ad tempus in sacello S. Cæsarii apud sepulcrum F. M. D. Ildebrandini. E quo anno 1508. die 20 Septembris translatus solemni pompa, & in sepulcrum à Senatu Veneto extructum reponitur propè ostium sacrarii. In eius locum successit Petrus Dandulus Nobilis Venetus Episcopus Vicentinus, qui biennium vixit.

Rector Iuristarum Michael Gualtarotus Delphinas, & Rector Artistarum Andreas de Polomi, uterque à Senatu Veneto confirmatus.

1508 Præsides civitatis ignorantur, monumentis bellorum injuria deperditis.

Rector Iuristarum Gymnasii die 3. Augusti electus Marinus de Ongaris Dalmata, & Rector Artistarum Andreas Bentellus Veronensis.

1509 Episcopus Patavinus Sistus à Ruvere Cardinalis à Vicentina Ecclesia ad Patavinam translatus die 11 Iunii.

Ob bellum Cameracense Gymnasium intermissum fuit usque ad annum 1515. Hoc enim tempore contra Rempublicam Venetam foedus inierant Iulius II Summus Pontifex, Maximilianus Imperator, Ludovicus Rex Galliæ, Ferdinandus Rex Hispaniæ, Alphonsus Dux Ferrariæ, & Franciscus Dux Mantuæ.

1515 Hoc anno Gymnasium aperitur, & Professores suas lecturas aggrediuntur. Balthassar Carducius docuit jus Canonicum in primo loco, & Io. Franciscus Musatus in secundo loco.

Immo die 2. Martii à Bartholomæo Alviano summo Venetæ militiæ Præfecto Marcus Mantua electus est ad primam Institutionum Imperialium Cathedram.

1517 8 Martii Obiit Romæ Cardinalis à Ruvere Episcopus Patavinus, cuius successor declaratus est à Leone X.

Mar-

Marcus Cornelius Cardinalis Venetus, filius Georgii, & Catharinæ Cypri Reginæ frater, qui vixit usque ad annum 1523 repentino fato Venetiis ereptus.

Prætor Vrbis Hermolaus Donatus, & Iulianus Gradenicus Præfectus.

1518 Paulus Donatus Potestas, & M. Antonius Lauredanus Præfectus.

1519 Petrus Landus Potestas, & Aloysius Contarenus Præfectus.

1520 Marinus Georgius Vrbis Potestas.

1521 Antonius Grimanus Dux Venetus.

Petrus Marcellus Prætor Vrbis, & Andreas Magnus Præfectus.

1522 Franciscus Donatus Vrbis Præfectus.

1523 Præsides civitatis Franciscus Pisaurus, & Leonardus Emus.

Dux Venetus Andreas Gritti.

Senatus Venetus decrevit, ut penes se esset electio Doctorum ad præcipuas Cathedras, nempe juris Pontificii, juris civilis, ad Duas ordinarias Theoricæ Medicinæ, ad Duas ordinarias Practicæ Medicinæ, ad Duas ordinarias Philosophiæ. Reliquæ verò à studiosis, ad arbitrium tamen ipsius Senatus, distribuerentur, cum aliis. Paucæ quædam reservatæ Vniversitati Iuristarum; & solæ sex Vniversitati Artistarum, scilicet locus secundus extraordinariæ Medicinæ, locus primus, & secundus libri tertii Avicennæ, & uterque locus Sophisticæ, cum explicatione Philosophiæ moralis.

1524 Episcopus Patavinus Franciscus Pisanus Cardinalis, qui Ecclesiam restaurare curavit, & Palatium Episcopale sumptuosum construxit; sed Episcopatum cessit Aloysio Pisano nepoti, Cardinali anno 1525.

Nicolaus Venerius Vrbis Potestas.

1525 Sebastianus Iustinianus Potestas, & Hieronymus Lauredanus Præfectus.

1526 Pandulphus Maurocenus Poteſtas.

1527 Santo Contarenus Præfectus. Maphæus Michael Prætor.

Rector Artiſtarum Antonius de Campo Rhodigio in loco D. Aſcanii Serravallenſis confirmatus.

Rector Artiſtarum D. Ioannes Maria de Zaffaris.

1528 Aloyſius Piſanus, dum eſſet Clericus Cameræ ſub Pio Quarto ad preces Franciſci Piſani factus eſt Cardinalis, & Epiſcopus Patavinus.

Chriſtophorus Canalis Præfectus Vrbis.

1529 4 Auguſti confirmatur D. Ioan. Baptiſta de Mazzis Brixienſis Rector Iuriſtarum. Artiſtarum verò D. Bernardus de Soldatis Muglienſis.

Paulus Triviſanus Poteſtas.

1530 Ioannes Venerius Poteſtas, & Priamus Legius Præfectus.

Rector Legiſtarum D. Simeon Fedeſtoli Tridentinus. Rector Artiſtarum D. Bernardus de Soldatis de Muglia, qui v. Idib. Maii ſequentis anni 1531 reformavit ſtatuta ſuæ Univerſitatis cum ſuis Sapientibus, & Conſiliariis, ut in lib. 4. ſtatut. patet.

1531 Ioannes Baduerius Poteſtas, & Ioannes Maurus Præfectus.

Die 13 Auguſti D. Theodoricus Zenus confirmatur Vice Rector. Iacobus Giroldus Iuriſtarum Rector ex ſtatut. vol. lib. 1. c. 19.

1532 Rector Iuriſtarum D. Octavianus de Trimeſtre ſeptimo Auguſti eligitur. Rector Artiſtarum D. Alexander Carinellus Bergomenſis.

21 Feb. Senatus decreto confirmantur ſtatuta Legiſtarum, & præſertim ſtatutum de habitu promiſſiori ſtudioſorum civitatis Præſidibus obſervandum mandatur. Additi ducati 50. Rectori pro honorario ſuæ Lecturæ, ut centum ducatos habeat.

An-

Andreas Marcellus Vrbis Præfectus.

1533 Augustinus à Mula Potestas, & Petrus Landus Præfectus.

Rector Legistarum D. Nicolaus de Paladinis; & ex vet. vol. statutor. lib. 1. cap. 16. Octavianus de Frimero Rector Iuristarum.

1534 Marcus Dandulus, & Leonardus Caravellus civitatis Præsides.

Rector Legistarum D. Erasmus Alamanus.

Rector Artistarum D. Alexander Trajanus de Civitate Castellana.

1535 Ludovicus Sterlatus Potestas; & Natalis Donatus Capitaneus.

Rector Legistarum Ioannes Iovinus Servianus. Rector Artistarum Severinus Boccaurati à S. Severino.

1536 Nicolaus Mocenigo Potestas: Ioannes Delphinus Præfectus.

Rector Legistarum D. Hieronymus de Santilia. Rector Artistarum 12. Aug. confirmatur Vice-Rector D. Michael Minitius Rhodianus.

1537 Franciscus Venerius Potestas.

Rector Legistarum Lucius Vrsoni Brixiensis. Rector Artistarum Ludovicus Mutius de Aquila.

1538 Ludovicus Falerius Præfectus.

Rector Legistarum D. Theodoricus. Rector Artistarum D. Hieronymus Liorso Veronensis 7. die Octobris confirmatur.

Petrus Landus Dux Venetus creatur.

Viridarium Medicum hoc anno inceptum est. De quo supra lib. 1. cap. 2.

1539 Hieronymus Cornelius Præfectus.

4 Aug. Rector Legistarum D. Petrus Cæsareus Eques Hierosolymitanus Calaber: & Artistarum Nicolaus Guzardus Novocomensis.

1540

1540 Marcus Antonius Contarenus Poteſtas, & Laurentius Delphinus Præfectus.

Rector Legiſtarum 7. Aug. confirmatur D. Petrus Pape civis Toloſanus adoleſcens nobilis, & omni virtutum genere florens.

1541 Andreas Mocenigus Poteſtas.

Rector Legiſtarum D. Iacobus Cicuta Veglenſis Eques. Rector Artiſtarum D. Simeon Arboſcelli Cremonenſis. Andreas Turrinus Peſciæ ortus Cl. Medicinæ profeſſor. Clementis VII, & Pauli III Medicus gratiſſimus fuit. A Franciſco I Galliarum Rege non minori benevolentia exceptus, ordinarii Medici, & Conſiliarii titulo honeſtatus, à Sereniſſimo Senatu Veneto in Gymnaſium Patavinum accitus, aliquandiu docuit. Sed iterum à Rege vocatus propere in Galliam revertitur, ut ex monumentis huius nobilis familiæ Turrinæ, à Cl. Viro, mihique amiciſſimo Franciſco Maria Ceffino S. Stephani Equite, & in Gymnaſio Piſano Iuriſprudentiæ profeſſore, tranſmiſſis accepimus.

1542 Ioan. Andreas Baduarius Poteſtas; Philippus Tronus Præfectus.

Rector Legiſtarum Ludovicus Aqueneus Perollerius Gallus. Rector Artiſtarum D. Ioannes Apotheca.

1543 Ioannes Andreas Baduarius Prætor, & Philippus Tronus Præfectus, Ianuam poſteriorem Gymnaſii extruendam curarunt, Sebaſtiano Fuſcareno Doctore, & Equite Antonio Suriano itidem Doctore, & Equite Gymnaſii Moderatoribus.

Die 8. Aug. Rector Legiſtarum D. Hermes Ferrerius Pedemontanus; & Rector Artiſtarum D. Ioannes Antonius Apotheca Pedemontanus.

Hoc anno Duce Veneto Petro Lando reformata ſtatuta Univerſitatis Iuriſtarum, & confirmata, ut palam eſt in vol. ſtat. ed. anno 1550.

Contradicente D. Ludovico Fabri Conſiliario, ſtatutum

de biennio Rectoratus, Anno 1545 eodem Duce ad annum sólummodo redigitur.

1544 Prætor Vrbis Stephanus Trivisanus: Præfectus Iacobus Duodus.

Rector Legistarum D. Georgius Pellacoppo Cretensis.

Rector Artistarum D. Bernardinus de Georgiis Vicentinus.

1545 Hieronymus Zane Præfectus.

Rector Legistarum D. Ferdinandus Addese Mediolanensis.

Dux Venetus electus Franciscus Donatus.

Matricula, & ærarium I.C. Germanorum instituitur.

1546 M. Antonius Foscarenus Potestas, & Matthæus Dandulus Præfectus.

Rector Legistarum Ferdinandus Addese in eodem munere confirmatus est. Rector Artistarum D. Ludovicus Buzzacharinus de Pergola Marchianus.

Germanis I.C. ab Eremitanis locus sepulturæ concessus.

1547 Delphinus Delphinus Prætor, & Matthæus Dandulus Præfectus civitatis ab ingressu Gymnasii ad sinistram scalam, & scholarum partem conficiendam curarunt.

Rector Legistarum Stephanus Ferraresse Tolosanus Gallus.

In annalibus verò Germanorum perhibetur Stephanus Poterius Gallus I.C. Rector.

Hic autem impetrata licentia à Senatu Veneto quum esset profecturus in Galliam à patre accitus, id postulante Serenissimi Regis Galliarum oratore, Vniversitas in eius locum elegit D. Ioannem Kolnpoch Germanum virum magnificum. Inter quem, & Rectorem Artistarum nata est controversia de præcedentia. Hac causa Venetiis diligenter hinc inde discussa decreverunt die 6 Novembris, Vice-Rectorem accepto solemniter caputio haberi tanquam Rectorem ordinarium, & præcedere alterum.

Die

Die 3 Novembris Senatus literæ Bernardo Navagerio, & Ioanne Capello Capitaneo Paduæ de priuilegiis, & immunitatibus studiosorum inviolabiliter à Datiariis observandis.

1548 Bernardus Navagerius Potestas, & Aloysius Donatus Præfectus.

Rector Iuristarum Iacobus Sulphus Pedemontanus.

Hoc anno Bohema Natio Germanicæ jungitur.

1549 Hieronymus Capellus Præfectus Vrbis.

Rector Iuristarum D. Federicus Dino à Luimingon Germanus edidit sequenti anno Statutorum Volumen cum edictis Serenissimi Senatus Veneti suis locis dispositis. In limine operis legitur epistola nuncupatoria D. Tiberii Deciani Criminalium Professoris ad Cl. Viros D. Sebastianum Foscarenum, Marcum Antonium Venerium, & Nicolaum à Ponte rei literariæ Moderatores. Bidellus Generalis hoc tempore Hieronymus de Gibertis civis Patavinus.

1550 Hermolaus Barbarus Potestas, & Philippus Tronus Præfectus.

Rector Iuristarum Paulus de Michaelibus Vicentinus statutis rubricas addidit, aliaque decrevit. Rector Artistarum Iulius de Valle Vicentinus.

Nicolaus Pontius Doctor, & Eques, ac Moderator Gymnasii interiorem jam partem inchoatam Lycei perficere curavit impensis ex ærario Gymnasii depromtis.

1551 Stephanus Theupolus Potestas, & Franciscus Contarenus Præfectus.

Rector Iuristarum Bernardinus Zucca Flandrensis. Rector Artistarum Barocius Cretensis, sub quo orta est sententia in statutis de Vino Venetiis Patavium à studiosis introducto non solvendum esse vectigal.

1552 M. Antonius Venerius Doctor, & Eques Prætor, & Franciscus Contarenus Præfectus partem anteriorem Gymnasii ædificandam curarunt.

Re-

Rector Iuristarum Io. Maria Labellus Forojuliensis. Rector Artistarum Vicentius de Michaelis patricius Romanus.

Quarto Idus Februarii obiit Lazarus Bonamicus celeberrimus eloquentiæ professor, funebri oratione laudatus à Hieronymo Nigro Canonico Patavino in æde D. Antonii: ubi ad tempus tumulatus, postea solemni pompa in sepulcro magnificè extructo cum statua ænea in ædem D. Io. in Viridario translatus.

1553 M. Antonius Grimanus Potestas: Aloysius Superantius Præfectus, cui successit Melchior Michael.

Rector Iuristarum Ludovicus Langaver Augustanus. Rector Artistarum Pasinus Belgratus Vtinensis.

Matthias Haceus Danus Mathematicus, & Astrologus insignis Patavii obiit.

1554 Stephanus Trivisanus Potestas, & Vicentius Diedus Præfectus.

Rector Iuristarum Bartholomæus de Griffis Salodiensis.

15 Novembris Ericus Dux Brusvicensis Patavium venit Venetias profecturus.

1555 Petrus Maurocenus Potestas.

Rector Legistarum Georgius Canzer Norimbergensis, & Rector Artistarum Scipio de Ponte Neapolitanus electus est sine suffragiis Germanorum, controversia super hoc exorta, quæ peste Patauinam Vrbem vastante aliquantum sedata est.

Die 10 Decembris Magnificus Rector Scipio de Ponte à parte Vicentinorum electus magna ignominia, & insalutato hospite, creditoribusque aufugit. Petentibus Germanis, ad novam electionem progrediendum jubent literæ Venetiis datæ. Sed tandem mense Aprili 1556 ad excipiendum Serenissimæ Reginæ Poloniæ in novum Rectorem electus fuit D. Marcus Antonius Rochius Pedemontanus. De hac peste scripsere D. Bassianus Landus, & Franciscus Frizimeliga Medici Primarii.

Georgius Chauler Noribergensis Rector à Laurentio Priolo Duce Equestri dignitate cohonestatus.

1556 Bernardus Georgius Potestas, & Andreas Barbaricus Præfectus.

Rector Legistarum Bernardinus Formagierius Rhodiginus: Artistarum Marcus Antonius Racchio Taurinensis.

Die 3 Augusti magno studiosorum applausu Rector Germanorum Artistarum electus est D. Pancratius Helbach Erfendiensis. Caputium sumpsit in templo Cathedrali, & orationem habuit disertus vir D. Christophorus Heriberger. Complectebatur ea oratione magna pars historiæ Turingiæ, & de familia Comitum à Svuartzburg.

1557 Aloysius Gritius Vrbis Præfectus.

Rector Iuristarum Turrin Germanus. Rector Artistarum Pancratius Helbres Erdfandaert, qui magno splendore, & prudentia Magistratum gessit.

Bartholi lectio concessa Vito Ortel Vinshemio.

1558 Rector Iuristarum Ioan. Baptista Florius Vtinensis, & Artistarum Vice-Rector Samson Brigotus de Atria, nemine Rectoratum affectante.

1559 Nicolaus Pontius Prætor Vrbis Patavinæ, & Iustinianus Contarenus Præfectus partem Gymnasii post eriorem perfecerunt.

Rector Legistarum Georgius Pulphus Vngarus. Rector Artistarum Georgius Bergomo Vicentinus.

Hoc anno ob adversam Fallopii valetudinem Anatomes inspectione studiosi sunt privati.

Fridericus Comes Mansfeldiæ Patavii diem obiit.

1560 Bernardus Nauagerius Prætor, & Hieronymus Leggius Præfectus.

Rector Iuristarum confirmatur 15 Augusti D. Hector Tirabuscus.

Hoc anno deficiente studiosorum concursu, paulatim increbuit paucorum insolentia, variique propter electiones

Do-

Doctorum tumultus exorti. Senatus igitur Venetus prorsus ademit facultatem eligendi Doctores studiosis concessam, omnisque ad Senatum translata, jure tantum Tertiorum locorum Patavinis reservato.

Simeon Schardius Saxo I.V.D. feuda legit cum dignitate, in cuius locum nominatus est Michael Reder Hamburgensis.

1561 Aloysius Mocenicus Potestas.

Rector Legistarum Petrus Macioleno. Rector Artistarum Ioannes Campanulli Neapolitanus magni Vir animi, qui etiam inconsulta Vniversitate Venetias adiit pro repetenda lecturarum electione; sed frustra. Rumores interea scholarium Patavii crevere: sedilia è scholis ejecta, acroases impeditæ: nec defuere qui se studium deserturos palam profiterentur. Sæpe ad ædem D. Antonii more militum, ense nudo hastæ imposito, se sacramento obstrinxere certa die conjunctim Vrbe excessuros. Quæ omnia tandem prudentia Illustrissimorum Vrbis Rectorum, & Professorum exhortationibus sedata. Nimirum id factum fuisse à Senatu Veneto pro conservatione pacis, & sedandis eorundem scholarium contentionibus.

Sub initium studii suborta fuit controversia maxima inter Franciscum Robertellum, & Carolum Sigonium, uter ipsorum potiori frueretur loco, cumque bis à Reformatoribus efflagitatum esset, ut ipsi suam interponerent auctoritatem, responsum tulere. Vna omnium hora eandem materiam traderent; par quoque inter illos esset dignitas. De loco adhuc restabat disceptatio. Hic namque suo auditorio, seu schola discedere nolebat, ut prior tempore: ille verò tanquam senior, & doctior, quique & prius in eodem loco legisset, idem sibi arrogabat. Vnde plurimis lectionibus publicis intermissis, quilibet privatis in ædibus legit. Tandem persuadentibus Iurisconsultis, qui scholam sibi dicatam Sigonio offerebant factum est, ut loco cederet, parem ta-

men dignitatem cum Robertello servaret.

Data est lectura Practicæ Extraordinariæ Hieronymo Nigro, & Moderatores decernunt statuta Vniversitatis reformanda.

1562 Martinus de Caballis Potestas.

Rector Legistarum confirmatus est Petrus Macioleuus à Senatu Veneto, attestatione DD. Doctorum Gymnasii M. Mantuæ, & Tornielli de optimo eius regimine.

Die 2 Augusti Simeon de Simeonibus Lucensis, in substitutum electus est, rejecto maximo cum strepitu Iacobo Cicuta, qui in Rectorem à Rectore propositus fuerat, ob vitæ impuritatem, & turpissima commissa flagitia, quæ in præsentia Vrbis Præfecti obiecta fuere.

Sub Rectoratu Macioleni Bergomensis orta est dissensio non levis inter scholares, & cives Patavinos, qui personati certis carminibus ridebant Bergomenses.

1563 Bernardus Venerius Potestas, & Nicolaus Gritti Præfectus.

Rector Legistarum Claudius Morandinus, & Artistarum Ioannes Zarius Samoschius, poste a Regni Poloniæ Magnus Cancellarius.

Die 23 Ianuarii offensus quidam Germanus à Polonis; unde rixæ non leves; quæ omnes sedatæ sunt auctoritate Bonifacii Rogerii I.C.

Hoc anno Gymnasium Patavinum plurimum à sua celebritate in facultate Medica recessit ob amissos tres Cl. Medicinæ Professores, nempe Gabrielem Fallopium Chirurgię, & Simplicium Professorem, Bassianum Landum Placentinum Theoricæ Medicinæ in primo loco docentem, haud procul ab ædibus suis à sicariis lethaliter vulneratum, pauloque post mortuum, itemque Antonium Fracanzianum practicam ordinariam collega Cl. Victorio Trincavella docentem, qui honorarii accessione à Reformatoribus negata Bononiam concessit.

Ex

Ex pecunia primæ Nivis Scholastici comœdiam Bacchanalibus in Palatio Prætoris instruxerunt.

1564 Potestas Ioannes Baptista Contarenus; & Hieronymus Supecantius Præfectus.

Rector Legistarum Petrus Pinettus de Manfredonia, & V. Rector Artistarum Donatus Antonius Siculus.

1565 Iacobus Caucus Archiepiscopus Corcyrensis Collegium Patriciis Venetis studiosis instituit.

Die 4 Martii promulgata est Bulla S. Pontificis Pii IV, qua cautum est, ne quis amplius in Italia, vel extra Italiam in Theologia, Medicina, aut Iurisprudentia promoveatur, nisi in omnes articulos Fidei Catholicæ juret. Cumque ob id Germani ab hoc Gymnasio discessuri essent, Rector Gymnasii die 20 Martii scripsit de hoc negotio. Cui nihil responsum est. Sed accedentibus Germanis Venetias aliis de causis apud Marinum de Caballis Reformatorem de hac re conquesti sunt, qui promisit intra tres menses ratione Nationis Germanicæ ipsius Bullæ vim iri mitigatum.

Die 3 Augusti electus est Artistarum Rector Bernardinus Calinus. Rector Legistarum D. Balthassar Friderici.

Rector Artistarum tunc absens post paucos dies rediit, & 29 Aug. solemni pompa in Cathedrali æde Magistratum iniit.

Hoc anno Germanorum Natio Artistarum sepulcrum in æde S. Sophiæ annuente Bonifacio Bonfilio ædis præposito condidit loco gratis concesso: quorum cadavera in hortis Patrum Iesuatorum ante id tempus fuere condita.

1566 Hieronymus Cicogna Prætor, & Laurentius Mula Præfectus.

Rector Legistarum Ioannes à Boberen Alemanus. Rector Artistarum Andreas Gostiat Polonus.

Die 18 Decemb. Hieronymus ab Aquapendente chirurgiæ professor Anatomiam auspicatus est, quam summo scholasticorum applausu die 5 Ianuarii 1567 absolvit.

1567

1567 Die 27 Ianuarii Antonius Fracanzianus Medicinæ professor præmatura morte fatis concessit.

Die 18 Martii Franciscus Robertellus humanarum literarum professor phrenitide correptus vita functus studiosorum symbolis sepelitur solemni pompa in Xysto D. Antonii, Oratione laudatus. Male igitur scripsit Riccobonus, anno 1563 eum obiisse. Monumentum cum statua à Natione Germanica erectum. Inscriptio ejus extat p. 273. à nobis Pat. edito. Rector Artistarum D. Albertus Cimerlinus Veronensis.

1568 Ioannes Mocenigus Potestas, & Marcus Grimani Præfectus.

Rector Legistarum Ioannes Dominicus Moldo Vicentinus.

Controversia incepta à Rectore Alberto Cimerlino circa Iurisdictionem Rectoris, & quibus Rector debeat baculos & chirothecas dare cum Collegio Artistarum, decisa est hoc anno die 28 Novembris in favorem Vniversitatis, ut in Statutis est.

1569 Iacobus Superantius Potestas, & Franciscus Bernardus Præfectus.

Rector Legistarum D. Philippus Mainardus Cadorinus, & Rector Artistarum D. Aloysius Sclopo Veronensis Iuris Vtriusque Doctor, & Eques.

1570 Io. Franciscus Donatus Potestas, & Franciscus Bernardus Præfectus.

Pridie Cal. Iunii Venetiis obiit Aloysius Pisanus Cardinalis, & Episcopus Patavinus, in cuius locum electus est Nicolaus Ormanetus Veronensis literis, & moribus clarissimus.

Rector Legistarum D. Ioannes Claudius Cretensis, & Rector Artistarum D. Carolus de Hortis Veronensis.

Die 3 Augusti Guidus Pancirolus primarius Iuris interpres arbiter electus in causa de Nationum præcedentia, qui decrevit esse servandum Statutum 1 Lib. Mag. Dominorum

Ar-

Artistarum, ut quælibet Natio eo procedat ordine, ac sequatur, quo ibi descriptæ reperiuntur.

Studium hoc anno non parum luminis accepit ex adventu doctissimi Viri D. Hieronymi Mercurialis, qui ad lecturam practicæ ordinariam in locum Fracanziani, defuncti Roma advocatus, stipendioque conductus Flor. 600.

Hoc eodem anno magna controversia cum Germanorum Natione ob incarcerationem Balthassaris Veiducheri præceptoris filiorum D. Baronis Gasparis à Herbenstein ab Episcopo factam.

Aquapendens ipsomet anno Anatomen fructuosam habuit, qua absoluta Rectoris, & Consiliariorum præsentia corporibus dissectis, & ossibus honorificum funus peractum est.

Privatam, & exquisitam anatomen in gratiam tum nobilis cuiusdam Veneti, tum Germaniæ Nationis propriis in ædibus instituit Medicus Nicolaus Bucella, quam tamen invidorum quorumdam conatus, impetrato Prætoris edicto, prohibuit, donec publica perageretur.

Germani Reformatores Gymnasii rogant, ne doctissimum Nicolaum Curtium Medicinæ practicæ extraordinariæ professorem discedere patiantur, à Duce Vrbinate vocatum.

1571 Patavii Præsides Io. Aimus Prætor, Petrus Fuscarus Præfectus.

Rector Legistarum Ioannes Claudius Cretensis, & Artistarum electus die 2. Aug. Faustus Durastantius Picenus P. Rector substitutus.

Hoc anno die 7. Octobris insignis Venetorum cum aliis Principibus victoria navalis contra Turcas; quæ solemniter in Gymnasio est celebrata ab Vniversitatibus Studiosorum.

Nicolaus Bucella in gratiam Germanorum Anatomen instituit sub Natalia festa.

Controversia inter scholares pro Bidelli Generalis electione.

1572

1572 Præsides Civitatis iidem, qui supra.

Rector Legistarum Bartholomæus Botia Cretensis. Durastantius Rector Artistarum.

Funus Pii V solemniter jussu Episcopi publicè peractum.

Antonius Riccobonus professor publicus in æde Cathedrali de Pontificis laudibus Orationem luculentissimam habuit.

Perfecta fuit Turris Gymnasii cum horologio.

Anatomen iterum privatam fecit Bucella post Aquapendentem.

Antonius Cardinalis Amulius Collegium Patriciis Venetis instituit in Prato Vallis, sumptuoso erecto palatio.

1573 Gaspar Rhenerius Prætor, & Victor Bragadenus Præfectus.

Pro-Rector Legistarum Pompeius Brigida Cyprius, & Artistarum Pro-Rector Benedictus Flanginus Cyprius.

Hoc anno florere cœpit Academia ex Doctoribus, & studiosis juvenibus Gymnasii Patavini in ædibus Ascanii Martinengi Brixiensis Abbatis per tres annos, dum is Patavii moraretur, mirificè culta. Cuius insigne erat Aries Velleris aurei cum Phrixo in mari animo se se servante, & Helle in pontum cadente, hoc titulo: FACILIS IACTVRA.

Andreas Talentus Bidellus confirmatus ab Innocentio Bibliopola, id munus ambiente interficitur Bacchanalibus diebus. Quo etiam tempore de pecunia primæ Nivis scholares in palatio Præfecti comœdiam recitant, theatro constituto expensis omnium Nationum collatis.

Simultates inter Germanos, & Gallos sedatæ in ædibus D. Obicii Patricii, vnaque rixæ cum Vicentinis, & Germanis tolluntur.

1574 Iacobus Fuscarenus Doctor Prætor, & Franciscus Duodus Præfectus.

Rector Legistarum Ioseph Spinellus Castrofranciensis, & Artistarum Constantinus Palæocapa Eques.

Die

Die 24 Aprilis confirmatio exemptionum studiosorum, ac Professorum, etiam Patavinorum de non solvendis vectigalibus rerum ad victum, & vestitum pertinentium, quæ in statuto reperitur.

1575 Iidem Civitatis Præsides.

Obiit Rector Palæocapa 11 Cal. Ianuarii sanguinis è naribus fluxu sublatus, & solemniter sepelitur habita oratione à Riccobono in templo D. Antonii Confessoris, quæ typis legitur in Com.de Gymn. Pat. lib. 5. In eius locum suffectus est V. Rectoris titulo D. Santiflorius Mundella Brixiensis xv Cal. Februarii.

Septimo Cal. Aprilis ultra centum scholares Itali erectis vexillis Vrbem egrediuntur Ferrariam profecturos se vociferantes, ubi liberius, & rectius privilegiis suis scholasticis gauderent. Tunc Rector Iuristarum Magistratus nomine amicis verbis eos revocat.

4 Die Aug. Legistarum Rector Bernardinus Nigrinus Lantianensis, & Iacobus Palæocapa Cretensis Artistarum Rector.

1576 Paschalis Ciconia Potestas, qui postea Dux Venetorum fuit. Aloysius Georgius Præfectus.

Legistarum Rector idem Bernardinus Nigrinus, & Stephanus Cereolus Coloniensis Rector Artistarum, qui nocte à lictoribus deprehensus est, mox liberatus à Prætore.

Hoc anno Vrbem pestilentia acerrimè vexat, quæ per totam Lombardiam pervagata. Nec reticendum, quod 5. Idus Iunii Hieronymus Mercurialis, & Capivacceus Medici Primarii Venetias à Serenissimo Dominio Veneto vocati, applausu recepti sunt. Verum fortuna, ob vim pestis grassantis, præsentaneæ expectationi, quam de iis tota civitas conceperat, non penitus respondente, parum abfuit, quin ignominiosè ad extremum reiicerentur: Redierunt Patavium.

Quarto Iulii Archiepiscopus, & elector Coloniensis Pa-

tavium accedens Nationis Germanicæ I. C. matriculæ inseritur.

Sexto Iulii Pro-Rector Artistarum electus est D. Nicolaus de Cavallis Veronensis. At verò ita pestis Venetiis in hanc Vrbem traducta crevit, ut à V. Rectore permissum sit Consiliariis ad patrias redire sedes. Ita repente studiosi omnes Gymnasium reliquerunt: Germani constantiores ultimo loco adeunt rura vicina, & palatia conducunt, præsertim cum initio Augusti pestis atrocior fieret: ubique in Vrbe funera, cadavera, lamentationes, exustio rerum, sequestrationes Quadragenæ; Infecti ab omnibus diserti fame potius, & rerum inopia, quam contagii vi peribant. Sub initio Decembris pestis declinare visa est. Publica fama fuit in Vrbe Veneta durante contagio ad 12 Myriadas hominum desideratas fuisse. Patauii verò non ultra quatuordecim millia.

Patavii ex Professoribus interiere, Bernardinus Tomitanus, Stephanellus practicæ professor Extraordinarius, D. Bradiolus Medicus, D. Petrus Catena Mathematicus, Bidellus Generalis, & alii plures.

Mercurialis huius pestis historiam, & causas, curationemque copiosè scripsit.

Professores per annum, & amplius à publico munere cessarunt: liberalitate tamen Reipublicæ Venetæ consueta stipendia promptissimè iis concessa.

Ingens Cometa in sexto gradu Capricorni apparuit. De cuius apparitionis tempore licet disceptantes fuerint Astronomorum sententiæ: tamen maior pars in eo convenit Pridie Id. Novembris fuisse conspectum, & in fine Ianuarii disparuisse: cauda eius longissima in plagam cæli occidentalem porrecta colore pallido, & sublivido.

1577 Iidem Civitatis Rectores.

Ab Ecclesia Bergomensi ad Patavinam translatus est Episcopus Federicus Cornelius, qui Concilii Tridentini decreta vulgavit.

Post

Post IV Nonas Ianuarii Senatus jussu Professores legere cœperunt, sed sine societate: atque inter eos Mercurialis, & Capivacceus; hic quidem mane Tract. de pestilentia, ille verò à prandio morbos supremi ventris explicarunt. Anatome hac hieme intermissa.

A Reformatoribus sancitum est, ut unus tantum, & senior practicæ professor legeret, altero quiescente. Quamobrem lectione à Mercuriali finita Cl. Paternus hora matutina solus ægrotantium aliquot historias ex Hip. Epidemiis enarravit. Capivacceus post prandium methodum morbos curandi universalem. D.Mercurialis in quorumdam gratiam pauca quædam extra ordinem docebat; quod etiam Anatomicus fecit.

Maii Cal. Vniversitas de Consiliariis creandis cogitat absente Vice Rectore: sapiens eam congregavit, & ad dimissionem Vice Rectoris Nicolai de Caballis deveniunt, in cuius locum suffectus est Rector D. Antonius Buccharinus Cremonensis Comes, & Eques. Interim Verona rediens Nicolaus de Caballis Venetiis litem movit. Sed Aloysii Georgii Præfecti Patavini autoritate à Reformatoribus dimissus est. Interea novus Rector solemni pompa Caputium sumit.

Dux Venetus Aloysius Mocenicus moritur mense Iunio, cui subrogatur Sebastianus Venerius vir bellica laude clarissimus, cuius gratulationi Oratores electi sunt pro I.C. Vniversitate Galeacius Bigolinus, pro Artistis Antonius Riccobonus.

27 Iulii Vrbs Veneta integrè ab omni contagii suspicione expiata est magno apparatu, & spectaculis publicis.

Quarto nonas Augusti Antonio Buccharino Cremonensi, qui trimestri spacio vix fungebatur Rectoris officio, à Vicentinis accepto, ut in sequentem annum confirmaretur, omnia moliebatur; & Cretensium factione successorem habuit Stephanum Cereolum ex Colonia oriundum.

Cal. Septembris Rector Caputium solemniter sumpsit in æde D. Antonii, & id in gratiam Cardinalis Principis Vrbini, qui valetudinis recuperandæ causa huc diverterat.

Mense Novembri die 12 solemni pompa celebrata est translatio B. Virginis de porticu prope aulam Præfecti ad ædem Carmelitarum voto facto ab Vrbis Proceribus pro liberatione civitatis à contagio.

Hoc anno Professores, cum ferè nullos Germanorum titulum in facultate Medica assumere viderent, idque ob jusjurandum Fidei, ut huius Nationis Viros sibi magis devincirent, sive suo lucro prospicerent, cum Rectore Vniversitatis conveniunt, & re communicata cum Vrbis Rectoribus, ac Duce ipso, & Reformatoribus, responsum est, penes Pontificem, non penes Principem, aut Reformatores esse juramenti abrogationem.

Collegium ad pontem molendinarum Thomas Philologus Medicus studiosis instituit.

1578 Hieronymus Priolus Prætor, Vidus Maurocenus Præfectus.

Rector Legistarum Petrus Polydorus Picenus, & Artistarum idem Stephanus Cereolus.

Cal. Martii Venerius Dux Venetus obiit, cui successit Nicolaus de Pōte Legum Doctor. Vniversitates Oratores pro congratulatione eligunt: Pro Iurisiis Galeatium Bigolinum: pro Medicis, & Philosophis Herculem Saxoniam, & Antonium Riccobonum.

5 Maii literę Senatus, de privilegiis, & immunitatibus omnibus Doctoribus legentibus concessis, observandis allatæ.

23 Iulii in gratiam Germanorum instituta est à Senatu Veneto Lectura Pandectarum.

5 Septemb. Rectores civitatis pronuntiarunt, mulctas studiosis irrogatas Vniversitati applicandas.

Hoc anno ad Germanorum utilitatem lectio in Xenodochio S. Francisci instituta fuit, & Albertinus Bottonus Viros

in-

infirmos, Marcus Oddus feminas visitabat, & super earumdem morbos disserebat; sed, cum in fine Octobris cœli constitutio frigidior esset, ac mulieres infirmæ morerentur, Professores cadavera aperiunt, & loca affecta auditoribus demonstrant. Æmilius Campolongus autem ipsorum æmulus suas in ædes quum eadem die uteros harum mulierum deportari curasset, factum est, ut querelis anicularum ad Præfectos loci delatis interdictum sit professoribus, ne ullum cadaver in posterum aperiretur.

Sub huius anni finem pro constructione ædis, & cœnobii Capucinorum à Professoribus publicis, itemque à Collegiis, & Nationibus, & similiter in scholis symbolæ sunt collatæ.

1579 Aloysius Iustinianus Rector, & Franciscus Cornelius Præfectus.

Initio Augusti Legistarum Rector idem Petrus Polydorus, & Artistarum Rector Dominicus Slatarichius Ragusinus Eques, juvenis eruditione præstans, qui 13 Septemb. in Cathedrali pro veteri consuetudine Caputium sumpsit.

11 Aug. allata iniuria Germano à quodam Gallo tota civitas cum Rectoribus turbata est, dum iis, se provocantibus in duellum, studiosi hinc inde armati accurrunt. Tandem sopita est, & Germanis satisfactum.

Senatus decreto tredecim lecturæ dimissæ sunt, nempe duæ explicationes Iuris Pontificii, duæ Iuris Civilis, vna Feudorum, duæ tex. Glosæ, & Bartholi, vna Institutionum, duæ Medicinæ extraordinariæ, duæ Tertii Auicennæ, vna Philosophiæ extraordinariæ.

Item die 17 Decembris decretum fuit, ut in studiosorum commodum Professores Gymnasii disputationes circulares, ut vocant, de more haberent.

1580 Civitatis Rectores Aloysius Grimanus, & Daniel Priolus.

2 Ianuarii Mediolanensis quidam sine licentia gladiis accinctus in diversorio Campanæ lictorum alterum, & ipsorum

Præ-

Præfectum graviter vulneravit. Tumultus hinc maximus inter lictores, & scholares Mediolanenses, qui ad D. Antonii templum confugere. Eisdem Vrbis Rectores irati crucis pœnam minantur. Mediolanenses Vniversitate convocata armata manu Vrbe excedunt, quos jussu Rectorum lictores, & Rustici persequuntur, in oppido Montisilicis remorantur, & Patavium captivos perducunt, factaque inquisitione Petrus Raimūdus ex oppido S. Martini agri Mantuani ob vetita arma capite damnatur, & die 9 Ianuar. etiam post maximas Vniversitatis pro illo preces, securi percussus est in foro acerbo omnium mœrore. Octo alii scholares carceribus addicti, & post sex menses proscripti sunt: duo, qui rapti fuerunt è templo, Ecclesiæ restituuntur, & unus tantum absolvitur. Sic maxima scholarium libertas repressa fuit, ne qualibet de causa tympanis, & vexillis in Ferrariense, aut Bononiense Gymnasium se se profecturos minarentur.

28 Februarii Episcopus Germanorum Consiliariis de quibusdam conqueritur. Natio primo Aprilis Venetias obiit, & supplices libellos Serenissimo Duci porrigit; qui eos tuto vivere, & sine scandalo veteri libertate frui, literis ad Vrbis Rectores datis, Patavium reversi & res suas optimè constitutas esse existimantes, Rectores humiliter hac in re sciscitantur. Rectores, literas accepisse respondent, Episcopo tamen imperare non posse. Quo turbata Natio Germanica demum adit Serenissimum Ducem, & Ioanne Michaele Gymnasii Reformatore adiuvante causam in Collegio tractant, ac obnixè rogant, ut Episcopi propositum leniret. Eisdem tamen à Duce responsum est, seipsum Episcopo, tanquam Ecclesiastico Magistratui, subiectum esse, nihilominus literas commendatitias Vrbis Rectoribus scripsit, qui Episcopum accederent, eumque rogarent, ut paululum Germanis conniveret. Ceterum eos omnes, & singulos hortatur modestiorem vitam instituere, & neminem offendere rogat. Quamobrem Germani moderatius viuere sanxiverunt.

Re-

Rector Legistarum Aloysius Ancaranus, & Flaminius Franceschinus à Fossembruno Vice-Rector eligitur die 2. Augusti.

Die 4 Augusti in cœnobio D. Antonii Vniversitas Artistarum convocata nouo Vice-Rectori, & Consiliariis jus tribuit. Item, ut stemmata præcessorum depingerentur in scholis ære publico, decrevit, & Vice-Rector tesseram scholarium, quibus ferre arma liceret, Vrbis Rectoribus signandam de more dat.

11 Aug. Vice-Rector in patriam profecturus Io. Baptistam de Brusatis Cremonensem substitutum eligit.

23 Octob. Orationem præliminarem Frater Augustinus de Padua Ordinis Carmelitarum pro Artistis habuit, pro qua honorificè perfuncta supplicavit eiusdem Reuerendis Superioribus, ut Doctoratus licentiam ei tribuant.

9 Novembris Tres studiosi electi fuerunt, ut cum Bidello Generali ab Illustrissimis Vrbis Præsidibus, & Gymnasii Professoribus primæ Nivis symbolam de more exigerent.

Obitus Ioannis Cefalis Primarii Iuris Civilis interpretis Gymnasium valde affecit, in cuius funere oravit Antonius Riccobonus.

1581 Aloysius Grimanus Prætor, & Daniel Priolus Præfectus.

Rector Iuristarum Iulius ab Aqua Vicentinus, & Artistarum Flaminius 2 die Aug. confirmatur; attamen in statutis Vice-Rector legitur.

Initio Ianuarii controversia exorta cum Aquapendente de Anatome, & Massariis eligendis.

Francisco Falzapato pictori substituitur ab Vniversitate Darius de Varotariis cum annuo honorario Flor. 25, quos in Camera Fiscali Vniversitas unoquoque anno exigit pro symbola Hebræorum in Carnisprivio.

Statutum est hoc anno, omnes priuilegiis scholasticis gaudentes Vinum emere non solum posse in cellis vinariis, ve-

rum

rum etiam in foro communi absque ullo vectigali.

1582 Marcus Cornelius Prætor, & Laurentius Bragadenus Præfectus.

Cal. Ianuarii Reformatores obstringunt Aquapendentem ad Anatomen annuam; sin autem se ab hoc munere excuset, tunc Vniversitati liberum fore suis impensis Anatomicum eligere.

19 Die privata Anatome in Collegio Vicentinorum ad D. Catharinæ ædem habita est.

Vulgata est emendatio Calendarii à Gregorio XIII Sum. Pontif. in cuius gratiam Ioseph Moletius publicus Mathematicus, Senatus Veneti mandato Gregorianas tabulas anni 1580 edidit.

v. Idus Feb. obiit Tiberius Decianus Primarius Iuris interpres ab Antonio Riccobono in funere laudatus.

Rector Iuristarum Renatus Iulianus Bertiniolus Gallus, Rector Artistarum Petrus Antonius Roncatus Veronensis; qui 6 Septemb. solemniter Caputium accepit à Hieronymo Mercuriali in Cathedrali Ecclesia.

Exactores vectigalium Veronensium bona professorum Bottoni, & Paterni, quæ ad ipsorum commodum Patavium transvehebantur, auexere. Verum Gymnasii Reformatores eiusdem Vrbis Præsidibus dant literas restitutionis absque ulla æris pensione.

Artistarum Vniversitas Oratores elegit pro lectura Herculi Saxoniæ impetranda, cui etiam Germani faverunt. Theupolum autem Gymnasii Moderatorem imperasse ferunt, Saxonia legeret. At Bottonus mandato Vrbis Præsidum legere interdixit, tanquam à Magistratu non substituto. Germani Bottonum rogant, ne obstet, sed frustra, privatim tantum legere permisit.

1583 Natalis Donatus Prætor, & Andreas Foscarenus Præfectus.

21 Maii Roncatus Artistarum Rector Philosoph. & Me-

di-

dicinæ Lauream à Bernardino Paterno accepit. Cui postea Ducati 30 numerantur, ut Equitis dignitatem sustineret, quam 21 Iulii à Serenissimo Duce accepit.

Cal. Iulii Bernardus Bruntalxki Baro à Pancirolo Iuris insignia accipit post suum Hierosolymis reditum.

4 Augusti Rector Legistarum Thomas à Scharustem, Germanus, & Artistarum Rector Io. Nicolaus Andronicus Tragurinus Philos. Doct. qui interpretatus est publicè Meteora Aristotelis renovando vetus institutum lecturę Rectorum Vniversitatis.

Mense Novemb. circa initium prælectionum Senatus Veneti mandato Excell. D. Laurentius Massa Serenissimi Dominii, & Gymnasii Moderatorum Secretarius ad novam Scholæ reformationem instituendam selegitur. Qui voluit singulis hebdomadibus circulares disputationes in Scholis fieri: petiit etiam corporum tam humanorum, quàm brutorum declarationes publicas quotannis ab Ordinario Anatomico studiosis exhiberi, iisque sanè commodius, & sine impedimento exercendis Theatrum publicum in suprema Lycei contignatione sumptibus publicis extrui curavit.

Tandem postulavit, aliquid ante Anatomicas administrationes prælegi ad juventutem exercendam: quò paratior ad easdem accedere posset.

Decretum de circularibus disputationibus publicatum est, & Scholis affixum hac sententia.

Primo loco disputabunt Magistri Theologi invicem, & successiuè, qui habent collegas.

Secundo loco Magister Scripturas exponens, qui solus proponet, & si quis oppugnare voluerit, ei facultas à Rectore impertietur, ut arguat, cui respondere tenetur. Sin minus, solus Magister ea, quæ proposuit, solvat.

Tertio loco Metaphysices.

Quarto loco Theoricæ Ordinarii Medicinæ.

Quinto loco Practicæ Ordinarii.

Sexto loco	Philosophiæ Ordinarii.
Septimo loco	Theoricæ Extraordinarii.
Octauo loco	Practicæ Extraordinarii.
Nono loco	Philosophi Extraordinarii.
Decimo loco	Chirurgus Anatomicus solus proponat, vt supra.
Vndecimo loco	Logici.
Duodecimo, & vltimo loco	Astronomus solus proponat, & exponat, vt supra.

Die 23 Novembris Quæstiones sub vesperam exordiuntur. Rector à Theologiæ professore pœnam exigit, quod generalem de Incarnatione tractatum, sine quæstionibus proposuisset. Reformatores tamen hoc fieri literis prohibent.

Pro tuendo studioso in causa criminali coram Excell. Consilio X. Virorum, scholaris quilibet in solidos xx taxatur.

Controversia exoritur inter Carolum Sigonium, & Antonium Riccobonum, quum Sigonius libellum de consolatione sub nomine Ciceronis vulgasset.

In rotulo Artistarum hæc verba addita sunt Moderatorum Gymnasii decreto.

Ad Lecturam Simplicium locus vacat.

Sed Excell. D. Melchior Guilandinus, ut sui moris est docebit in horto medicinali suo tempore. Quo factum est ob controversiam cum studiosis exortam, qui in publicis Scholis Lecturam exoptabant.

1584 Andreas Bernardus Prætor, & Laurentius Donatus Præfectus.

Die 8 Martii electus est Antonius Riccobonus reformandis statutis, quæ reformata 21 Iunii Venetias ad Reformatores Gymnasii mittuntur.

Rector Legistarum idem Thomas Germanus, & Artistarum Rector eligitur Hercules Guarrinonus Rhætus Doctor,

qui

qui licentia in patriam abeundi impetrata, non amplius reversus est: substituitur ei D. Alphonsus Tanghetinus Brixiensis, qui Cal. Ianuarii 1585 quum renunciasset, Rectores Vrbis die 28 eiusdem declararunt Præsidem, & Vniversitatis gubernatorem D. Bernardinum Paternum Primarium Theoricæ Medicinæ Professorem, qui inter cætera petiit à Prætore Montissilicis cymbam restitui cum avena, & panico Indico pro equis Io. Baptistæ Guarini scholaris Ferrariensis.

Hieronymo Fabricio ab Aquapendente Chirurgiæ, ac Anatomes Professori in Collegio Philosophorum & Medicorum à Senatu Veneto locus primæ Cathedræ Medicinæ Theoricæ & Practicæ par adsignatur.

1585 Iidem Rectores Civitatis.

Rector Legistarum Andreas Auria Castrofranciensis, & Artistarum Pro-Rector Iacobus Savonianus ex Neapoli Romaniæ.

Legatio Vniversitatum novo Principi Veneto Paschali Ciconiæ gratulanda eligitur. Quo munere Marcus, & Nicolaus Trivisanus fratres, multa eloquentia utriusque nomine perfuncti sunt.

1586 Marcus Antonius Memus Prætor, Petrus Marcellus Præfectus.

Andreæ Bernardo Prætori Germana Natio I. C. monumentum erigit.

Circa initium Febr. Annibal Bimbiolus practicæ medicinæ extraordinariæ Professor in aula Episcopali vulneratus est à quodam Cive Patavino familiæ Trivisanæ; unde tota Vniversitas turbatur.

Rector Legistarum Io. Franciscus Lombardus Cretensis, & Artistarum Rector Iacobus Savonianus die secunda Aprilis confirmatur.

Discedenti Vrbis Præfecto Orationem habuit Ezernius Polacus, & novo accedenti Gaspar Zumella pro Artistis.

Decretum Senatus Veneti in favorem Vniversitatis de

præcessione D. Rectoris contra Serenissimæ Reipublicæ, ut vocant, Collateralem.

Hisce Præsidibus Civitatis pars dextera Gymnasii ædificatam.

Gratulatio utriusque Vniversitatis nomine à doctissimo Iuris Vtr. Doct. Galeatio Bigolino, typis edita est, & habita ad Federicum Cornelium, qui eligitur Cardinalis à Sixto V. Sum. Pontifice.

Manticæ in Romanæ Rotæ Auditorem summa Gymnasii lætitia electo subrogatur Ottonellus Discaltius Germanorum precibus apud Serenissimum Ducem Venetum.

Natalitiis feriis atrocissimum scelus patratum cæde Nobilissimæ Accoramboni, cuius funus Gymnasium lugit.

1587 Georgius Contarenus Prætor, & Marinus Grimanus Eques Præfectus.

Alexander Puteus Pedemontanus Pro-Rector Legistarum substitutus, & Artistarum Pro Rector Franciscus Magnus Veronensis 11 Augusti electus.

Decisa est controversia in favorem Rectoris Gymnasii contra Priorem Collegii Philosophorum, & Medicorum, & de præcedentia supra Quæstores Civitatis.

Controversia literaria nascitur inter Iasonem de Nores Philosophiæ moralis interpretem, & Io. Baptistam Guarinum Ferrariensem Equitem de Tragicomœdia Pastorali.

Ducales literæ ad Præsides Vincentiæ pro exemptione studiosorum contra Datiarios.

Mercurialis post 16 annos à Summo Pont. in Gymnasium Bononiense accitus Orationem habet de suo discessu.

In eius locum Massaria conductus magna Capivaccei indignatione, qui amplius legere nolebat, pro eo frustra Germanis deprecantibus Gymnasii Reformatores.

Abbas quidam Mediolanensis cum violenter Amasiam rapere audet, commota Civitate à lictoribus deprehensus est cum duobus satellitibus, qui statim patibulo destinati sunt.

Ab-

Abbas verò tamquam ſcholaris magnis precibus Vniverſitatis Veneta clementia morti eripitur.

Patavii hoc anno Laurentius Schraderus vixit de Monumentis Italiæ publicandis bene meritus.

1588 Iidem Vrbis Præſides.

Rector Legiſtarum Fabius Turius Tarviſinus, & Artiſtarum Rector Io. Paulus Vbaldinus Muglenſis Hiſtrianus, qui ex patria reverſus Caputium ſolemniter accepit, & anno ſequēti 23 Iulii à Sereniſſimo Duce Veneto Eques creatus eſt.

Decretum Senatus 30 Octob. de non erigendis inſignibus, & inſcriptionibus in ſcholis editum; addita poſtmodum ipſarum moderatione, ut in Statutis.

Obiit Spero Speronius Patavinus, Poetica, Rhetorica ſcribendi excellentia, familiæ nobilitate, & Principum conſuetudine clarus, qui nonis Iunii in Eccleſia Cathedrali laudatus eſt à Riccobono.

1589 Idem Georgius Contarenus Vrbis Prætor, & Pro-Præfectus.

Die 4 Martii circa h. 17, & 18 denatus eſt Cl. D. Hieronymus Capivacceus, qui tertia poſt obitum die ſummo mane abſque ulla pompa in æde Ieſuitarum conditus eſt. Germani pro Annibale Bimbiolo eius nepote ſufficiendo laborant, Artiſtarum Vniverſitas pro Marco Oddo.

Pro Anatome ſcholarium arma contra Syndicum capta; ſed ſtatim omnia compoſita. Quo tempore dum Aquapendens de linguæ muſculis differeret in theatro Germanorum pronunciationem carpere cœpit. Ii verò ſequenti die congregato conventu contra Aquapendentem multa decernunt, in primis ſe ipſius auditorio abdicant. Rector Legiſtarum Antonius Vlaſtus Cretenſis, & Artiſtarum Vincentius Lumatius Mantuanus die 2 Auguſti electus, qui 29 Octob. à Franciſco Piccolomineo Caputium aſſumpſit habita Oratione de eiuſdem laudibus à D. Hectore de Iuliis Veronenſe Iuris ſcholare. Rector 21 Aprilis 1590 Lauream Docto-

ratus

ratus obtinuit ab Annibale Bimbiolo, & die 25 eiusdem mensis Eques à Duce creatur.

Quod Rectorum, & Consiliariorum stemmata fierent ex lapide, hoc tempore decretum est.

Hoc anno Franciscus Gasparinus Patavinus suisf acultatibus locum pro Virginibus secularibus vulgo *Citelle* construxit, electis Procuratoribus ad hoc opus primariis Gymnasii Professoribus, nempe duobus primarii juris interpretibus, altero matutino, & altero vespertino, duobus pariter primariis Medicinæ Professoribus, quam curam præclarissimè subiere Angelus Mattheacius Eques, & Guidus Pancirolus summi Iurisconsulti: Horatius Augenius, & Alexander Massaria Medici primarii.

8 Cal. Ianuarii Melchior Guilandinus Boruscus vita functus est, & absque pompa in D. Antonii æde humatus. In Horto Simplicium ei suffectus est Aloysius Saracenus Vicentinus.

1590 Ioannes Superantius Eques Prætor, Fridericus Sanutus Præfectus.

Legistarum Rector Lancellotus Lancellotus Asculanus, & Artistarum Pro-Rector Augustinus Dominicus Fulginas die 2. Augusti electus.

Nonis Octob. Romæ defuncto Friderico Cornelio Cardinali Episcopo Patavino, in eius locum successit Aloysius Cornelius ex M. Antonio fratre ortus, coadiutor ab illo anno 1586 electus.

1591 Io. Baptista Vetturius Rector, & Fridericus Sanutus Præfectus.

14 Iulii terræmotus Italiam ferè totam concussit.

20 Eiusdem Roccius Brixiensis Philosophiç naturalis professor obiit, & 25 Marcus de Oddis febre maligna viuere desiit.

Penuria rerum Lombardia vexatur, & febribus malignis.

Legistarum Rector Petrus Alzanus Bergomensis, qui

pro-

proximè sequenti anno discessurus Patavio miserrimè à sicariis interfectus est sub noctem.

Artistarum Vice-Rector idem Augustinus Dominicus confirmatur.

Decessit è vita hoc anno Bonifacius Rugerius I. C. clarissimus Gymnasii, qui ex testamento suis impensis scholam publicam Grammaticæ & Aritmethicæ instituit magno pauperum in civitate commodo. Eius mors controversiam cum Angelo Mattheacio I.C. præripuit de præcedentia. Pro qua Apologia Mattheacii visa est typis, cum duobus libris de via, & ratione artificiosa Iuris Vniversi; quibus Rogerius responsionem paraverat.

Eodem anno controversia exorta est inter Nicolaum Colonium Bergomensem Philosophiæ naturalis interpretem, & Antonium Riccobonum circa epistolam Horatii ad Pisones, eanè methodo esset scripta; quod Riccobonus negabat.

Non minori ardore contenderunt inter se Alexander Massaria Medicus primarius, & Hercules Saxonia hac occasione. Dux Vrbini à Medicis Patavinis consilium petiit de quibusdam febribus Pisaurum, & reliquum regionis vexantibus. Ad id quinque præcipui, & Primarii Medici Gymnasii adhibiti sunt, videl. Alexander Massaria, Albertinus Bottonus, Hieronymus Fabricius ab Aquapendente Chirurgus, & Anatomicus, Æmilius Campolongus, & Hercules Saxonia. Inter se dissentientes in duobus remediis quum fuissent, nimirum in usu Theriacæ, & in usu Vesicantium, utrumque à Saxonia propositum: hoc duorum judicio receptum illud omnium suffragiis reprobatum fuerat. Saxonia, ut suam opinionem defenderet, disputationem de Vesicantium, & Theriacæ usu in febribus pestilentibus scripsit, in qua de natura pestis, & febrium pestilentium disseruit. Cui statim Massaria disputationem de abusu Vesicantium, & Theriacæ in febribus pestilentialibus evulgavit. Huic Saxonia anno sequenti editis libris tribus de Phœnigmis satisfecit. Quibus

ite-

iterum Massaria disputationem secundam Apologeticam rescripsit.

Altera dissensio literaria hoc anno fuit inter C. Iacobum Zabarellam, & Bernardinum Petrellam de rebus Logicis.

30 Novembris in aula Collegii in Episcopatu congregata tota Vniversitate cum Professoribus Gymnasii omnibus Rector habita eleganti oratione de Gymnasii nobilitate contra Patres Iesuitas, & ipsorum Academiam peroravit; postea in hoc negotio Oratores electi sunt Cæsar Cremoninus, Hercules Saxonia, Franciscus Piccolomineus. Eodem ordine etiam Iuristarum Vniversitas in hac re Oratores decernit.

1592 Idem Veturius Vrbis Prætor, & Vincentius Gradenicus Eques Præfectus.

28 Ianuarii luctuosa dies illuxit in Scholis Patavinis ob mortem Clarissimi Viri Bernardini Paterni.

Rector Legistarum Antonius Cerro Bergomas, & Artistarum Rector Iacobus Donatus Veronensis de rebus Academicis optimè meritus, qui die 18 Octob. Rectoralem habitum, & Stolam, seu Caputium sumpsit. Sed tandem in exilium pulsus substitutum habuit Marium Bibilaquam Saloensem ad reliquum anni.

1593 Iustinianus Iustinianus Civitatis Prætor, Nicolaus Gussonus Præfectus.

In diem 3 Martii incidit Valentini Naibodæ Mathematici interitus; qui sexagenarius, inventus in suo Museo vulneribus sex confossus. Pro cuiusdam Tridentini scholaris nece Rector, & alii in carcerem coniiciuntur: Professores Vrbis Rectores pro eis supplicant. Aquapendens Anatomen se administrare non posse dixit, nisi liberum haberet Rectorem Vniversitatis, qui tandem certis conditionibus è carcere solvitur.

Legistarum Rector Nicolaus Bolizza Aseruvianus, Artistarum Georgius Pipanus Polonus Cracoviensis.

8 Novemb. Horatius Augenius ex Taurinensi Academia

in locum Paterni vocatus eleganti oratione exordium lectionum habuit. Hieronymus Superchius Præpositus Pisaurensis collegium instituit in vico S. Prosdocimi.

1594 Thomas Maurocenus Prætor, Zacharias Contarenus Præfectus.

Legistarum Rector Nicolaus Bolizza: & Artistarum Antonius Savoldus Brixiensis Syndicus loco deficientis Rectoris.

Hoc anno Iesuitarum Gymnasium Senatus decreto à lectionibus disciplinarum cessavit. Sed petentibus Patavinis Civibus, ut saltem Rhetoricam, & Humanitatem Patres docerent, & Senatum ad id Orator Beldomandus Candus I.V. Doctor accedit, Riccobono publico Humanitatis professore contradicente. Re variis modis agitata in sequentes annos magno cum juvenum detrimento causa producta est.

Hoc anno controversia literaria orta est inter Com. Iacobum Zabarellam, & Franciscum Piccolomineum de doctrinæ ordine. Zabarella enim affirmabat iuxta Averrois opinionem, quod ordo doctrinæ non ab ipsa rerum natura, sed à nostra meliori cognitione desumeretur: Piccolomineus contrarium tuebatur, edito hoc anno *Comite politico*.

Theatrum Anatomicum hoc anno extructum est.

12 Novembris Marcus Cornelius in Episcopum Patavinum eligitur defuncto Aloysio Cornelio 11 Cal. Novemb. anni elapsi.

1595 Iidem Vrbis Præsides.

Legistarum Pro-Rector Antonius Prosper Genuensis, & Marcus Bibilaqua Saloensis Syndicus loco Rectoris deficientis.

Cum è vita excessisset Princeps Venetorum Paschalis Ciconia, in eius locum subrogatus est Marinus Grimanus. Cui dignitati Rector Nicolaus Bolizza Ascrvuinus Doctor, & Eques nomine Vniversitatis Iuris studiosorum, & ex parte

Vniversitatis Philosophorum, & Medicorum Hercules Saxonia Patavinus Medicinæ practicæ interpres congratulati sunt. Hic oratione latina, alter sermone italico: uterque magna eloquentia.

Advenit Patavium novus Episcopus Marcus Cornelius Georgii filius. Ad quem pro Vniversitate Iuris studiosorum oravit Claudius Curtivus professor publicus; pro Vniversitate Philosophorum, & Medicorum Antonius Riccobonus I.V. Doctor Humanitatis in Gymnasio Patavino interpres; pro Canonicis Camillus Borromæus Canonicus; pro Civitate Benedictus Doctorius Philosophus; pro Collegio Theologorum Hieronymus Palanterius; pro Collegio Iurisconsultorum Franciscus Centonius I.C.; pro Collegio Philosophorum, & Medicorum Iacobus Pernumia Philosophus; pro Parochorum congregatione Antonius Zonca Iuris Pontificii professor. Celebrarunt etiam eius laudes privatis lucubrationibus Galeatius Bigolinus I.C. & Cornelius Amaltheus Poeta.

Pro tollendis studiosorum dissidiis, atque inimicitiis Senatus decreto sancitum, ut Vniversitas studiosorum eligeret duos Doctores Primarios ad id munus. Ad quod laudabile onus obeundum delecti sunt Horatius Augenius à Monte Sancto princeps Medicus Theoricus ordinarius, & Cæsar Cremoninus Centensis è Philosophis ordinariis præcipuus.

1596 Fridericus Renerius, & Hieronymus Surianus Præsides.

Iam Gymnasium studiosorum numero, & qualitate languit, quum nemo Rectoris honores ambiret. Quare Dardius Cavacia Vicentinus Syndicus pro Iuristis, & Io. Iacobus Grandius Veronensis Syndicus Artistarum loco Rectorum deficientium electi sunt.

Varia à Moderatoribus Gymnasii cum Senatu decreta. Nempe institutum dictandi in scholis prohibitum: cautum etiam, ne propter privatas exercitationes publicæ scholæ nu-

nudarentur: interdictum quoque Professoribus domi tempore lectionum publicarum privatas instituere: Germani verò hanc in rem Gymnasii Moderatoribus supplices libellos porrigunt.

Exorta inter Riccobonum, & Fabricium Ceconium, Octaviumque Livellum Institutionum expositores controversia à Præsidibus Vrbis mandatum est, ne Institutionum professores cathedræ humanitatis amplius impedimento essent.

Cal. Decembris Albertinus Bottonus vita excessit.

Hoc anno Episcopus Patavinus magno apparatu pro Saturnalibus sacra instituit, ut juvenum abusus omninò tollerentur.

1597 3 Ianuarii In locum Bottoni suffectus est Campolongus, & in huius locum Io. Thomas Minadous.

Aloysius Bragadenus Prætor, & Dominicus Delphinus Præfectus.

Legistarum Rector Hieronymus Parolerius Coloniensis, & Matthias Iacobeus Ripensis Danus Syndicus Artistarum loco Rectoris deficientis, qui substitutum proposuit D. Georgium Honorium Kandelberg.

Controversia literaria inter Alexandrum Massariam, & Horatium Augenium nata de sanguinis mittendi ratione, editis hinc inde variis disputationibus.

Memorabile est, quod Galli, & Poloni se Hispanis deficientibus sufficiendos contenderent.

Controversia de præeminentia in rotulo suborta, cum cuperet Aquapendens supra Ordinarios Philosoph. poni.

Patavini cives laborant, ut Patres Iesuitæ scholas saltem obtineant pro instruendis juvenibus in bonis literis Grammatica, & Rhetorica, & bonis moribus contra Gymnasii professores.

1598 Iidem Vrbis Præsides.

Casserius in gratiam Germanorum Anatomen habuit.

9 Maii Syndicus Matthæus Iacobeus Ripensis Danus eximio rerum usu vir pollens magna cum solemnitate Phil. & Med. Doctoratum accepit in domo D. Sigismundi Capodelistæ Comitis Palatini, præsentibus Lycei Professoribus, & à Massaria doctoratus insignia accepit.

2 Aug. discedentibus Germanis è comitiis Itali Artistæ eligunt in Iuristarum V.Rectorem Davidem Placotomum Dantiscanum Borussum; nam obiiciebant Germani, eorumdem statuta prohibere aliquem proponi in Rectorem, seu V.Rectorem, aut eligi posse, qui in Medicina licentiatus sit quique propriis non viuat sumptibus; sed hoc frustra. Itali ipsum voluerunt, qui stolam accepit ab Excell. Massaria in ædibus suis.

Germani contra Datiarios insurgunt, qui aliquod signum in matriculis Italorum more apponi volebant. Sed Rectores 16 Octob. pro Germanis decernunt.

18 Octob. magno studiosorum mœrore D. Alexander Massaria Primarius Medicinæ Professor sub noctem subita morte periit.

1599 Ioannes Cornelius Prætor, & Antonius Priuli Præfectus.

8 Iulii Vrbis Præfectus incognita causa à Consiliario Germanorum acta Inclytæ huius Nationis ad se ferre petiit; Cui etiam neganti, cum juramentum publicum obstare sibi affirmaret, præcepto pœnali ducatorum mille, & exilii die 12 Iulii minatus est, & sententia 19 eiusdem secuta. Interea dum apud Reformatores, & Collegium causa tractatur, id omne ob Placotomum factum fuisse intelligitur.

3 Novembris Exc. D. Eustachius Rudius Bellunensis in locum Massariæ suffectus suarum lectionum initium fecit.

CHRO-

CHRONOLOGIA GYMNASII PATAVINI

Ab Anno 1600, usq; ad 1653.

1600 OCtavio Livello Lecturam Digestorum à Germanis impetratam Octavius Salgherius cum ambitu obtinet.

Salustius Dionysius Veronensis Vice-Rector Legistarum.

21 Augusti comitia coram Illustriss. Vrbis Præsidibus, propter præcedentiam à Germanis petitam dissoluuntur; Itali egressi tumultuantur. At die 24 electus est unanimi consensu Iulius Cæsar Fridericus Brixiensis Syndicus.

1601 Franciscus Bernardus Prætor, qui dum ante fores publici Gymnasii plateam ædibus sublatis parare studet morte preventus sui desiderium omnibus reliquit, & Aloysius Mauro cenus Præfectus.

Cal. Aug. propter arma à Germanis ex privilegio ferenda comitia Vniversitatis dissolvuntur.

Ioannes Baptista Appianus Veronensis Legistarum, Syndicus; & Artistarum idem Fridericus.

Professores Gymnasii symbolam librorum porrigunt Germanis ad augendam eorumdem Bibliothecam laudabiliter inceptam.

1602 Cal. Aug. Petrus Buarno Legistarum Syndicus. Iosephus Carrara Phil. & Med. Doctor Brixiensis, Artistarum Syndicus.

1603 Sub auspiciis D. Pauli Savoldi Brixiensis Iuristarum Pro-Rectoris D. Nicolaus Passerus cognomento Ge-

nua

nua Patavinus die 17. 18. & 19 Ianuarii in Templo D. Antonii publicas Theses in Iure sustinuit, quæ editæ leguntur.

Secunda Augusti Rector Artistarum Franciscus Tornenius Eques Martinensis, & Syndicus Florianus Clodius Cretensis.

5 Novembris Aquapendens Anatomes Professor libellum suum de Ostiolis Venarum Nationi Germanicæ Artistarum dedicavit; cui duas pateras argenteas grati animi symbolum offerunt.

1604 Mense Ianuarii Aquapendens adversa valetudine detentus, rogantibus Germanis, nomine Rectoris & Vniversitatis, concessit, ut Placentinus, vel Campana Anatomen institueret, sed electus est Placentinus, qui eam summa cum laude perfecit.

16 Februarii Rector è patria reversus summo cum applausu caputium in Cathedrali Templo assumpsit.

Disputatum fuit, possentne Comites Palatini Theologiæ Doctoratum conferre vi Imperatoris Privilegii: & communi Doctorum consensu decisum fuit, non posse.

Iuristarum Syndicus, & Vice-Rector Comes Pompeius Capra Vicentinus, ut ex Inscriptionibus Gymnasii in parte superiori.

1605 Almæ Vniversitatis Philos. ac Medicorum Petrus Bonvicinus Brixiensis Vice-Rector.

Mense Ianuarii Albertinus Barisonius, hodie Episcopus Cenetensis, sua Theoremata Peripatetica in scholis magno applausu disputanda proposuit.

Die 2 Augusti electus est Rector Artistarum Ioannes Aner Germanus, qui 26 Novembris ad paternas ædes licentiam petiit, & in suum locum Vice-Rectorem substituit Equitem Saxoniam Medicinæ Professorem; Ludovicus Evani Britanus Legistarum Rector.

1606 17 Ianuarii Vniversitas Artistarum à Saxonia congregata Oratorem elegit Cæsarem Cremoninum Philos. Pro-

Professorem ad congratulandum novo Duci Venetiarum Leonardo Donato.

Die 2 Augusti Syndicus Artistarum electus D. Eustachius Patellarius Cretensis. Iuristarum Rector Samuel Slupcki de Conari, ex inscriptione in parte inferiori Gymnasii; quo tempore legitur ex iisdem inscriptionibus Vice-Rector I.C. Ioannes Baptista Cedacius Laudensis.

1607 Hermolaus Zane Prætor. Ioannes Maripetrus Præfectus.

2 Aug. Syndicus Artistarum D. Martius Zaghius Castrofranciensis, qui cum Consiliarium Germanorum iniuriosè tractasset, post varios huius Inclytæ Nationis rumores ab Illustrissimis Rectoribus decreto Senatus Veneti proscriptus est. Cui substitutus est sexta die Decembris Comes Martius Capra Vicentinus.

Duo lumina hoc anno extincta Gymnasium vidit; nempe Ottonellum Discalcium I. C. & 20 Augusti Equitem Saxoniam Medicum, graui ac diuturno morbo confectum. Iuristarum Rector Simeon Phtaminus Cretensis, ut ex inscriptionibus Gymnasii in schola maiori I.C.

1608 Petrus Duodus Eques Vrbis Præfectus, qui Academiam Deliam civibus Patavinis ad armorum exercitium erigendam curavit, ædibus magnificis apud Ecclesiam S. Michaelis prope Pontem ligneum erectis.

Iuristarum Syndicus Matthæus Vretus Cretensis ex inscript. Gymnasii. Artistarum

1609 Pręsides Vrbis, Angelus Correrius Prætor; & Franciscus Maurocenus Præfectus.

Die 1 Iulii Serenissima Respublica jus matriculæ à Citramontanis distinctum Nationi Germanorum concessit.

Cal. Augusti electus est Vice-Rector, vel Syndicus Iuristarum Comes Iulius Portus Vicentinus. Artistarum Franciscus Crassus Ragusinus.

1610 Cal. Augusti Prætore Angelo Correrio, & Petro

Mau-

Mauroceno Præfecto. Vniversitas Artistarum Syndicum D. Franciscum Crassum Ragusinum confirmat; & à Iuristis Syndicus Lucas Quartanus Nob. Cretensis eligitur.

1611 Die 4 Februarii Leonardo Donato Duce, Vrbis Rectores Vniversitatibus Iuristarum, & Artistarum ducatos quinquaginta ex Gymnasii ærario per annos quinque enumerare jubentur, ne quid detrimenti errarium Vniversitatis eiusdem reciperet causa privilegii matricularum Germanis concessi.

Cal. Augusti Prætore Marco Bragadeno, Præfecto Petro Mauroceno.

Artistæ confirmant in Syndicum D. Franciscum Crassum. Iurisconsulti

1612 Cum Paulus Benius Humanarum literarum publicus Professor evulgasset Etruscum Libellum *l'Anticrusca, over Paragone della Italiana lingua*, Academici Florentini della Crusca adversus auctorem varias Apologias ediderunt, contra quas Benius viriliter insurrexit libello vulgato *il Cavalcante*.

Cal. Aug. Prætore D. Marco Bragadeno, & D. Hieronymo Capello Præfecto.

Iuristarum Vniversitas elegit in Syndicum Franciscum Thieneum Vicentinum, ut ex inscript.; Artistarum D. Antonium Mariam Rubeum Ravennatem.

1613 Cal. Augusti Prætore Ioanne Baptista Foscareno, & Antonio Barbaro Præfecto.

Ab Vniversitate Iuristarum electus est
& ab Vniversitate Artistarum D. Andreas Curtabatus Soliensis Rætus.

1614 Prætor Cornelius, & Vitalis Landus Præfectus.

Iuristarum Vniversitas eligit Syndicum D. Iulianum Castelinum Genuensem, Artistarum D. Ludovicum Calinum Brixiensem.

Die 16 Octobris Senatus Venetus in laureandi commodum

dum decrevit: quod Promotores quatuor eligerentur. Duo ſorte, & duo ad libitum, ex primis Profeſſoribus.

1615 Iidem Vrbis Rectores.

Cal. Aug. Iuriſtarum Vniverſitas elegit in Syndicum Auguſtinum Vidoſſium Garzulenſem Dalmatam Equitem, Artiſtarum D. Bernardum de Renaldis Vicentinum.

1616 Quinto Aprilis Ioannes Dandulus ad Præturam Patavinam acceſſit; Præfecto Nicolao Vendrameno.

Hoc anno Sereniſſimus Venetus Senatus dempta in gratiam Nationis Germanicæ, Comitum Palatinorum auctoritate in ſuo dominio, Collegium decreverat, cuius Lib. 1. cap. 57. meminimus. Cal. Iunii prima promotio fuit in hoc collegio auctoritate Veneta erecto, ubi magna ſcholarium multitudine Doctoratus accepit Lauream nobilis vir D. Daniel Fabricius Dantiſcanus Boruſſus.

Die 15 Martii Vniverſitas Artiſtarum Venetias profecta cum Cæſare Cremonino Oratore electo ad congratulandum Duci novo Ioanni Bembo.

Cal. Auguſti Iuriſtarum Vniverſitas elegit ſuum Syndicum D. Hieronymum de Sanctis Neapolitanum Ortonenſem ad mare.

Die 2 Aug. Artiſtæ eligunt Nobiliſs. Virum D. Samuelem Geuſufium à Longenloy Auſtriacum Vice-Rectorem, qui die 29 Septembris ſolemni pompa de more veteri Gymnaſii in æde Cathedrali à Cæſare Cremonino Philoſopho Primario præſentibus urbis Rectoribus, & univerſa civitate, Profeſſoribus, & Conſiliariis, ſtolam accepit, magno applauſu per urbem comitatus omnia ſumptuosè & ſplēdidè geſſit.

1617 19 Ianuarii Spigelius Anatomen exorſus eſt.

5 Februarii Proſper Alpinus Symplicium profeſſor fato functus eſt; ſine pompa in æde D. Antonii ſequenti die conditus. In eius locum ſuffectus eſt Ioannes Prævotius, & in Prævotii Bartholomæus Sfortia Patavinus.

24 Maii Incendium funeſtum à pulvere pyrio ad locum,

quem vocant *il Magio*, prope hortum Medicum insigni ædificiorum detrimento, & plurimorum interitu.

Cal. Aug. Ioanne Dandulo, & Nicolao Vendrameno Præsidibus. Vniversitas Iuristarum creat suum Syndicum D. Iacobum Theotium Bassanensem, & Artistæ D. Franciscum Cacciam Mantuanum Syndicum.

21 Augusti D. Samuel Geusufius Vice-Rector obiit, cuius funus solemni pompa præsentia Illustris. urbis Rector. & totius Gymnasii in templo D. Antonii celebratum. Cui postea anno 1619 erectum est monumentum cum statua. Et hic mea ætate postremus fuit, qui solemniter Vice Rectoris stolam accepit, & habitu promisso incederet.

19 Novembris Ioannes Baptista Nani ad Præturam Patavinam accessit.

1618 Die 15 Martii Exequiæ Mag. Livii Leonii Ordinis S. Dominici Metaphysicæ professoris celebrantur in æde D. Augustini præsente Theologorum Collegio, & Vniversitate Artistarum.

17 Eiusdem mensis obiit Serenissimus Dux Venetus Ioãnes Bembus, in cuius locum suffectus Nicolaus Donatus, qui vixit dies 33, & successorem habuit Antonium Priulum. Ad cuius congratulationem electi sunt à Iurisconsultis Arsenius Merius. Ab Artistis Cæsar Cremoninus.

19 Eiusdem mensis excessit è vita Iacobus Gallus Eques, Primarius Iuris Interpres, in Ecclesia S. Antonii, præsente Gymnasio, & Vrbis Rectoribus laudatus est oratione Sigismundi Boldonii Mediolanensis.

Hoc anno rumores scholarium retento Sala Brixiensi studioso, & inquisitio acerba facta contra eosdem ob necem cuiusdam satellitis Prætoriani: multi mulctati sunt exilio, & precibus urbis Brixiæ Sala à mortis periculo liberatus est.

Cal. Augusti Rectore Nani supradicto, & Maximo Valerio Præfecto.

Syndicus Iuristarum electus est Taffellus Taffelli Vero-

nensis

nensis Eques; & Artistarum Io:Dominicus Maresius Vicentinus, qui expensis Legationis destinavit collectam ad Martinalia, & eam quæ ex prima nive accipitur.

25 Octobris obiit Io. Aloysius Corradinus I. C. & Pandectarum Interpres.

Die 21 Novembris Venetias profecti sunt Consiliarii cum Syndico, & Professoribus magna pompa.

27 Novembris Visus est primum nobis notabilis cometa, cuius occasione in scholis Benedictus Bovius Dominicanus Metaphysicus de cometarum differentiis, ac eventibus frequentissimo auditorio primum lectiones habuit. Sed parum ad rem. Quare in gratiam studiosorum imo & totius Gymnasii Ioan. Camillus Gloriosus publicus Mathematicarum professor initio Quadragesimæ anni subsequentis, mense fere elapso post cometæ defectum aliquas lectiones summa cum laude habuit de cometis cum Mathematicis discedens ab Aristotelis placitis. Quas ab amicis rogatus vulgavit *1624*: contra quas Fortunius Licetus Philos. Ordinariæ professor, ut Aristotelem defenderet, lucubrationes promulgavit *1625*. Ad quas pro sui defensione Gloriosus respondit *1626*. sed res non modestia, sed fermè opprobriis utrinque acta fuit.

1619 Simultates inter Spigelium Anatomicum ac Prævotium Medicinæ professorem, tandem in gratiam Nationis Germanicæ intermissæ sunt.

13 Ianuarii Ioannes Boatus Causidicus celebris Patavinus Pandectarum Lecturam sortitus orationem inauguralem magno studiosorum, ac civium concursu habuit.

29 Martii die Veneris Sancti sacræ hebdomadæ magno urbis, & Gymnasii mœrore Angelus Saxus juris interpres domi suæ mane nefariè trucidatus est ab iniquo homine, qui paucos post menses divinitus notuit, & captus publica morte plectitur. De quo videatur vol. 1. elog. nostrorum, & Athenæ Patavinæ.

Cal. Maii Ioannes Baptista Nani abiit, accessitque Antonius Bragadenus ad Præturam urbis.

24 Maii Hieronymus Fabritius ab Aquapendente insignis Anatomiæ professor octogenarius obiit, laudatus à Ioanne Thuilio in Ecclesia D. Francisci, præsentibus urbis Rectoribus, & Vniversitate Philosophorum Medicorum cum professoribus publicis; de quo legatur elogium nostrum vol. 1. cum effigie.

21 Iulii Novo exemplo & magna solemnitate ac urbis & Gymnasiii lætitia in Rectorem Iuristarum electus est Camillus Noalius Tarvisinus: qui summo splendore omnia ad id munus spectantia adimplevit.

Cal. Aug. Syndicus Iuristarum D. Leo Calergius Cretensis, qui antiquatum usum vestis, qua utebatur Generalis bidellus in promotionem laureandorum renovavit.

Die 12 Septembris Vniversitas Artistarum elegit in suum Syndicum Comitem D. Carolum Canossam Regiensem.

18 Novembris Alexander Vigontia Medicinæ professor, & Eques obiit, sepultus noctu sine pompa.

1620 Mense Ianuarii Spigelius Anatomen nobilem præstitit.

7 Martii Franciscus Plazzonus initium primæ suæ Anatome fecit.

4 Idus Iunii Albertus Baduarius Io. fil. Patricius Venetus in templo D. Antonii magno studiosorum concursu per tres dies publicas disputationes sustinuit, quas Marco Cornelio Episcopo Patavino inscripsit.

Cal. Augusti Rectore D. Octaviano Bono, & D. Silvestro Valerio Præfecto.

Iuristarum Syndicus D. Galeatius Feramusca; & secundùm Artistarum D. Nicolaus Piperellus Clavennensis Syndicus.

1621 16 Ianuarii Decretum Vniversitatis Artistarum pro erigendis Insignibus Illustriss. Valerio Præfecto editum.

Hoc

Hoc anno obiit Paulus V. Summus Pontifex, & Philippus II Rex Hispaniæ. Item Magnus Dux Etruriæ cum aliis Principibus, & anno elapso Matthias Romanorum Imperator. Item duo luminaria scriptorum, & S. Ecclesiæ Cardinales Bellarminus, ac Tuscus. Quæ funera cometæ effectus esse affirmabant studiosi.

Cal. Augusti Prætore D. Octaviano Bono, & D. Vicentio Capello Præfecto.

Iuristarum Syndicus D. Franciscus Ghilinus est electus. Ab Vniversitate Artistarum prolongato conventu ad x Augusti propter Syndici absentiam electus est Syndicus D. Ioãnes Sebast Carntolanus, qui Laurea Doctoratus accepta in patriam rediit electo sibi substituto Ioanne Germano Alemano, & postea Syndicus electus Thomas Piovenius Piovene Vicentinus.

Martinalia nocte facta à Iuristis magna cum petulantia prohibita sunt à Prætore irato, qui in Reos inquirere statuit.

1622 Tertia die Ianuarii Georgius Ragusæus Phil. Ordinariç in secundo loco collega Cremonini, & æmulator acerrimus obiit sine testamento. Quare omnia eius bona ad Fiscum devoluta sunt, & sub hasta vendita. Vide eius El. vol. 1.

20 Febr. Iulius Contarenus Prætor Pat. accessit cui Natio Germanica Cæsare Cremonino Protectore carmine gratulata.

27 Martii Rodericus à Fonseca Primarius Medicinæ Professor obiit cum esset præses Collegii Veneti, cui successit Sanctorius in eam dignitatem collegii.

Initio Aug. Iulio Contareno Prætore, & Zaccharia Sagredo Præfecto.

Ab Artistarum Vniversitate Syndicus eligitur D. Sasbout Vader àà Hollandus. Ab Iuristis autem eligitur Marcus Antonius Haureau Parisiensis, qui Gymnasii horologium longo tempore dissonum in integrum restituere fecit.

Diebus 7. 8. 9. Novembris. Martinalia collecta tanta

scho-

ſcholarium libertate, ut etiam à Monacis Caſſinenſibus equum clitellarium ſcholares in diverſorium abducerent, ubi epulas inſtituerent, quem tandem reſtituere.

1623 25 Ianuarii Spigelius D. Marci Eques creatus, cui Vniverſitas, & Natio Germanorum utraque congratulatur. Anatomen D. 31. incœpit.

23 Iulii In æde D. Antonii nomine Vniverſitatis orationem habuit D. Io. Thuilius in laudem Iulii Contareni Prætoris jamjam diſceſſuri; cui etiam à legum ſtudioſis in ædibus Prætorianis inſcriptio ponitur, ex qua hoc tempore Iuriſtarum Syndicus legitur Galeatius Anguſciola.

Cal. Aug. Hermolaus Nani Prætor, & Zacharias Sagredus Præfectus.

Iuriſtarum Syndicus D. Henricus Capra Comes Vicentinus. Artiſtarum Syndicus D. Gaudentius Bellinus Novarienſis electus 6 Septembris.

Die 11 ab Vniverſitate Artiſtarum Orator Io. Dominicus Sala ad novum Ducem Venetum Franciſcum Contarenum electus eſt; decretum, pecuniam ex martinalibus & nivibus collectam expenſis itineris erogandam. Siquidem vetitæ jam fuerunt huiuſmodi collectæ à Rectoribus urbis, quibus donaria quædam è mulctis fuere ſurrogata.

19 Novembris Io. Thuilius primum exorſus eſt publicum legendi munus magna frequentia.

1624 Menſe Febr. dum Anatome adminiſtraretur Hebræo divite defuncto, parentes corpus eius Venetias deportant. Conſiliarius Anatomicus cum Italis populariter inſequitur, & vi Hebræi defuncti corpus è cymba extorquent. Re ad Magiſtratum delata, Conſiliarium cum ſociis in jus vocant, ille Vniverſitatis, & Cl. V. interceſſione fretus cum paucis conſortibus ſeſe Venetiis ſiſtit. Patres illi non tam facinoris atrocitatem punituri, quàm violatum jus viæ publicæ, in ſqualidum carcerem detrudi jubent. E quo poſt aliquot menſes publicis interceſſionibus liberatur.

30 Mar-

30 Martii Io.Colle Præses Collegii Veneti eligitur.

23 Aprilis Oratio habita Illustrissimo Aloysio Delphino Præfecto discedenti.

13 Maii Legatio Gratulatoria magno apparatu ad novum Principem suscipitur.

Cal.Aug. Aloysio Delphino Præfecto, & Vice-Prætore confirmatur.

Ob Vniversitate Iuristarum Syndicus Comes Henricus Capra. 4 Aug. Aloysius Zon Brixiensis Syndicus Artistar.

18 Novembris Franc.Plazonus publicus Anatomicus febre maligna juvenis obiit. In æde D. Iustinæ privato funere conditus.

24 Novemb. Bartholomæus Soverus Mathematicæ professor orationem auguralem admodum eruditam habuit.

30 Eiusdem mensis Flavius Quærengus Antonii nepos Canonicus Patavinus ad Cathedram Moralium electus orationem præmisit magna civium, ac studiosorum frequentia Cæsar Cremoninus V.Syndicus.

Kal.Decemb. Pompeius Caimus Vtinensis Cathedram Medicam adiit.

1625 Die 7 Aprilis Adrianus Spigelius Anatomicus diuturna febre, & jecinoris abscessu tandem post decem hebdomadas macie confectus è vita discessit.

In 8 Maii incidit discessus Illustris. Aloysii Delphini ab urbe Patavina. Iulius Sala Med. professor Vice-Syndicus substitutus.

Kal.Aug. Iulio Iustiniano Prætore, & Vincentio Gussono Equite Præfecto.

Legistarum Vniversitas eligit suum Syndicum Comitem Clementem Thieneum Vicentinum, & die sequenti Aloysio Zono successit Bellisotus Brixiensis in Syndicum Artist.

18 Aug. Mortuo Marco Cornelio Episcopo Patavino Petrus Valerius Cardinalis successit.

14 Octob. Decretum Senatus Veneti renovatur, subdi-

tos

tos Venetos non posse alia Gymnasia adire. Quod etiam anno sequenti confirmatum Rectoribus omnibus quarumcumque urbium, & locorum transmissum fuit, ut vulgaretur.

Rotulus hoc anno non est editus.

Pompeius Caimus Vtinensis fervidioris ingenii Cæsaris Cremonini philosophi acutissimi *De calido innato* doctrinam scripto publicato impugnat. Hinc gliscentibus inter ipsos simultatibus Germani Cremonini protectoris sui partes sequebantur; quibus alter ex eo minus favere visus tandem se nihil in ipsos moliri apertè fassus est.

1626 Mense Ianuarii Defuncto jam Anatomico Pompeius Caimus Vtinensis ex veteri consuetudine lectiones Anatomicas orditur, Hieronymo Sablono incisore.

Mense Aprilis Bartholomæus Vecchius Senensis conductus est ad Lecturam primam juris civilis vespertini in locum Iacobi Galli post Iulium Pacium, cum Carbonchius, & Synclitícus legerent in paritate secundi loci.

Hi duo cum inter se contenderent ut ad primam Cathedram juris civilis matutini traducerentur, nec alter alteri cedere vellet, factum est ut uterque sit translatus ad Cathedram matutinam in paritate, sicuti in paritate obtinebant secundam vespertinam. Salgherius verò qui mane legebat solus, cum Otthelius donatus rude vacaret, translatus est ad jus civile vespertinum interpretandum Collega Vecchio datus in secundo loco. Vecchius habuit perelegantem & ornatam orationem sine hæsitatione die 25 mensis Aprilis D. Georgio sacra à prandio ritè auspicatus prælectiones suas audientibus.

Illustrissimis Rectoribus Iulio Iustiniano pro Serenissima Republica Veneta Patavii Prætore, & Vicentio Gussono Equitæ Præfecto.

Vniversitates ambæ Iurisperitorum, & Artistarum erexerunt Trophæum Illustriss. Iulio Iustiniano Prætori die 28, qui præcessit eius discessum Venetias, cum Præfectus electus

Ge-

Generalis Palmæ, & Forojulii ante Præturæ finem Venetias revocatus esset.

Habuit orationem Vniversitatum prædictorum nomine .. Bolis nobilis Vicentinus miri ingenii & eloquentiæ non perscitæ: celebrarunt eius res gestas olores utriusque, quorum Latinos concentus collegit, & edidit Felix Osius Humaniorum literarum interpres typis Gasp. Crivellarii fol. Accessere & Compositiones aliæ Idiomatis Etrusci primorum Vatum.

Die 3 Maii Inventioni S. Crucis sacro Nicolaus Nonlius Orationem habuit electus ad secundam Cathedram Iuris Canonici matutini in locum Albertini Miliariæ promoti ad primam, in locum Equitis Ioan. Baptistæ Silvatici, satis frigidè se gessit.

Controversia hoc mense orta inter Pompeium Caimum, & Cæsarem Cremoninum de Calido innato id peperit incommodi, quod cum fama esset Caimum esse editurum contra Cremoninum opus virulentum, cæpere carmina spargi in laudem Cremonini.

25 Maii Theses Medicas in Gymnasio publicè defendit M. Christianus G. Astoecius Pomeranius.

Cal. Augusti Prætore D. Hieronymo Lando, & Hieronymo Lege Præfecto Vniversitas Iuristarum elegit Syndicum Horatium Goddium; Artistarum D. Cæsarem Fenarolum Brixiensem die 30 Aug.

1627 Initio Augusti Prætore Antonio Canale, & Hieronymo Lege Præfecto Vniversitas I. C. creat Syndicum D. Ioannem Melissenum Cretensem, & Artistæ Petrum Bossium Bergomensem.

1628 Mense Ianuarii Germanorum plures concedunt Mantuam, Fabritii Bartoletti Bononiensis viri subtilissimi, ac diligentissimi fama excitati, pars Venetias ubi & Veslingius Anatomen administrabat. Vrbis Prætor factum admiratus collato cum eis sermone causam intellexit. Illi Gymnasii

Moderatoribus libellos porrexisse affirmant. Is verò negotium sibi curæ futurum promittit.

Cal. Aug. Rector urbis Antonius Canale, & Marcus Priolus Præfectus.,

Iuristarum Vniversitas elegit Syndicum D. Ioannem Petrum Franchum Veronensem. Die 4. Augusti Artistæ D. Camillum Fusarium Brixiensem.

Hoc anno Cardinalis Valerius Episcopus Patavinus febre maligna correptus vitam clausit, qui testamento de omnibus ferè facultatibus suis Ecclesiam Patavinam hæredem instituit, laudatus est in funere.

1629 Cal. Aug. Prætor Benedictus Iustinianus, & Dominicus Theupolus Præfectus.

Iuristarum Vniversitas Syndicum elegit Dominicum Ferrarium Lendenariensem, & Artistarum Io: Hieronymum Maluezium Brixiensem, qui electioni renunciavit; & die *9* Novembris suffectus est Tiburtius Malsperonus Brixiensis.

Die 2 Aug. Ioannes Thuilius Artis Oratoriæ Interpres Orationem habuit pro Vniversitate Artistarum in discessu Illustrissimi Præfecti Theupoli.

Hoc anno insigni penuria frumenti variæ infirmitates obortæ.

1630 Hoc anno Patavii collegium Græcorum à Serenissimo Veneto Senatu constitutum. De quo lib. 1. cap. *64*.

Infelici Mantuæ obsidione, mox expugnatione pestis acerba uniuersam Lombardiā pervasit, agris primum Veronensibus, & Vicentinis infesta, mox eodem fato urbem Venetam perrupit: unde & Venetiis Patavium disseminatur, exterritis undique studiosis ac Professoribus.

28 Iulii Mag. Faber Theologus insignis, & professor publicus febre obiit.

Cal. Aug. Vincentio Capello Prætore, & Petro Sagredo Præfecto Vniversitas Iuristarum elegit denuò Dominicum Ferrarium Lendenariensem in Syndicum & Pro-Recto-

ctorem,& die 18 Septemb. Artistarum D. Hieronymum Peturianum Veronensem Syndicum.

4 Septemb. Obiit febre lenta Bartholomæus Sfortia Medicinæ Extraordinariæ Professor.

24 Septemb. In vico S. Ioannis Patavii domus quædam peste infecta, allatis ex agro Vicentino mercibus, Petrus Marchetus Medicus Practicus, qui insciius ægrum visitaverat, statim decreto publico jussus domi se continere.

Hoc mense cum sequenti, lentè lues hæc pestifera gliscit. Itaque commercium cum Venetis prohibitum est, sed Nobilium auctoritate repetitum. A Venetis igitur hanc in urbem lues transiit.

Anni 1631 initio pestis in urbe Patavina serpere cœpit mox adveniente vere palam omnia infestando vires accepit.

Nulla exhibita Anatome, & scholæ clausæ propter pestem.

2 Aprilis Nicolaus Contarenus Venetorum Dux magnę variæque doctrinæ apoplexia obiit, in eius locum suffectus Franciscus Erizius 11 Aprilis.

Crescente cum vere contagio pestifero hi Gymnasii Professores, & Clarissimi Viri interierunt.

Ioan. Thuilius Mariæ Montanus, & Felix Osius Artis Oratoriæ Professores.

Ioannes Colle Medicus Primarius cathedræ Practicæ.

Cæsar Cremoninus Primarius Philosophus: non quidem peste, sed destillatione senio familiari occubuit.

Aldrighetus Aldrighetius Medicinæ Theoricæ professor.

Ioannes Prævotius Practicæ Extraordinariæ professor primarius; non peste, sed febri ardenti.

Benedictus Bovius Dominicanus Theologiæ professor.

Camillus Bellonius Philos. professor.

Pompeius Caimus non peste, sed febri in patria vitam clausit.

Merius Med. professor in tertio loco.

Ex Iurisprudentiæ professoribus Albertinus Milliaria Patavinus Iuris Canonici primus Interpres.

Octavius Salgherius Iuris Cæsarei de sero in secundo loco professor.

Petrus Brusonius horis vespertinis Iuris Pontificii in secundo loco Interpres.

Camillus Pancetta Saravallensis Canonicus, & Iuris Canonici vesperi primus professor in patria peste obiit.

Iacobus Zabarella Canonicus Patavinus, & professor publicus.

Innocentius Florinus Eremitanus primarius Logicæ Interpres.

Laurentius Pignorius Patavinus Antiquitatis Coryphęus cum nepotibus totaque familia sublatus; eiusque comes individuus Martinus Clandelius I. D. eruditissimus sacerdos. Item Benedictus de Benedictis humaniorum literarum peritissimus. Qui omnes in urbe permanētes duro fato periere.

Prætore Vincentio Capello, & Præfecto urbis Equite Aloysio Valaressio, qui ę contagio Veronensi ad hanc urbem juvandā electus, mira in civium salutem sedulo peregit.

Cal. Aug. Hisce Præsidibus Vniversitas Iuristarum confirmavit Pro-Rectorem Dominicum Ferrerium.

1632 Rotulus professorum non est editus.

4 Ianuarii Accessit ad Præturam Franciscus Pisanus, & peste cessante, solemni pompa, ac precibus ad Divos tutelares porrectis commercium redintegratum est, civibus rure in urbem redeuntibus.

26 Februarii Inchoatæ sunt lectiones publicæ; sed modica scholarium frequentia: nec ulla Anatome facta. Bacchanalia solemnibus epulis, comœdiis aliisq. lætitia plenis festivitatibus à Rectoribus urbis parata.

12 Iulii Nicolaus Trivisanus Med. Theor. professor senectute confectus obiit.

Cal. Augusti. Iisdem urbis Præsidibus.

Vni-

Vniversitas Iuristarum creavit suum Syndicum D. Dionaeum Albanum Bergomensem; & Artistarum D. Ferdinandum Gomez Romanum.

Rotulus professorum nullus.

3 Novemb. Paulus Iacomettus Patav. in tertio loco Extraordinariæ Practicæ professor Merio defuncto successit, & orationem inauguralem habuit.

30 Novembris Ioannes Cotunius Bellonii succedens, orationem eruditione refertam habuit pro suarum lectionum exordio.

Aloysio Valaressio Vniversitas Artistarum Insignia, ex lapide sumptuosa erigit.

1633 Die 17 Ianuarii Ioannes Veslingius Eques Anatomicus inauguralem orationem habuit in scholis, præsentibus urbis Rectoribus.

Marcus Antonius Cornelius è Primicerio D. Marci electus Episcopus Patavinus die 2 Februarii solemniter urbem ingressus est.

Pro Vniversitate Artistarum oravit in eius laudem Guidus Albanesius Med. professor.

26 Aprilis Absente Syndico & Vice-Syndico, Consiliarii Vniversitatis Artistarum coram Rectoribus urbis congregati eligunt in Syndicum D. Victorem Argentam de Feltre.

22 Maii Alpinus Alpinus in horto Simplicium orationem habet pro initio suæ ostensionis.

Cal. Iulii Erectum est Collegium Nobilium à Senatu Veneto in Collegio Iesuitarum.

11 Iulii Prætor Pisanus discessit, & in eius locum subrogatus est Aloysius

Cal. Augusti Ex more Vniversitas Iuristarum elegit Syndicum D. Decium de Monte Vicentinum, & Artistę D. Franciscum Zambonum Vicentinum.

18 Novembris Thomas Ziliolus in primo loco Philos.

pro-

professor orationem habuit vario doctrinæ genere refertam præsentibus urbis Illustriss. Rectoribus.

1634 5 Martii Ioannes Baptista Favetta Mediolanensis eligitur in V. Syndicum ab Artistarum Vniversitate absente Syndico.

Cal. Aug. Zacharia Sagredus Rector, & Ioannes Barbadicus Præfectus.

Iuristarum Vniversitas elegit D. Ludovicum Pimam Catharensem, & Artistarum D. Horatium Naldum Faventinū.

Hoc anno Rotulus professorum non est editus.

13 Novemb. Ioannes Soncinus Prævotii successor suam orationem præliminarem habuit.

1635 24 Maii Senatus Veneti decreto Collegium Iurisconsultis Germanis, ac Græcis erigitur. De quo lib. 1. cap. 57. Primusque Præses Collegii instituitur Bartholomæus Vecchius 12 Iunii.

Cal. Aug. Prætor isdem Sagredus, & Præfectus Iacobus Superantius.

Iuristarum Vniversitas elegit Pro-Rectorem, & Syndicum D. Ambrosium Augustum Bergomensem. Artistarum die 5 Io. Petrum de Antoninis Rhætensem.

1636 Initio Augusti Rector Paulus Caotorta, & Iacobus Superantius Præfectus.

Ab Vniversitate Iuristarum electus est Ioannes Conradus Heroldt ad Nergoviam Francus Pro-Rector. Ab Vniversitate Artistarum Nicolaus Benzonus Randusio-Danus. Hic vir boni publici studio multa ad Gymnasii splendorem summo ardore incepit ac perfecit. Avaritiam publicanorum & eorum in scholares proterviam compressit, Excelsi Senatus Veneti auctoritate, suis impensis in urbe moratus donec ad optatum finem omnia perduxisset.

Marci Antonii Cornelii Episcopi Patavini obitus Gymnasium mœstitia replevit. Vacavit Ecclesia Patavina suo Præsule triennium.

12 Decembris Controversia de præcedentia inter Decuriones civitatis, & Syndicos orta.

Senatus Venetus sub die 24 Septembris Decreta quædam circa Promotores sex solummodo eligendos à Laureandis è primis cathedris edidit. Itemque quinquennium studiis impendendum, nec subditis Venetis licitum emigrare ad alia Gymnasia, aliaque multa ad Gymnasii incrementa.

1637 Ianuarii die 11 M. Antonius Peregrinus ad theoricam extraordinariam diebus festivis interpres primam lectionem solemniter est aggressus.

25 Bernardinus Ferrarius Anatomen incepit.

7 Febr. Nicolaus Benzonus unà cum D. Ioanne Conrado Heroldt Venetiis redeunt cum literis Serenissimi Senatus, quibus Syndicus præfertur Decurionibus in rebus spectantibus ad Gymnasium. Bina quoque suffragia Syndico in Comitiis obtinuerunt. Necnon & protectoribus Nationis Germanicæ etiam Patavinis, quibus ea non conceditur, immunitatem vectigalium pro se ipsis, & familia impetrarunt: Quo titulo tunc eminebant Ioannes Galvanus pro I.C. & Benedictus Silvaticus pro Artistis.

Promulgata sunt typis à Rectoribus urbis Paulo Caotorta, & Iacobo Superantio ex Senatus mente nova instituta circa vectigalia. Nimirum assignata cuique studioso, qui per annum Patavii moratur staria 20 frumenti ab omni onere, & dolia, sive vini totidem mastelli. Illis verò, qui solummodo lectionum tempore in civitate permanent staria 18. & vini 14.

Circa hæc tempora Eques Benedictus Sylvaticus pyxidem ex succino artificiosè confectam à Rege Poloniæ recepit, in quo inclusus erat scyphus argenteus deauratus cum literis Regiis, quibus ille declaratus est ab ipso Comes Palatinus, & ipsius Regis Protomedicus; Adeo doctissimi viri nomen, & summæ doctrinæ fama sese ad Sauromatas extendit!

An-

Anno 1622. die 25 Augusti Illustrissimus Comes Stephanus Palfi S.C.M. pincerna literis certiorem reddit Ioannem Galvanum Patavinum inclytæ Nationis Germanorum juridicæ facultatis protectorem, ab Augustissimo Ferdinando Secundo Romanorum Imperatore inter solemnia Viennæ Austriæ habita ipsum Galvanum Equitem, & Comitem Palatinum, consiliariumque suum pronunciatum, cum amplissima potestate Comites, Equites, Doctores, Poetas laureatos, Notariosque creandi, legitimandi spurios, restituendi famæ læsos, & alia. Galvanus tamen sola S. C. M. propensione contentus, licet etiam aliis nominibus conspicuus, excelsos honorum gradus, ac titulos, raro exemplo, modestia supprimit.

1637 30 Maii D. Nicolaus Benzonus Artistarũ Syndicus pleno Senatu creatus est à Duce Erizio Eques D. Marci, à quo etiam pro Vniversitate Artistarum dono accepit ducatos centum, & vigintiquinque. Decretum tulit pro ingressu Syndici in Collegium. Nec minus splendoris Gymnasio attulit summa D. Corradi Heroldt providentia, qui Syndico Vniversitatis Pro-Rectoris titulum procuravit, vestemque ad talos demissam. Cui etiam locus in actibus promotionum assignatus est post Collegii Priorem diplomate, quod editum est anno 1639.

Syndici sedem in curia desuetudine obliteratam Benzonus suis expensis renovavit: Typographum Vniversitatis elegit, ac togam Bidello generali comparavit.

Compositis feliciter omnibus Vniversitatis controversiis, decretum est, Syndicis insignia è saxo maiora in scholis erigerentur.

Cal. Aug. Prætor Ioannes Pisanus, Hieronymus Mocenicus Præfectus.

Io. Corradus Heroldt confirmatus summo applausu ab Vniversitate Iuristarum, & 2 Aug. Artistæ creant suum Syndicum D. Iosephum Savoldum Brixiensem. At in pagina le-

ctionum Pro-Syndicus Artistarum legitur D. Alexander Todeschinus Vicentinus.

11 Novemb. Ioannes Cotunius in locum Zilioli electus orationem ornatissimam habuit.

12 Decemb. Alpinus Alpinus obiit sine pompa in æde D. Antonii conditus.

1638 Inter Veslingium, ac Ferrarium Anatomicos levis contentio suborta.

4 Martii Reformatum est privilegium de licentiatis in Chirurgia.

18 Hastiludia à Nobilibus Patavinis in foro Dominorum solemniter celebrata.

Veslingius Alpino defuncto successit in horto Simplicium, Carolo Avantio Rhodigino id munus impensè ambiente.

Germania bellis infestata solito minor scholarium frequentia.

Cal. Augusti Prætore D. Ioanne Pisano, & Ioanne Baptista Grimano Præfecto, Iurisconsulti Pro-Rectorem, & Syndicum confirmant D. Ioannem Corradum Heroldt ob diuturnos labores ob Vniversitatem exantlatos: cui statuam cum Elogio in Scholis erigere statuerunt. Vniversitas Artistarum 2 die elegit D. Hieronymum Arduinum Pisaurensem Syndicum.

Statuta Germanorum decreto Serenissimi Senatus Veneti confirmantur. Qua in re plurimum eluxit sollertia Io. Galvani Patav. Criminalium professoris inclytæ Nationis Germanicæ Iuristarum Protectoris.

Controversiam de armis ferendis à Germanis ex privilegio iterum exortam Moderatores Gymnasii tollunt.

8 Novembris Magister Thomas Turcus Metaphysicus in via S. Thomæ suam inauguralem orationē habuit in scholis.

1639 11 Iulii Lucas Stella Venetus ab Ecclesia Vicentina ad Episcopatum translatus est à Summo Pontifice Vrba-

no VIII. In cuius laudes pro Vniversitate Iuristarum oravit
Pro Artistis
Carmina etiam vulgata sunt varia.

25 Iunii Magna studiosorum frequentia Pro-Rector, & Syndicus Laureæ solemnibus interfuit, & publicè in Collegio Doctorum locum à Principe decretum tenuit.

Cal. Augusti Prætore Andrea Vendrameno, & Ioanne Baptista Grimano Præfecto, Iuristarum Syndicus, & Pro-Rector eligitur D. Nicolaus Benzonus Romanus Patrit. Artistarum D. Carolus Malsperon Brixiensis.

6 Novembris Claudius Berigardus Gallus è Gymnasio Pisano ad secundum locum Philosophiæ Ordinariæ primo parem electus auspicatus est suas lectiones.

Natio Græcorum varia contra Germanos tentat.

1640 Initio Augusti Prætore Bernardo Polano, & Io. Baptista Grimano Iuristarum Pro-Rector electus est Henricus Lindesaius Scotus. Artistarum Ioannes Columbanus Bruxellensis Pro-Rector; qui ultra annum aliquot menses hoc munere functus est.

7 Aug. Petrus Corrarius ad Præfecturam accessit.

1641 25 Februarii Petrus Marchetus Anatomen suam incepit studiosorum magna frequentia.

14 Aprilis Syndicus Venetias manens elegit Pro-Syndicum Henricum Magnum Heigel Germanum.

Initio Augusti Prætore Andrea Legge, & Georgio Contareno Præfecto ab Vniversitate Iuristarum confirmatur Pro-Rector D. Henricus Lindesaius Scotus. Artistæ verò die 22 Decembris in Pro-Rectorem eligunt D. Filibertum Vizzanium Bononiensem.

Die 8 Iulii Francisco Ericio Duce Senatus Venetus ad Syndicorum, & Pro Rectorum utriusque Vniversitatis decus & commodum decrevit, quod hi Doctoratum more nobilium & gratis obtinerent. Pro Rectore D. Henrico Lindesaio Nobil. Scoto, D. Francisco Frolich Tirolense,

&

& D. Francisco Bremasco Cremensi Consiliariis.

Die 13 Eiusdem mensis iidem retulerunt à liberalitate Veneti Senatus, quod Rectores urbis ex ærario Gymnasii ducatos ducentos & quinquaginta Vniversitatibus Iuristarum, & Artistarum enumerarent.

22 Decemb. Episcopi Lucæ Stellæ obitus Gymnasio, bonisque omnibus gravis accidit.

1642 Cal. Aug. Prætore D. Andrea Legge, & D. Georgio Contareno Præfecto. Iuristarum Pro-Rector D. Dominicus Spinula Genuensis: Artistarum idem Philibertus Vizzanus Bononiensis Pro Rector, & 26 Novembris in eius locum eligitur Thomas Bartolinus Danus.

1643 26 Martii Georgius Cornelius Episcopus Patavinus summa solemnitate ad Ecclesiam accessit.

Cal. Augusti Prætore Thadeo Gradenico, & Ioan. Antonio Zeno Præfecto, Vniversitas Iuristarum elegit Syndicum, & Pro-Rectorem Christianum Brun Danum: & Artistarum Vniversitas D. Iacobum Calichiopulum Rethymnensem Cretensem, qui electus fuit 26 Iunii.

Reformatores Gymnas. tandem decernunt & confirmant Consiliarium Nationis Germanicę, absente ac deficiente Vniversitatis Syndico, Vice-Syndicum, ut moris erat.

Decretum est à Senatu Veneto post munus actum conferenda Syndico Doctoratus insignia more Nobilium.

12 Cal. Martii Io. Dominicus Sala Primarius Medicinæ professor obiit magno patriæ, Gymnasii, & scholarium detrimento.

1644 Initio Augusti Rectore Aloysio Foscareno, & Hieronymo Delphino Præfecto ab Vniversitate Iuristarum electus est D. Ioannes Raymundus à Lambergh Liber Baro Carinthius Pro-Rector ac Syndicus: ab Vniversitate Artistarum Pro-Rector Darius Blancius Dantiscanus Borussus.

1645 Cal. Aug. Prætore D. Aloysio Foscareno, & D. Hieronymo Delphino, Artistarum Syndicus, & Pro-Rector

electus non fuit; Nam Octavianus Spolverinus primum Syndicatum renunciavit, & eius successor Alventus Brixiensis pariter: quo facto, Germanorum Consiliario munus cessit. Italis dissentientibus, Rectores in favorem Germanorum decernunt.

1646 Initio anni Dux Franciscus Ericius vivere desiit. In eius locum suffectus Franciscus Molinus.

Cal. Aug. Prætore D. Laurentio Delphino, & Gabriele Emmo Præfecto. Iuristarum Pro-Rector, & Syndicus D. Carolus Von Hölten Borussus. Artistarum D. Adamus Henningus Fraustudio-Silesius Syndicus, qui anno elapso Vices gesserat, tamquam Germanorum Consiliarius.

1647 Mense Maii Ignominia à Græcis illata insignibus cuiusdam Consiliarii Anatomici in scholis controversias diuturnas & contentiones excitat. Græcorum proterviam non ferendam censuit Germanorum Natio, quæ in hoc Gymnasio tot privilegiis eximiè gaudet.

Anno *1647* cum in Germania Academiæ Rintelianę Professori Medico Gulielmo Deichmano ab eiusdem Licei Professoribus revocatum fuisset in dubium Patavii concessum ipsi auctoritate Veneta Doctoratus Philos. ac Medicinæ Privilegium, ea de re Aloysius Contarenus Orator Venetus pro Serenissima Republica Veneta ad pacem universalem totius Christiani Orbis conciliandam in Germania Mediator, & Legatus apud Philippum Comitem Schaumburgi, & Sternbergæ istius Academiæ Dominum hisce literis conquestus est:

Generosissime Domine Comes.

EX inclusa supplicatione pluribus videre est, de qua re Doctor Guilielmus Deichman coram me conquestus fuit. Quamvis quidem non ita facilè, imò ferè nunquam persuaderi aut adduci potuissem, vt crederem, quosdam in Vniverso terrarum orbe exti-

tisse, qui per totam Europam sat notoriè celeberrimam Serenissimæ Reipublicæ Venetiarum Academiam Patavinam, omnesq; in ea vigore Privilegiorum solemniter promotos Doctores adeo atrociter & nefariè calumniari, eosq; (non sine gravissima iniuria) Doctores Bullatos & non legitimè promotos appellitare unquam ausi fuissent; attamen Documenta respectivè coram Notario & Testibus in probanti publici Instrumenti forma conscripta & mihi remonstrata aliud præter omnem opinionem evincunt, quæ etiam tantum penes me obtinuerunt, ut ea omnes dubitandi meas rationes prorsus clarè resolverint & penitus extinxerint. Quare (cum prædicta diffamatio sat manifesta, & non duntaxat ibi locorum, verum etiam in longè distantioribus Regionibus, uti non sine dolore & indignatione, ob respectum Serenissimæ Reipublicæ, ut & Almæ Academiæ Patavinæ experiri debui, imo ubique ferè gentium ab allegatis calumniatoribus, nomine Francisco Giessenbier, Christoph. Ioch. Eucholtz, Anton. Peittman, & And. Heinrich Bucholtz, respectivè Doctoribus, Magistris, & Professoribus in Academia Rintelensi, sparsa sit, adeo ut temerarii & audaculi illi diffamatores hanc in proprio suo cerebro natam & fictam calumniam, ex mero traducendi animo etiam ad Cameram Imperialem, quæ est Spiræ, transcribere sibi præsumpserint, Status & Officii mei ratio à meque exigere videtur, ut eorum Doctorum omnium, quorum interest, in specie verò præsentis Doctoris Guilielmi Deichmanni patrocinium in me suscipiam, eiusdemq; honores Doctorales defendam; Ideoq; T. Generositatem amicè rogatam & simul seriò admonitam volo, ut querulanti Doct. Deichmāno adversus suos calumniatores, ad acquirendam coram toto Mūdo iustissimam vindictam; citra omnem conniventiam & personarum respectū, quem sancta Iustitia prorsus respuit, (nō attentis etiam quibuslibet Iuris argutiis, non Processus finem, sed in merum Actoris præiudicium saltem frivolas exceptiones & Processus prolongationem aliquam quæritantibus) clementes & gratiosas aures, & ipsi (prævia tamen Iudiciali productione libelli iniuriarum, Documentorum & aliorum Testium, uti Iuris, qui ab Actore nominari & coram non su-

suspectis eo fine constituendis Commissariis ad Positionales iurato respondendum & veritatem deponendum citari debent) ipsius Iustitiæ manusq; præbere velit. Rogans insuper vt ipsi Rei in consideratione grauissima huius causæ diffamatoriæ, donec lis decisoriè dirempta, & gravior forsan pœna ipsis calumniatoribus per definitivam dictata fuerit, ab officio, dignitate & munere, quo illi hodie funguntur, suspendantur, & præterea tam corporaliter, quàm realiter arrestentur; Quod, cum iuri & æquitati consentaneum sit, ut sic & sicuti de iure convenit, in omnibus clausulis deinceps procedatur, omninò confido, & Tuæ Generositati pro facultate inserviendi studium & benevolum gratificandi animum lubens repromitto, eamq; potentissimæ tutelæ Divinæ commendo. Datum Monasterii die 9 Martii, styli novi 1647.

[*] *Locus sigilli.*

Ad maiorem fidem legitimè impetrati honoris missæ fuerunt Patavio Pro-Rectoris literæ. Itemque Benedicti Silvatici Medici primarii, & Præsidis Collegii Veneti, Cancellariique Academiæ manu subscriptæ fuerunt.

Die 7 Iulii D. Aloysius Mocenigo Præturam aggressus alacri fronte studiosorum Syndicum sibi gratulantem accepit, ob varios eorumdem scholarium tumultus, qui eo pauciores eo insolentiores.

Hoc anno Calendis Augusti Iuristarum Comitem Guidum Feramuscam Nobilem Vicentinum Pro-Rectorem elegit; qui vir nobilitate, ingenio & prudentia clarus, constanti animo studiosorum controversias sedavit, & immunitates tutatus est.

Die secunda Artistæ elegerunt suum Pro-Rectorem, & Syndicum D. Carolum Franciscum Zazium Burmiensem Vulturenum.

1648 10 Ianuarii Senectute confectus obiit D. Marius Mazzolenus Theol. & Philos. Patavinus, & Philosophiæ extra-

traordinariæ primus Interpres, anno ætatis 84. in Ecclesia S. Danielis conditus in tumulo suorum maiorum.

13 Maii A Senatu Veneto Iacobus Caimus in Foro Iulio Tissani (forsitan Titiani à Titio Romano) Comes declaratus.

Cal. Augusti Ob ingentia in Gymnasium merita denuò Comitem Guidum Feramuscam Syndicum studiosi acclamarunt; ille verò se excusavit; cedentibus autem Vltramontanis, quibus locus Pro-Rectoris creandi competebat annuentibus Aloysio Mocenico Prætore, & Vincentio Gussono Equite Præfecto, iterum Pro-Rectoris onus suscepit. Artistarum Syndicus D. Ioannes de Luneschlos Salinga-Montanus, qui paucis post mensibus in patriam rediturus, convocata Vniversitate officium resignavit; in cuius locum Vice-Syndicus legitur in actis Vniversitatis Franciscus Massari Brixiensis.

1649 Mense Maii confirmantur statuta Collegii Veneti Professorum Iuris.

Cal. Augusti Iuristarum Vniversitas elegit Octavium Odaxium Brixiensem in Pro-Rectorem Gymnasii. Et Guido Comiti Feramuscæ statuam in scholis cum Elogio erigendam curat.

2 Artistarum Syndicus electus una omnium voce fiat, fiat, & sine calculis Aloysius Longena Brixiensis.

Die 30 Augusti Ioannes Veslingius Mindanus Eques Hierosolymitanus, Anatomicus, & Botanicus publicus, ætatis anno 51. magna Lycei jactura obiit; vir equidem celebris, eruditione, elegantia morum, & libris editis. Eius funus celebri pompa cum professorum, ac studiosorum Vniversitate in D. Antonii æde factum est; corpus in primo perystilio cœnobii ad partem meridionalem conditum.

Calendis Novembris Ex aquarum inundatione multis studiosis interceptum iter quo minus Patavium accederent. De more habitæ sunt Orationes in Ecclesia Cathedrali.

Die

Die 19 Novembris Vigesima tertia hora obiit Gaspar Scioppius Francus Comes & Eques, Pontificum, Imperatorum, & Principum ministerio nobilis, omnis generis eruditione, atque in primis memoria plurimisq. ingenii monumentis clarus annos natus 74. ad præsens conditus in vicina D. Thomæ æde.

Initio anni 1650. Insignis orta fuit controversia Theologica *De æterna productione Filii Dei*, inter duos celebres Academiæ Patavinæ professores. Quum P. Matthæus Ferchius Vegliensis Min. Conu. Theologus publicus anno 1646 librum edidisset, *Defensionis Vestigationum Peripateticarum*; & in eo D. Sebastianus Baldus Genuensis Medicus legisset, Filium Dei esse numeratum inter res creatas, primam creaturam Dei, conditam ex præexistente substantia Patris ad intra, sicut ad extra creatus est Adam ex præexistenti luto; dogmata ista nova & exotica tantum non exhorrescens per literas quæsivit sententiam doctissimi Liceti. Qui suam opinionem ad amicissimum virum ingenuè communicatã transmisit; eamque postea simul cum epistola Baldina vulgavit anno 1650 in opere suo *De Septimo-Quæsitis*. In qua quidem disputatione P. Ferchium excepit, illius nomini parcens, dogmata tamen ipsius cum fundamentis impugnans. Ista dissertatione lecta statim P. Ferchius in Baldum pariter, & in D. Licetum eodem anno promulgavit opusculum sub titulo, *De productione Filii Dei*, quo sua dogmata tueri pro virili studuit.

1650 Cal. Aug. Prætore D. Aloysio Molino, & D. Sebastiano Michaele Præfecto, Iuristarum Pro-Rector, & Syndicus D. Gustaus Adamus Banner Ioh. F. de Mulhammer, Noerbii, Vverder, &c. Suecus. Artistarum D. Franciscus Ignatius Thirmair Monacensis Bavarus.

Inclyta Natio Germanorum Artistarum à Natione Vltramarina variè impetebatur circa Vice-Syndicatum, aliaque privilegia, quæ tandem contentio sedata Illustrissimorum

Gym-

Gymnasii Moderatorum decreto, præsertim ut absente Syndico Consiliarius Alemannus suppleat vices Syndici, adminiculante potissimum nobili Viro D. Hieronymo Frigimelica Medicinæ practicæ Extraordinariæ primo professore, quem unanimes xv Septembris in comprotectorem elegerunt, & Equitis Benedicti Silvatici jam senescentis Protectoris successorem. Cuius etiam effigiem æneis tabulis insculpi publicis expensis curavere.

Die 20 Septembris controversia inter Anatomicum, & primæ Sedis Philosophum à Senatu Veneto decisa est, ut hoc ordine Cathedræ procedant. Nimirum, Primum locum obtineat Medicinæ Theoricæ Professor primarius. Secundum Medicinæ Practicæ. Tertium Primæ Sedis Philosophus. Quartum Anatomes professor.

Eodem decreto alia multa circa ordinem professorum in Collegiis, & extra summa prudentia sancita fuere.

24 Novembris Michaël Petrus Maria Pharmacopœus Patavinus ad Sirenas utriusque Nationis Germanicæ insignia suis ædibus præfigenda impetrat.

1651 Cal. Augusti Prætore Aloysio Molino, & Sebastiano Michaële Præfecto, ab Vniversitate Iuristarum electus est Iacobus Bissarus Vincent. Comes Costæ Fabricæ & Castri novi Pro-Rector. Ab Vniversitate Artistarum D. Ioannes Andreas Zaninus Marosticensis Pro-Rector, & Syndicus.

1652 Cal. Augusti Prætore Andrea Pisano, & Sebastiano Iustiniano Præfecto ab Vniversitate Iuristarum electus est D. Petrus Langius Gouda Hollandus Pro-Rector & Syndicus, & Artistarum D. Georgius Hilmanus Cratzmann Lunæburgo Saxo.

Die 19 Decembris Cometa apparuit prope collum Leporis triplo maior Venere, corpore admodum obscuro cum rarissimis crinibus versus occasum. De eo eruditi varia quidem scripserunt, sed Fortunius Licetus Medicinæ Theoricæ

Nnn su-

supremus professor huius Gymnasii locupletissimum opus vulgavit.

1653 Hoc anno sponte à Gymnasii Moderatoribus Præses Collegii Veneti Iurisconsultorum electus Ioannes Galvanus Criminalium professor celeberrimus, pro animi sui magnitudine, conseruandæ suorum antecessorum memoriæ, ornandæque loci maiestati cogitat effigies Præsidum in collegio figendas, Moderatoribus Gymnasii non solum annuentibus, sed generosam ac piam animi propensionem commendantibus, verum Medicis ac Philosophis adversantibus res in suspenso remanet, quousque aliud ab eisdem Moderatoribus decernatur.

Cal. Augusti Prætore Octaviano Maripetro, Præfecto Nicolao Capello Vniversitas Iuristarum creavit suum Syndicum Comitem Franciscum Luscum Vicentinum, & Artistarum Nicolaum Petronium Caldanam Piranensem Syndicum & Pro-Rectorem.


23 Novembris Vincentius Francisconus Patavinus Orationem præliminarem habuit pro Lectura Authenticarum præsentibus urbis Rectoribus.

Achilles Bonfius Patavinus pro Codicis Lectura suam primam Orationem habuit.

Eodem ferè tempore Magister Adrianus Santuliana Patavinus Ord. Prædicator. ad Lectura Logicæ in tertio loco.

Vtriusque Nationis Germanicæ Consiliariis, qui Syndici absentis munus aliquandiu gessere concessum, ut more Nobilium pari Syndico privilegio Lauream obtineant, eamque sine deposito, seu ære ad Vice-Rectoris modum. Impetratum id à Petro Resenio, & Iano Fossio Danis, quorum ille Iurisconsultorum hic Medicorum fuit Consiliarius: quod etiam anno 1654 10 Iunii Inclytæ ac Generosæ Nationi confirmatur Consiliarii vices gerente apud Iurisconsultos Germanos Christiano Ostenfeld; apud Artistas Erasmo Bartholino Danis.

Initio Decembris Comite Lusco I.C. Syndico dimisso, perspecta est prudentia Nicolai Petronii Artistarum Pro-Rectoris, qui paratis consiliis fervida juventutis ingenia ad Rectorum urbis obsequium & Lycei tranquillitatem retinuit. Absente Lusco mira constantia & integritate omnia cum Consiliario Alemanno I.C. Vice-Syndico, ac Pro Rectore Georgio Duc Equite Dano administravit. Scholarium privilegia defendit, sui muneris decora splendidè substinuit. Vniversitati impensas minuit electo novo Typographo; cui pro editione matriculæ, Rotuli, Orationis, & reliquorum honorarium destinavit. Ministris Vniversitatis immunitates auxit, præsertim ne urbanæ libratorum militiæ adscriberentur. Insignia priorum Syndicorum & Consiliariorum, ne aliis invectis delerentur, sedulus impediit. Statuta Vniversitatis reformata, correcta, & aucta emisit. Successori suo pro recto regimine libellum documentis politicis refertum tradidit, aliaque ad sui muneris famam & Gymnasii commoda reliquit.



IACOBI PHILIPPI TOMASINI
EPISCOPI ÆMONIENSIS
De Gymnasio Patavino Commentaria.

LIB. V.

In quo Inscriptiones Rectorum, Pro-Rectorum ac Syndicorum recensentur, quæ hodie spectantur, additis Professorum quorundam monumentis.

Introeuntibus Portam Occidentalem.
Parte dextera.

1 HEnrico Lindesaio Nob. Scoto Pro Rectori cum paucis comparando, cujus industriæ, ac dexteritati Veneta Maiestas primum indulsit, ut Pro-Rectores deinceps eodem ritu, quo Proceres, & Nobilia capita Laurea insignirentur. Iuris studiosi B. M. P. anno Domini 1641.

2 Ioanni Baptistæ Saveto Laudensi primum Lumbarde Consiliario, deinde in Pro-Syndicum electo Vniversitas Artium P. Anno Domini 1639.

3 Eximiis meritis Francisci Iamboni Vicentini Syndici, & Pro-Rectoris dignissimi Vniv. Artist. hoc M. P. C. Anno Domini 1639.

4 Ioanni Conrado Heroldt Nob. Germano Franco Pro-Rectori Iureconsf. gloriosissimo, qui consilio, labore, legationibus, privilegiis prærogativis, officio integritatem, amplitudinem, lucem, Pro Rectoribus tituli firmitatem, ad examen aditum, togam dedit, communi nomine obstricta suo nomine P. Vniversitas Theol. Med. ac Philos. Patavii anno 1639.

5 Ludovico Pimæ Patricio Ascriviensi I. V. D. Pro Rectori opti-

optimè meritò Vniv. Iurist. P.C. Anno Domini 1635.

Decora alta Henrici Lindesaii Nob. Scoti Pro-Rectoris, 6
quem magna virtus ignorãtiam recti, & invidiam supergres-
sa principali inclinatione cunctorum ordinum favor e subni-
xum immortalitati commendavit. Iuris candidati G. E. P.
Anno 1641.

Petro Bosio Bergom. Iuris, Theol. ac Med. Doctori 7
....Pro Rect.

Io. Iacobo Degrandi Ver. Phil. & Medic. Doctori, Syn- 8
dico, & Pro-Rectori cum assessoribus V.P. 1597.

Decio de Monte Vicentino Syndico Vniverſ. Iurist. hoc 9
meritorum monumentum P.C. Anno Domini 1639.

Mario Biuilaquæ Saloẽnsi Doctori, Syndico, & loco Re- 10
ctoris cum assessoribus meritissimo V.P.A. 1595.

Ioanni Baptistæ Codatio Laudensi Synd. & Pro-Rectori 11
meritissimo Vniv. Iur. P.C. Anno 1606.

Comiti Martio Capræ Vicentino Vicario pos. Vn. Iur. 12
anno D. 1606.

Paulo Savoldo Brixiano I.V.D. Syndico, & Pro-Rectori 13
benemerito Iurist. Vniversitas anno 1603.

Comiti Lælio Angarano Vicentino Pro-Rectori Vigi- 14
lantiss. Astreæ cultores rerum gestarum memores posuere.
Ad perpetuum reipublicæ literariæ decus, & ornamen-
tum Quirinus Rehlinger ab Halenberg. & Bernardinus Oli-
verius Veronensis sic F.I. 1640.

Carolo Benzonio, qui Romana generositate Pro-Rect. 15
imminutum non sibi, sed Gymnasio asseruit. Iuris candidati
P. anno Domini 1640.

Ioseph Carraræ Brixiano Almæ Vniverſ. Art. Syndico, 16
& Pro-Rectori meritissimo P.C. anno 1600.

Sic jubentibus D.D. Georgio Friderico Fromilera Vval- 17
demburg Carinto, & Gregorio Calcina Iadrensi 1644.

Comiti Lelio ab Angarano Vicentino Pro-Rectori Vniv. 18
Iur. P.C. anno Domini 1644.

Co.

19 Co. Germanico ab Angarano Vicentino, quo Pro-Rectore felicissima Lælii fratris redire tempora jussit æternitas 1646.

20 Alexandro Puteo Pedemontano substituto Iuristarum Vniversitas merito perpetuo I.C. 1588.

21 Petro Bonvicino Brixiensi equiti, philosophiæ, & med. doct. ac phil. & med. V. Rectori V. A. P. 1605.

22 Horatio de Naldis Faventino Syndico benemerito. Artist. Vniv. P. anno Domini 1635.

23 Petro Buarno Brixiano Syndico, qui in memoriam animi grati etiam insignia Io. Baptistæ Appiani desideravit. Vniv. Iur. posuit anno D. 1601.

24 Philippo de Marte Parisiensi nob. Gallo Iurist. Vniv. Syndico suo B.M.P.

25 Octaviani Odasii Patricii Brixiani I. V. D. qui lepidam Gymnasio sortem ingentis spiritus constantia ita addixit, ut ad Astræam currere, quam Marte corruere maluerit, Atticis virtutibus, Ethicis meritis, juventus Iurist. non ingrata servatori summe provido laconismum stat. P. anno Iubil. 1650.

26 Illustrissimo Domino Samueli Slupcki de Conari. Domino in Slupca, & Kscecica Polo. Rectori dignissimo Vniv. Iur. P. anno D. 1606.

27 Francisco Sancto Mango Nob. Neapolitano Vicario suo B.M. Lancellottus de Lancellottis .... stud. P. Rector P. C.

28 Dioneo Albano Patricio Bergomensi Pro-Rectori optimè merito Vniv. Iurist. 1633.

29 Singularem generositatem, animique dotes Ludovici Primæ Catharreni I. V. D. Syndici, & Pro-Rectoris dignissimi Iurist. Vniversitas referebat anno Salutis 1635.

30 Perenni Adoreæ Guidi Feramuscæ Com. Vicent. moderationis, prudentiæ, integritatis exemplis ultra juventam conspicui, qui continuata in biennium potestate delatis tertio fascibus, honore ipso maior, clarior repudiatis, quam si re-

si recepisset, evasit. Iuris stud. P. P. 1649.

Iacobo Comiti ab Ostrdrog. Synd. Ben. V. I. P.C. 31
Nicolao Clericato Vicentino Vicario Ben.V.I.P.C.

Antonio Prospero patricio Spedien, natione Genuensi 32
I.V.C. Equiti aurato, Iurist.q. Rectori dignissimo. Vniver. P.C. 1596.

Decio de monte Vicentino Synd.optime merito hic mar- 33
moreum in animis marmore perennius monumentum P.Vniv. Iurist. Anno Domini 1634. sic jubentibus Ludovico Pima, & Antonio Policreto I.V.D.

Dominico Spinulæ Genuensi patricio, Pro-Rectori inte- 34
gerrimo, cuius ingenui mores, ingenua patria, ingenuos honores conciliant, Genuinum livoris irrident, quem defatigata sustinendis legibus selegit Astræa, & quidem justissimè indefatigati Atlantis onus Hercules debebat suffici, ne legum in deteriora haberetur moles exterti. Pat. Iurist. hoc æviternum illi amoris authoramentum posuerunt Anno Domini 1642.

Inter tormentorum plausus, quæ principis indulgentia 35
suis adiunxit honoribus Co. Germanicus ab Angarano Vic. munus deposuit, minimè dignitatem scholarium, quippe privilegia curavit, & auxit. Vniv. Iurist. P. anno 1646.

Ioanni Conrado Heroldt ad Norgoviam Nob. Germa- 36
no Franco, Syndico, & Pro-Rectori, quia Principe, Senatu, omnibus, favore, laude, titulis ornatus, virtute, prudentia, eloquio, constantia plusquam heroica, immunitates, splendorem, lauream, Gymnasio, officio, exteris reparavit, auxit, imperavit. Publicus ordo Iurist. pos.

Philiberto Vizzanio Patricio Bononiensi Pro-Rectoris, 37
& Syndici munere votis omnium, & suffragiis dignissimo. Vniv. Artist. P.C. anno 1642.

Ambrosii Augusti Patricii Bergomensis Syndici genero- 38
si, dispendia generosa hoc amoris compendio rependit. Vniv. Iurist. anno 1636.

Ad

Ad conservandam de Republica hac literaria benemeritorum memoriam sic jubebant Ioannes Inama Tyrolensis, & Georgius Gavala Cydonius.

39 Lancellotto Lancellotto patricio Asculano I. C. Equiti aurato, pio, pacifero, ac optime merito Rectori suo Pontificii, Cæsareiq. juris studiosorum Vniversitas gratæ memoriæ, atque honoris ergo 1599.

40 Carolo Malsperono Nob. Brixiensi Syndico, & Pro-Rectori splendididissimo ob strenuam administrationem P. C. Vniv. Artist. 1640.

41 Ioanni Palæocappa patricio Cretensi I. V. D. Equiti, ac Rectori meritissimo fil. Illustrissimi Equitis, ac Comitis Palatini D. Georgii Iurist. Vniv. perpetuo pon. C. 1576.

42 Anno negotioso, prudenti solicitudine, liberalitate Vniversitatem rexit, protexit, auxit Ioannes Dominicus Maræsius Vicentinus Syndicus 1618.

43 Andreæ Doria Castrofranciensi I. V. D. Equiti, ac Rectori meritissimo Vniv. Iurist. perpetuo poni curavit 1585.

44 Æternæ meritorum, & honorum memoriæ Com. Clementis Thienæi Vicentini Iuristarum Syndici, ac Pro-Rectoris munere egregie, splendideque perfuncti Vniversitas grata, & memor P. anno Salutis 1626.

45 Petro Buarno Brixiano Syndico, & loco Rectoris meritissimo. Vniv. Iurist. posuit anno 1602.

46 Philippo Tandi patricio Cretensi Synd. benem.

47 Nicolao Caravello Germ. Patr. Corcyrensi Vicario benem.

48 Salustio Dionysio patricio Veronensi V. Rectori, & I. V. D. dignissimo Vniversitas Iuristarum 1600.

Parte sinistra.

49 Carolo Benzonio in quo nil non humanum est, genere moribus, virtutibus, claro, magnanimo, inclyto, Iurist. Syn-

Syndico, Pro-Rectori munificentissimo nationes universæ.

Egregiæ virtuti Theodori Mystachieli Iadrensis Pro Rect. 50
emeriti, quod malignorum supergressus invidiam exardescente Mercurij sinistri dexteritate Universitatem proprio, alienoque ære collapsam maturitate provida reparavit. Naturalis, mysticæque sapientiæ candidati anno 1640.

Petro Alzano Patricio Bergom. I.C. atque Equiti aura- 51
to, quod concordiam publicè, priuatimque constituerit, jura retinuerit, veterum dignitatem perpetuo vitæ splendore renovarit, juris studiosorum Universitas Rectori optime merito P.C.1592.

Simeoni Diphnico Sicensi I.V.D. Redintegrato Gym- 52
nasio à vectigalibus immunitate, Univ. Artist. anno 1635.

Philiberto Vizzanio patricio Bononiensi, qui Caroli Em- 53
manuelis fratris magni philosophi studium, & observantiam in Remp. æmulatus Gymnasii regimen adeptus cum fratre paria fecit ut ille præceptis sapientiæ juventa excoleret, hic dextrè, ac liberaliter obeundo Academiæ jura, atque immunitatem tueretur. phil. ac med. Pro-Rectori b.m.P. an. 1642.

Ioanni Columbano Nob. Bruxellensi Pro-Rectori, quem 54
non . . . . . . , sed fatalis omnium consensus pristinæ dignitatis vindicem fortissimum adscivit ex Belgio hoc marmoreum monum. grato animo, si minus meritis, haud impar. Univers. Artist. pos. anno 1641.

Aloysio Longhenæ I.V.D. patricio Brixiano, qui nobili 55
mansuetudinis, & gravitatis temperamento ita amatus est, ut cunctis venerationi fuerit. Artium, ac disciplinarum cultores P.R.B.M.P. 1650.

Ambrosii Augusti patr. Bergom. in difficillimis Gymnasii 55
temporibus Syndici, optimam cuius administrationem optavit perennare, augustis. promerita angusto nimis lapide testatur Univ. jurist. A.D. 1635.

Thomas Montanus patricius Pisaurensis, Consiliarius 57
Anconitanæ, deinde in Pro Syndicum electus 1639.

58 Hieronymus Arduinus nob. Pisaurensis Syndicus Artistarum, ac Pro Rectoris titulum assecutus Anno 1639.
59 Iacobo Calichiopulo Rethymensi phil. & med. Pro-Rect. & Syndico meritissimo. Univers. Artist. P. C. anno 1643.
60 Iacobo Calichiopulo Rethymnensi, quem frustra ...... virtutis æmulæ conatu repulsæ nescia sordidæ virtus ad Syndicatus fastigium evexit, spectata tempore difficili felix dexteritas spectabilem reddidit. Pro Rect. opt. merito philosophorum Universitas memorum obsequii perenne testimonium P. 1643.
61 Matthiæ Iacobæo Ripensi Dano phil. & med. Doct. Syndico & Pro-Rectori cum assessoribus V. P.
62 Ludovico Evano Britanno Equiti, & Rectori dignissimo Univ. Iurist. P. C. 1605.
63 Dominico Ferrario Lendenatiensi Equ. & Pro-Rectori, ut prudenter, honorificè, feliciter, gesti magistratus memoria perennaret Univ. Iurist. P. C. anno Domini 1630.
64 Ricardo Vvillobeo Anglo Vicario benem. V. I. P. C.
65 Io. Baptistæ Bonetti, Hortensii filio Cremonensi Synd. & Rect. subst. M. V. L. P.
66 Comiti Horatio Godo Vicentino Syndico. Iur. Univ. pos. 1627.
67 Immortali nomini Nicolai Benzoni Randrusio Dani D. Mar. Equ. aur. Pro-Rectoris prudentiss. Univ. Theol. phil. & med. P Kal. Aug. anno 1637.
68 Augustæ virtutis Heroi amplissimo Pro Rectori Danieli Blanckio Dantiscano, cuius gentilitia marmore stemmata inclyta gestorũ fama cõcinantur sapientes Asclepiadæ 1645. Almæ Universit. DD. Consiliariorum perenne decus marmoreis stemmatibus pro meritis expressum P. C. D. D. Assessores, Ioannes Gaspar Vrsiagh Carniolus, Gabriel Milanus Rhodiginus philos. med. Doctor.
69 Guidono Calito Vicentino Vicario meritissimo. Univ. Iurist. perpetuo P. C. 1593.

Mat-

Matthæo Smoc Lecki Polono Syndico meritissimo Vniv. Iurist. P.C. 1593. 70

Antonio Cero Bergom. I. V. D. Equiti, ac Pro Rectori meritissimo Vniversitas Iurist. perpetuo P.C. 1592. 71

Dominico Spinulæ Rochæ Fortis patritio Genuensi Pro-Rectori meritissimo Vniv. Iurist. posuit anno D. 1642. 72

Ioanni Raimundo à Lamberg. L.B. P. R. optimè merito Vniv. Iurist. P. anno Domini 1645. 73

Vincentio Lomatio Mantuano phil. & med. Doct. Equiti, ac Rectori meritissimo Vniv. Artist. Boni. Cur. anno 1590. 74

Daniel Lussigniolus Veronensis Vicarius. 75

Hieronymus Lombardus patritius Cretensis Syndicus. 76

Ioanni Raimundo à Lamberg. L.B. fide, ac continentia nulli Pro Rect. secundo juris cultores b.m.P. 1645. 77

Sic jubentibus DD. Francisco Staudacher Tyrolensi, & Nicolao Vertemano Franco Pluriensi.

Vincentio Matthæio Foroliviensi, & Romano patritio, ob præeminentias, immunitates sarctas, tectas, firmatas, & totius ordinis amplitudinem auctam Pro Syndici munere generosè functo Vniv. Artist. vota 1638. 78

Francisco Magno Veronensi V. Rectori Artistarum Vniversitas P.C. 1588. 79

Christiano Brun Dano, cui ob formam imperio dignam animique dotes Regias, præcipuè splendorem, & munificentiam Gymnasium Patavinum suas fortunas commendavit, eiusque sedula opera, & prudentia justissima tempora moderatè exegit P.R.b.m. Iustitiæ Sacerdotes P.P. 1643. 80

Sic jubentibus Valentino Iuriato Tyrolensi, & Io. Maria Gatto Vulturno I.V.D.

Supra columnas ianuam occidentalem spectantes.

Augustino Belligotto Nob. Brix. Syndico ob prudentem 81

& generosam administrationem Vnivers. Artist. 1636.
82 Vincentio Nigro Vicentino Syndico, Pro-Rectori, Oratori, & Equiti, ob splendidam Legationem apud Sereniss. Venet. Ducem Io. Cornelium memorãdo Vniv. Iurist. 1625.
83 Singulares animi dotes Io. Petri Franchi nob. Veron. Syndici magni meriti Vniv. Iur. sic referebat.
84 Dioneo Albano patritio Bergomensi I.V.D.I.I. Pro-Rectori optimè meritò Vniv. Iurist. 1633.
85 Immortalitati Clementis Comitis Thienei Syndici Cl. I.P. anno 1626.
86 Ferdinando Gomez patritio Romano I.V.D. Pro-Rectori benemerenti Ar. . . . . . . perpetuæ memoriæ P. D. anno Domini 1633.

In fornice eiusdem adyti.

87 Francisco Crasso Ragusino phil. ac med. Doct. Vnivers. Artist. Syndico optimè merito A.D. 1610.

Sub epistylio columnarum.

88 Augustino Vidossio Garzulens. Dalmat. Synd. ac I.V.D. & Equiti ob magistratum præclarè gestum Vn. Iur. P. 1616.

In fornice dextri porticus.

89 Lucæ Quartano nob. Cretensi Syndico meritissimo Vniversitas Iurist. P. A. D. 1611.
90 Iosepho Cicadæ Lupiensi Almæ Vniversitatis Iuris studiosorum Syndico optimo, & benemerentiss.
91 Ludovico Chalino Brixiensi Syndico optimè merito Vniuersitas philos. & medic. posuit anno 1615.
92 Bernardo Arnaldo patricio Vicentino Syndico Vnivers. Artist. posuit anno Domini 1616.

Hie-

Hieronymo de Sanctis Neapolitano civitatis Ortonæ 93
Syndico ob magistratum præclarè gestum Vniv. Iuristarum anno 1617.

Galeatio Feramuscæ nob. Vicentino, qui summa cum eius 94
laude Syndici munus obivit, grata Iur. Vniv. anno à Christo nato 1621. P.C.

Iuliano Castelino Genuensi Syndico ob magistratum 95
præclarè gestum Vniv. Iurist. anno Domini 1615.

Io. Francisco Ghellino patricio Vicentino Syndico opti- 96
mè merito Iurist. Vniv. æternæ memoriæ monumentum locavit. anno à Christo nato 1622.

Taffello Taffellio Veronensi Equ. Diui Marci I.V.D. 97
Syndico meritissimo Vniv. Iurist. A.D. 1619.

Antonio Mariæ Rubeo nob. Rauennati, ac inter Illustres 98
Italiæ familias nato phil. & med. Syndico digniss. & optimè merito Artis Vniv. public. stat.

Prosper Quadrius Pontens Vulturen Syndicus opt. meri- 99
tus Vniversit. Iurist. P.A.D. . . . .

Supra ostium Auditorii inferioris ad portam Septentrionalem.

Vt optatissimi Pro-Rectoris Com. Iacobi Bissari deside- 100
rium Academia minus ferret, & ad prorogandam nominis memoriam Iur. studiosi hunc titulū fastis adscripserunt. 1652.

In Auditorio inferiori dextram versus. Supra suggestum.

Io. Sarius Zamoscius Stan. Præfect. f. Polonus Iurist. Re- 101
ctor 1564.

Vincentio Nigro Vicentino Syndico, Pro Rectori, Ora- 102
tori, & Equiti ob splendidam Legationem apud Sereniss. Duc. Io. Cornel. memorando Vniversitas Iurist.

Ibi-

Ibidem parte sinistra.

103 Dominus Io. Baptista Brugosa Mediolanen. Syndicus.
104 Illustriss. D. Camillo Anoalio nob. Tarv. Rectori ben. splendorisq. incomparabili Vniv. Iurist. D.T.
105 Iulius ab Aqua Vicent. Iurist. Rector 1582.
106 Ioannes Iacobus Avinatrius Bergom. Synd.

Supra ostium interius.

107 Thomas à Schavv. . . . . Rector.
108 Verlatus de Verlatis Vicent. Syndicus.
109 Syndici Aloysii Thetrici Dalmatæ Iadrensis Syndicatus insignia 1585.

Parte dextra.

110 Petto Polidoro Bernardini f. ex monte Brandonio Piceno Equ. I. V. D. ac Rectori per biennium optimè merito Vnivers. Iurist. pace præstita privilegiis A. S. V. eius opera conservatis memor perpetuo D. C. 1579.
111 Petrus Davila Cyprius Syndicus.

In Auditorio vicino.
Parte sinistra.

112 Flaminio Francisci Foro-Semproniensi philosophiæ, ac medicinæ Doct. per biennium V. Rectoris, qui inter cætera immortalia beneficia statuta vetustate pene collapsa restauranda curavit, Artium Vniv. Viro ad commune commodum, & dignitatem nato 1582.

Dextra.

113 Ioanni Francisco Lombardo Cretensi I. V. D. Equiti, ac

ac Rectori meritissimo Vniv. Iurist. perpetuo P.C. 1587.

Aloysio Angarano Spoletino Rectori splendidissimo Iur. 114
Vtr. Cons. Equiti P. Claro, Generoso Ill. Rectorat. sui pondus, & insignia divino pene decore, ac consilio gerenti inclyta pax, infracto animo defensata statuta, instaurata privilegia, Gratiæ hilares, Musæ gesta hæc canentes, Vniv. Iurist. novam hanc gloriam æternis monumentis excipiens dicarunt. 1581.

Ad gradus meridiem spectantes.

Hieronymo Parolario nobili Coloniensi I.V.D. Equiti, 115
ac Iuristarum per biennium Rectori meritiss. sua Vniversitas P.P.C. ultimo sui Rectoratus anno 1598.

Georgio Lombardo patritio Cretensi Syndico benemer. 116

Ioanni Petro Antonini Mesulcinensi Reato philosophię, 117
& medicinæ Doct. Syndico suo æternæ meritorum, & honorum memoriæ V. Artist. P. anno *1636.*

Ioanni Antonio Sedabono Veronensi Lombardæ con- 118
sil. deinde in Pro-Syndicum electo vniuersitas Artist. P. anno *1636.*

Sub fornice graduum.

Ioanni Sebastiano Zolt Hoffemburgensi philos. & med. 119
Doct. Syndico meritiss. vniversitas philos. & med. P. anno Domini *1621.*

Bernardino Nicolino Lucensi Vicario E.V.P. 120

Samueli Geusufio Alongelois Austriaco Pro Rectori di- 121
gniss. vniversitas Artistarum P.C. anno *1617.*

Livio Sordono nob. Auximano Syndico optimè merito 122
vniversitas philos. & med. posuit anno Domini *1612.*

Eustachio Patelaro patr. Cretensi phil. ac med. Doct. Syn- 123
dico, & Pro-Rect. cum assessor. V.A.P.M. *1607.*

Antonio Savoldo Brixiano Syndico loco Rectoris defi- 124
cientis cum assessor. benemerito vniversitas Artium 1595.

Ad

Ad gradus Septentrionem versus.

125 Ioanni Columbino Bruxellensi P. Rectori, qui verè Belgica fortitudine, qualem, & muneris, & Gymnasii decus exegit ex invidia gloriam sibi cumulavit, ex S. C. ad tuendas immunitates, discernendos curavit magistratus, leges, pœnas, quas etiam suo libentius damno, quam alieno, primus vidit expensas, & primus jam diu multis ambitam Rectorum laudem pristino ritu, parique merito sibi, & successoribus obtinuit, utque omnem ex antiqua lite prærogativam asseruit, ita nil optandum reliquit quam sui similem, P. Rect. Vniv. Artist. E. M. An. 1641.

126 Nicolao Benzono Rādrusio Dano Equ. aurato Prorect. ac Syndico, qui creberrimis Legationibus apud Ser. Rempub. Venet. Licei dignitat. immunitatemq. redintegravit, & provexit, Vniv. Theolog. philos. & med. grata pos. Cal. Augusti anno 1637.

127 Immortali merito Theodori Mistachielli Dalmatæ Pro-Rectoris, ac Syndici munere optimè perfuncti Vniversitas DD. Artistarum grata P. 1644.

128 Iacobo Savojano patritio Nauplienfi Equiti præstantiss. philosophorum, medicorumque Pro-Rectori mox ob conspicua merita Rectori digniss. 1587.

129 Antonius Cosetus ex Monte sancto Syndicus.

130 Hieronymus Lombardus Cretensis Vicarius.

131 Abraham Loterus Augustanus Sapiens.

132 Comiti Francisco Thieneo Vicentino Syndico Vniversitas Iur. B. M. 1612.

133 Petrus Macciolenus Maphalus Bergom. I. V. D. & Eques, ac Vniver. Iurist. Rector. 1562.

Ad portam Turris.

134 Ioannes Veslingius Mindanus Eques Hierof. Anatomiæ, & Chir. professor primarius 1636.

Ih.

Insignia Gabrielis Fallopii, & Hieronymi Fracastorii: qui olim Consiliarii Anatomici.

In pariete versus Theatrum Anatomicum.

Tutelari genio, antiquæ disciplinæ reparatori, antiquatæ 135
nativitatis assertori Co. Guido Feramuscæ Vicentino, Pro-Rectori benemerito, ut æternum stet facti gratia jure hanc aram Iuris studiosa Vniversitas excitandam curauit 1648.

Sub statua.

Guido Comiti Feramuscæ iterum Pro-Rectori, nobilita- 135
te, judicio, integritate undiquaque clarissimo servata studiosæ juventis concordia, assertisque Gymnasii privilegiis etiam post biennium omnibus optatis. Iuris cultores M.P. 1649.

Perenni gloriæ Com. Guidi Feramuscæ patritii Vicentini 137
Pro-Rectoris optimè meriti Iuris candidati nihil non debentes ad gratiam utcunque reponendam Posuerunt 1648.

Petro Langio Gouda Batavo Syndico, ac Pro Rectori 138
spectatæ integritatis Iuristarum Vniversitas P. anno 1653.

Comiti Pompeio Capræ Vicentino Syndico, & Pro-Re- 139
ctori Vniversf. Iur. B.M. 1604.

M.D. Ludovicus Buzzacharinus Perbulensis Illustrissimi 140
Senatus Veneti Eques Auratus anno Domini 1546. philosophorum, medicorum Gymnasii Patavini Rector ad perpetuam memoriam.

Bonaventuræ Ferrario Vtin. Equiti D. Marci Anat. & 141
Chir. professori ord. vniversitas Artist. G.A.P. 1638.

Supra ostium Theatri Anatomici.

Theatrum Anatomicum Iustiniano Iustiniano Prætore, 142
Nicolao Gussono Præfecto, Ioanne Superantio Equite,

Marino Grimano Equite, & D.M.Proc. Leonardo Donato Equite,& D.M.Proc.Gymnasii Moderatoribus. 1594.

In superliminari ostii.

143 Hieronymo Fabricio ab Aquapendente xxx jam annos Anatom. professore.

144 Petro Marcheto Chirurgiæ, atque Anatomiæ professori eximio, in quo Fabricii ab Aquapendente præceptoris genium revixisse sophiæ, ac medicinæ sacris initiata juventus sibi, ac sæculo gratulatur, Philiberto Vizzanio patricio Bononiensi Pro-Rectore dignis. Vniversitas Artium anno 1642 posuit.

145 Aloysio Longhenæ I.V.D. patritio Brixiano, cuius candidi mores obvia comitas, pertinax de cunctis benemerendi studium, incertum est, plusne dignationis magistratui dederint, quàm acceperint, Artium, ac disciplinarum studiosi Pro-Rectori semper expetendo P.P.

146 Gentilitia hæc bene de Republica literaria meritorum stemmata marmoreis incidenda lapidibus, hicque ponenda jusserunt Perill. & Excell. D.D. Michael Balzarinus, & Io. Baptista Mani Consiliarii, & Assess.

147 Adamo Henningo Fraustadio Silesio Pat. Gymn. Syndico, & Pro-Rectori meritis. philosophorum, ac medicorum cœtus P. anno 1647.

148 Insignia bene de literis meritorum erigi curarunt, Ioan. Schilingus Argentinensis, & Io. Franciscus Cavalinus Foroiuliensis Assessores.

149 Ioanni Hirtelio Transilvano Syndico meritis. Artium vniversitas P. anno 1591.

150 1592 Inclytæ philosophorum, medicorumque Academiæ insignia

Antonius Brularinus Cremonensis Com. & Equ. Artist. V.Rector.

Syn-

Syndicus Prosper Alpinus Marosticensis.
Vicarius Agapitus Odoricus Brixiensis.

Francisco Tornonio Apul. Mastinensi Equi. in phil. & med. Laureato. Rect. magnificentiss. univers. 1604. 151

Florianus Clodius Cretensis Syndicus. 152

Dionis Corona Tarvisinus Vicarius. 153

Iulio Cæsari Frederico Brixiano Syndico & Pro Recto- 154
ri meritiss. philos. & med. D. Vn. Ar. P.C. 1601.

Immortali merito Ioannis Lehner Ratisbonensis Pro- 155
Syndici digniss. ob incomparabilem assiduitatem, indefessumque studium, quo Reipub. Literariæ bono consuluit monumentum hoc poni curavit Vniv. Artist. anno 1651.

Francisco Ignatio Thirmair Monacensi Bavaro philos. 156
& med. Doct. Synd. ac Pro-Rectori gloriosiss. quod Magistratum ea, qua promeruerat constantia administraverit, singulari gravitate, ac prudentia Studii adauxerit maiestatem, Vniversitas Artist. ut æternum beneficiorum memor esset, hoc monumentum erigi jussit anno 1651.

Davidi Placotomo Dantiscano Rect. meritiss. statutum 157
ab Art. Vniv. insigne Mundinus Mundinius amico vita functo amoris ergo P.C. 1599.

Mundino Mundinio Vicentino Vicario meritiss. Artist. 158
V.P.C.

Posteritati dignitatem præclaram, maiorem vigilantiam, 159
benemerita summa Georgii Hilmari Cratzman Luneburgensis Pro-Rectoris optimi hoc marmore commendant philos. & med. anno 1653.

Antonio Savoldo Brixiano Syndico Vniv. Art. posuit 160
anno 1592.

Georgio Pipano Cracoviensi Polono Equiti Aur. philos. 161
& medic. Doctori, earumdem facultatum in hoc Gymnasio Rectori optimè merito Vniversitas sua posuit 1594.

Ioannes Veslingius Mindanus Eques Anat. & Chirurg. 162
professor primarius 1635.

163 Octaviano Odasio patritio Brixiano I.V.D. cuius in virtute ob salutarem Gymnasii dignationem maiestas,& amor, justitia, & pax osculatæ sunt in lapide laconismum Atticis promeritis imparem; gratus legulexorum cœtus servatori beneficentissimo Pro-Rectori enixè colendo St. P.C. anno Iubil. 1650.

164 Nicolao Quirino Cretensi philos.& med.Doct.Syndico, & Pro-Rectori dignis s.Vniversitas Art.P.C.1603.

165 Io.Paulo Vbaldino Muglensi Equiti, ac Rectori meritiss. P.C.anno 1589.

166 Dominico Monthesauro Veron.Synd.phil.& med.Doct. V.A.P.1606.

167 Quinto Barignano Brixiensi Syndico Benemerito Vniversitas Iurist.P.C.

168 Sebastiano Ragona Vicentino Comiti Palatino anno Domini 1649. huius almæ Vniversitatis DD.Iuristarum Rectori hoc monumentum jam temporis severitate deletum in gratiam DD.Comitum Augustini, Sebastiani, & Antonii Mariæ fratrum Ragona eiusdem trinepotum Vniversit. DD.Iuristarum instaurandum curavit anno D.1652.

In pariete versus meridiem.

169 Adamo Henningo Fraustadio Silesio Pro Rectori, cuius probata virtus, & prudentia summos Gymnasii fasces meruit, integritas, & vigilantia in tuenda dignitate publica omnium vota excessit; divinæ, & humanæ sapientiæ, artisque medicæ cultores, rei optimè gestæ monumentum P. C. anno 1647.

170 Immortale decus Danielis Blanckii Dantiscani, qui Gymnasii regimen ea modestia tenuit, ut invito fasces delati sint, eo splendore, atque abstinentia peregit, ut publicas rationes ingenti ære alieno conturbatas expedierit, & vel optimo successori difficilem æmulationem reliquerit. Phil. medico-

rum,

rum, & Theologorum cœtus Pro-Rectori benefico ac salutari L.M.P.anno 1645.

Antonio Vlario nob. Cretensi I.V.D.Equiti, ac Rectori 171
Iuristarum meritiss.sua Vniversitas P.P.C.anno 1590.

Adamo Henningo Fraustad. Silesio I.N.G. Med.Consi- 172
liario, & Almæ Vniversitatis Pro-Syndico, qui probatam Lyceo vigilantiam fide superavit. Philosoph. Medic. ac Theol.Collegium P.C.anno Chr.1646.

Bene de Repub.literaria meritorum memoriam ad per- 173
petuum successorum exemplar sic erigi jusserunt Angelus Barberius Veronensis phil. & med. Doct. & Vvolradt Huxholtz Lipp.Vniversit.Assessores.

Comiti Camillo Capiæ Vicentino Vicario Vniversit. Iu- 174
rist.volens, lubens merenti P.

Supra ostium Collegii Veneti.

Ad laudem studiorum cultoribus Serenissimæ Reipubli- 175
cæ auctoritate conferendam ob Polymathiam Hieronymus Lando Eques in Prætura erexit ob Philomathiã anno 1627.

In Collegio ipso.

Hieronymo Lando Equiti, Heroicæ virtutis Prætori pro 176
Collegio auctoritatis Venetæ celebrando, hunc elegantem locum beneficè molito Pompeius Caimus Vtin. Primar. Theor. Collegii Præses pro beneficio insigni ad insigniendum grati animi cultum insigne hoc mutum χαριστήριον posuit anno 1627.

Hieronymo Lando Equ. Prætori, & huiusce Collegii 177
conditori, sapientiæ, & doctrinæ alumno, & patrono Vniv. Artist.Petro Bosio Bergom.I.V.D.Synd.1627.

In pariete versus Orientem.

Bernardino Formagerio Petri f. Rhodigino Iur. Rect. 178
Equ.

Equ. ac Le. Doct. anno 1561. Vniv. Pro-Rectori beneme-
renti P.C.
179 Bartholomæo Fino Equiti Bergomensi Vicario meritissi-
mo V.Iurist.P.C.1595.
180 Nicolao Scordilio patr. Cretensi Syndico benem. V.I.P.
C. 1595.
181 Iacobo Mureto Gallo Montiliensi Syndico meritiss.
Vniv.I.P.C.
182 Ioanni Conrado Heroldt ad Norgov. nob. Germ. Fran-
co sub ipsis consiliarii nationis suæ auspiciis Prosyndico, mox
Syndico, & Pro-Rectori incomparabili admirando publicæ
libertatis vero vindici grata Vniv.Iurist.P.1637.
183 Ad literariæ Reipublicę perennitatem decorandam Mar-
cus Franco Rethimnensis I. V. D. & Io.Baptista Leporinus
Dalmata sic E. I.
184 Carolo Von Holten Dantiscano patritio Pro-Rectoris,
& Syndici munere cunctis acclamantibus functo Vniv. Iu-
rist. 1647.
185 Nicolao Bollizzę pat. Aseruulen. Equ. L. V. C. Rect. splē-
didissimo, prudentiss. pio, pacifero de vniversa Iuristarum
Rep. opt. merito una Pata. Acad. Iurist. omnium vox, ma-
nus, mens. memor, grataq. voluntas P. anno 1594.
186 Io. Conrado Henroldt nob. Germano Franco ter ad
Pro-Rectoratus apicem summa cum omnium postulatione
evecto ob gloriosa promerita congerminatum amoris mo-
numentum Vniv.Iurist.P.1638.
187 Vt Gymnasii decora, & benemeritorum memoriæ peren-
ne refulgeant, monumentum hoc poni jusserunt Michael
Offeman Silesius, & Ioannes Gritti Cretensis Assess. Vni-
versitatis decreto.
188 Fulvio Proveno Vicentino Vicario meritissimo Vniv.
Iurist.P.C.
189 Carolo Von Holten inter P. Ruthenos Gedanensi pa-
tritio, viro ingenuis artibus, & morum cultura spectantiss.
Pro-

Pro-Rectori,& Syndico ad publica nato munera 1647. Universus Iurist. plausus.

Sario Zamoscio Stan. Belzensis Præfecti, & Regii Equitum ductoris F. I.V. Polono Rectori benemerito Universitas Iurist. decrevit, dedicavitq. Kal. Sept. 1564. 190

Lancellottus de Lancell. Ascul. V. Rector unà cum Io. Badio à Boczeu Conf. Polono H.M. Io. Zamoscio Rectori meritissimo à non ingrata Univers. Rep. C. 1591. 191

Quisquis Antenori & Musis Patavinis faues. Siste. Fave angustæ imagini Viri Augustæ virtutis Ioan. Conradi Heroldt Nob. Germani Franci; qui tribus ferè lustris universam Europam curioso viarum cyclo emensus, in Patavinum Aventinum Saturni velo advectus, literis ferreis aureum sæculum attulit, German. Nationis Aquilam Consiliarius, & Sacri Leonis Universit. Pro-Syndicus ornavit. Author. Veneta Doctrinarum Laurum candidatis advenis instituit. Privilegia uti & Pro Rectorum excellentiam oppugnatam servavit & auxit. In candidatorum examine præsentiæ suæ lucem obtinuit. Plaude igitur viro immortali, qui trigesies Legatus, bis nationis suæ Consiliarius, ter Universit. Pro-Rector. Universit. utriusque lumen, Senatui percharus, Gymnasio gloriosus, omnibus admirabilis in lapide gloriæ suæ adamantem tulit. Univers. Iurist. volente, omnibus applaudentibus. Cal. Augusti 1639.

Christiano Brun Dano Pro-Rectori Principis benevolentia omnium ordinum flagrantissimis studiis semper bene uso Astreæ cultores PP. 1643. 192

Iosepho Spinello Castrofrancienſi I.V.D. Equiti ac Rectori meritissimo Univ. Iurist. perpetuo P. Cur. 1575. 193

Gustavus Adamus Baner magni Imperatoris magnum incrementum cum imperatorias artes à contubernio sapientiæ peteret, ne unquam privatus esset Gymnasium regere jussus ita imperavit, quasi diu paruisset, ita pace usus est, ut summi Ducis augurium expleverit, Iuris studiosi PP. 1650. 194

Me-

195 Memoriæ immortali Io. Conradi Heroldt nob. Germani Franci Synd. Pro-Rectoris iterata quadriennii electione approbati, cuius promerita præclara monumenta testantur Iurist. Vniv. Assessoribus Io. Gritti Cretense, & Alexandro Rinaldi Tarvisino.

196 Cæsari Cremonino Centensi principi philosophorum Nicolaus Benzonus Randrusio Danus D. Marci Equ. 1637.

197 Aloysio Cloppo Veron. I.V.D. philos. & Equ. ac D. Artistarum Rectore anno 1570.

198 Camillo Saxo Neap. Cons. Rom. Ass. b.m. V. A.P. 1607.

199 Anocapulano Regensi Cons. Lomb. Ass. benem. V.A.P. 1607.

200 Iacobo Cicuta Dalmato Veglensi Equ. Com. ac Iurist. Rector. benemerito. 1542.

201 Ne præstantissimi Dalmatæ merita prorsus interirent Nicolaus Bolizza patritius Catharensis Eques I.V.C. ac Iuristarum Rector anno 1594 suo ære præclaram hanc tantorum meritorum testificationem temporis iniuria obrutam, ac prope deletam in pristinum statum restituen. omniumque oculis subiicien. C.

202 Hoc frontis honore prolixa cæsarie avide populis spectabatur Gustavus Adamus Baner, quum à parentis fortissimi Imperatoris trophæis recens Pat. Gymnasii regimen capesseret, & Laureatus utrinque fascibus in complexu musarum Imperatoriæ indolis flos in spem non unius triumphi assurgerit, Iuris candidati P. Pro-Rect. incomparabili P. Erectionem huius perficiente Petro Langio Gouda Hollando duobus post annis Pro-Rectore, ac Syndico obsequentissimo suo anno 1651.

203 Iacobo Donato Veronensi Pro-Rectori integerrimo benemerito Vniu. Artist. 1593.

204 Ionas Carisius Neapol. Danus benemer. Synd. V.A.

205 Mario Bevilaquæ Saloensi primum Vicario, deinde in Vice-Rectoris locum suffecto. V.P.

Ca-

Carolo Francisco Zazio Vvltureno patritio Burmiensi Syndico, ac Pro Rectori meritiss. ob scolasticas immunitates sartas, tectas, conservatas Vniv. Artist. hoc qualecunque grati animi monumentum P.C. 205

Inclytæ virtuti Ioannis de Luneschlos Salingi Montani almæ nationis Germ. Cons. deinde Pro-Syndici munere optime functi; quod in difficillimis Reipub. literariæ temporibus assidua vigilantia, pari prudentia, decus eiusdem profecerit, auxerit, nationes universæ beneficii memores exiguum hoc grati animi monumentum P. unanimes 1648. 207

Andreæ Zanino Marosticensi Pro-Rectori, cui ob singularem dexteritatem, atque inusitatum splendorem Theolog. philos. & medic. ordo statuam decrevit, ille altitudine animi gravissimo judicio contentus inania transmisit, sequente eum gloria, quam fugerat hoc uno statuam promeritus anno 1652. 208

Quo bene de Repub. literaria meritorum decus, & ornamentum immortalitati consecraretur insignia hæc marmoreis incisa lapidibus erecta fuere, sic jubentibus, ac annuentibus Perillust. ac Excellentiss. D. Antonio Belloto Brixiensi phil. & med. Doct. & Perillust. D. Spiridione Bua Corcyrensi Consiliariis, & Assessoribus. 209

Ioann. Veslingius Mindanus Eques Anat. & Chirurg. professor. 210

Francisco Massario Brixiensi P. Synd. ac P. Rectoris munere egregiè perfuncto, quod Vniversitatis auctoritatem in pristinum revocaverit, & mira integritate, atque animi constantia conservaverit, Nationes universæ monumentum hoc eius ordinis ante hac nemini concessum ad extraordinarii beneficii extraordinariam referendam gratiam publico decreto erexerunt unanimes 1649. 211

Io. Dominico de Meldis Vicentino Rectori optimè meritò Vniv. Iurist. M. P. C. 1569. 212

Sub fornice gradus versus Septentrionem.

213 Perillustris, ac Excellentiss. D.D. Leonis Calergii Cydoniensis I.V.D. & Equitis Clarissimi, & in hoc Patavino Lyceo Studiosorum Themidis Syndici oculatissimi 1620.

214 Magnifici, ac Generosi D.D. Renati Iuliani Celii Almæ Vniversitatis D. Iuristarum Rectoris dignissimi an. D. 1582.

215 Ioannes Veslingius Mindanus Eques Anat. & Chirurg. professor.

216 Matthæus Vretus Cretensis philos. & med. Syndico meritiss. Vniv. Iur. P.C. 1609.

217 Optimè administrationi Syndici Cæsaris Fenaroli nob. Brix. Vniv. Artist. anno 1627.

218 Comiti Carolo Canossa Regiensi ob dignam sua nobilitate Syndicatus administrationem uni.

Sub fornice gradus ad meridiem.

219 Augustino Belligoto nob. Brixiensi Syndico ob prudentem, & generosam administrationem Vniv. Artist. anno Domini 1626.

220 Marcus Antonius Vreau patrit. Parisiensis Almæ Vniv. Iurist. Syndicus optimus, & benemeritus posuit anno Domini 1623.

221 Henrico Capræ patritio Vicentino, & Comiti splendidiss. cum Syndicatus munere strenuè, ac generosè functus sit grata Iuristarum Vniversi. posuit anno Domini 1624.

222 Iacobo Theotio Bassanensi I. V.D. Syndico meritiss. Iurist. Vniv. dicavit anno 1618.

223 Matthiæ Lettau Vilnensi Lithuano Syndico semper expetendo Vniv. philosophorum, & medicorum P. C. anno Domini 1614.

224 Ioseph Carrara Brixiano phil. & med. Doct. Syndico, & Pro-Rectori meritissimo Vniv. Artist. P.C. 1602.

In

In Schola maiori Iurisconsultorum.

Ioanni Clodio Cretensi Equiti, ac per biennium Rectori benem. Vniv. I.C.P. 1572. 225

Carolo Herlinio Atrebatensi, Equiti perillust. Iurisque consult. excell. Iuristarum Rectori optimè merito Vniversitas uno omnium consensu è laudabili annua eius administratione perpetuæ suæ in eum voluntatis sempiternum id volunt celeberrimo hoc in loco extare monumentum 1568. 226

Leonis Calerii Cydoniensis I.V.D. & Equitis præclariss. & in hoc Studio Patavino Syndici Pro-Rectoris oculatiss. anno Domini 1620. 227

Dardi Cavaccio Vicentino Syndico, & Pro-Rect. meritiss. Vniversitas Iurist. P.C. 1597. 228

Io. Petro Franco nob. Veron. Syndico, & consiliarijs Vnivers. Iur. 1619. 229

Petrus Bentus Sipontynus Rector anno Domini 1565. 230

Marco Antonio Othelio I.C. Vtinensi, & ordinario primæ Sedis matutinæ Iur. civil. interpr. Gen. Sp. Iurist. Vniversitas professori benemerito P.C. anno Domini 1620. 231

Simeoni Patamino Cretensi Rectori splendidissimo Vniversitas Iurist. erexit 1607. 232

Balthasar Fridericus ab Ossa Misnensis Iurist. Rect. 1566. 233

Io. Baptista Averoldus Syndicus. 234

Bartholomæus Bozza Cretensis Eques, Iuristarum Rector. an. 1573. 235

Heremi Ferrerii Pedemontani, Rectoris, & Iurisconsulti cunctis regentibus magnificis, & clariss. Rectoribus Stephano Trivisano, & Iacobo Duodo 1544. 235

Carolus de Herlin Atrebas Syndicus. 237

Philippo Maynardo de Cadubrio Foroiuliensi, Eq. ac Rectori splendidiss. muneris bene gesti causa; sed immatura morte nondum perfecti, Vniv. Iurist. ad perpetuam rei memoriam hoc opus fieri 238

239 Dominico Ferrario Lendenariensi I.V.D.Equiti,& Pro-Rect.privilegiis sartis,tectis,conservatis,novis obtentis, magistratu egregiè perfuncto Vniv.Iurist.P.C.anno Do.1630.

240 Com. Horatii Godi patricii Vicentini Gymnasiarchæ splendidiss. illustria promerita exiguo rependit symbolo Vniv.Iurist.1627.

241 Io.Hobochaen Antuerpiensi, Iurist. Rectori magnifico, optimè merito Vniversit. non immemor beneficiorum ad perpetuam eius magistratus prudentiss. gesti memoriam P.C.1567.

242 Andreæ Porcellaghæ patricio Brixiensi Syndico meritissimo ob magistratum præclarè gestum, Legist. Vniv.P.C. 1628.

In Auditorio vicino.

243 Stephano Cereolo Coloniensi phil.& med.Doct.Equiti, Rectoriq. meritiss. anno sui Rectoratus Vniv. philosophor. & medicor.posuit anno 1579.men.Iunii.

244 Nicolao Piperello Claviniensi Syndico dexteritate, & vigilantia optimè merito Vniv.pos.anno 1620.

245 Sasbout Vanider AA Hollando phil.& med. Doct.Syndico sibi commeritiss.Vniv.Artist.posuit anno Domini 1648.

246 Thomæ Ploveno patricio Vicentino I.V.D.Syndico meritiss.Vniv.phil.& med.posuit anno Domini 1621.

247 Illustriss.Viro Dominico Slatarichio Simeonis f. Ragusino Equ.aurato, Rectori splendidissimo, qui suo splendore, ac vigilantia gradum Rectoratus penè dirutum pristino candori restituit Vniv. philosophor. & medic. in memoriam beneficii pos.5 Cal. Aug. anno D.1580.

248 Carolus de Oreis Veron.Artist.Vice Rector 1571.

249 Gaudentius Delinus Nob. Navariensis Almæ Vniversit. DD.Artist.Syndicus optimè meritus anno D.1624.

250 Francisco Caccia Mantuano Syndico meritiss. Vnivers. Artist.posuit anno D.1617.

Fau-

Faustus Durastanus Picens Artist. V. Rector 1573. 251

Francisco Crasso Ragus. phil. & med. Doct. Univ. Artist. 252
Syndico iterum optime merito A.D. 1611. Kal. Aug.

Benedictus Flanginus Cyprius Vice-Rector. 253

In Auditorio Medico versus Occidentem.

Pompeo Caimo Vtinensi Equiti philos. ac medico eximio in hac prima Sede Theor. med. ord. legenti munere egregiè functo professori benemerito Univ. Artist. posuit anno 1633. 254

Io. Prevotio Rauraco philos. ac med. insigni practicæ extraordinariæ professori primario. civi, & Doctori desideratiss. natio Germana Artist. P. anno 1634. 255

Iuxta Scholam Medicorum.

Nicolao Petronio Caldana Pyrranensi, Theologorum, philosophorum, ac medicorum Pro-Rectori dignissimo, qui antequam votis, cunctorum vocibus fuit optatus, electus insueto magnificentiæ splendore integro sui officii anno Patavii moratus, utriusque Universitatis occursantia munia prudenter sustinuit, utriusque facultatibus mirificè instructus doctorali serto in utraque triumphavit, statuta celso animo digessit, auxit, recudique curavit in ævum omne optandus V.A.P. 1654. 256

Prope Theatrum Anatomicum.

Ingenio, & integritate Ioannis Veslingi Mindani Equ. Hierosolym. Anatom. & Chirurg. profess. prim. æternitatis monumentum Vniversitas Artistarum D.D. 1638. 257

Adrianus Spigelius Bruxellensis Anatomes, & Chirurgiæ professor primarius. 258

Fran-

259 Franciscus Plazzonus Patavinus in patrio Gymnasio publicus, & ordinarius Anatomicus.

Tot post Anatomes sublimia lumina primum
Plazzonum dedit his Vrbs Patavina scholis.

260 Hieronymus ab Aquapendente Supraordinarius.

Sub fœlicibus auspiciis M. D. Iulii Cæsaris Federici, Syndici Artist. meritissimi Perillust. ac Excell. D. Hieronymo Fabricio ab Aquapendente jam 28 annos anatome summa cum laude profitente.

ADDENDA.

1385 Ziliolus de Cremona legum professor Patavii docebat, ut ex consilio Criminali n. 25. in vol. Consiliorum crimin. à Io. Baptista edito, cui subscripsit.

1474 FRANCISCVS FOSCARI *Dei Gratia Dux Venetiarum &c. Nobilibus, & Sapientibus Viris Paulo Corario de suo mandato Potestati, & Ioanni Navaterio Capitaneo Paduæ, & successoribus suis fidelibus dilectis salutem, & dilectionis affectum.*

Ad audientiam nostram nuperrime deductum est quod nonnulli Doctores nostri legentes in Studio nostro Paduano multoties cum licentia vestra, & fortè sine recedunt de Padua pro diversis eorum peragendis suas relinquendo lecturas cum maximo tædio, ac deviamine scholarium sub illis intrantium. Nos vero talia molestè ferentes cum illis demus provisiones nostras, solum ut vacent ad eorum lecturas. Fidelitati vestræ cum nostris Consiliis Rogatorum, & additionis strictè scribimus, & efficaciter mandamus, quatenus convocare debeatis omnes Doctores provisionatos nostros in Padua & eis dicere atque mandare sub illa pœna, quæ vobis videbitur, quatenus de cætero non debeant exire extra Paduanum districtum

ul-

ullo modo sine licentia vestra, sed stent in Padua, & attendant ad lecturas suas; & ut talia essent fidelitati vestræ cum dictis nostris Consiliis Rogatorum, & additionis scribimus, & mandamus quatenus tempore, quo legere debent tales licentias alicui ipsorum Doctorum dare non debeatis sine licentia nostra sub pœna Ducatorum centum pro quolibet vestrum in vestris propriis bonis, & qualibet vice, ac quolibet Doctore licentiato exigenda per Advocatores nostros habentes partem ut de aliis sui officii. Verum vobis damus libertatem dandi licentiam prædictam suprascriptis Doctoribus exeundi extra Paduanum districtum tempore vacationum habendo tamen advertentiam de non ita leuiter dando ipsas licentias etiam tempore vacationum, cum ipso tempore utiles sint eorum præsentiæ. Has autem literas faciatis in actis Cancellariæ deinde ad futuram memoriam registrari.

Dat. in nostro Ducali Palatio die secundo Iunii, Indict. 2. 1424.

1424. *Die Dominico* XI *Iunii Paduæ in Sala Consilii super custodiam provisionatorum convocatis Doctoribus legentibus Domini Rectores superscripti fecerunt legi publicè dictam literam Ducalem, & mandaverunt sibi ut supra continetur declarantes, & imponentes pœnam cuilibet contrafacienti, videl. perdendi salarium primum pro rata dierum quibus legere non tenentur, & perdendi duplum salarium pro rata dierum, quibus legere tenentur.*

IVRISTÆ.

Dominus Rector.
D. Renaldus de Camerino.
D. Prosdocimus de Comitibus.
D. Io. Franciscus de Capitibuslistæ.
D. Protonotarius.
D. Paulus de Dottis.
D. Raphael Fulgosius.
D. Raphael de Cumis.
D. Marcus de Zacchis.
D. Franciscus de Zenariis.
D. Iacobus de Mussatis.
D. Leonus de Lazara.
D. Petrus de Frantia.
Dominus Ioannes de Pensauro.

AR-

ARTISTÆ, ET MEDICI.

Dominus Rector.
Magister Antonius Cermisoni.
Mag. Galeatius de Sancta Sophia.
Mag. Bartholomæus de Montagnana.
Mag. Stephanus de Doctoribus.
Mag. Bonus à Flumine.
Mag. Franciscus de Maso.
Mag. Nicolaus de Cavazolis.
Mag. Antonius de Asilo.
Mag. Gaietanus.
Mag. Ioannes Calderia.
Mag. Ioannes Matthias de Feltria.
Mag. Nicolaus de Andria.
Mag. Prosdocimus de Beldomando.
Mag. Marianus de Camerino.
Mag. Iacobus de Languschis.

1452 Fredericus III Imperator Patavii inter alios Equites creavit Leonem de Lazara I.C. & in Gymnasio publico Iuris professorem, Comitem Franciscum Santacrucium, Benedictum Salam I. C. & eiusdem Gym. Iuris Interpretem, & Ioannem Orsatum.

1458 Ioannes de Porto I. C. Ius civile docebat Patavii, ut patet ex eius subscriptione ad Consilium 75. in vol. Consil. crim. Zilieti. Quod idem recenset Paiarinus. Eodem tempore Ius civile interpretabatur D. Angelus q. Doct. D. Alexandri D. Angeli de Vbaldis de Pensio ex subscriptione Cons. crim. 69. Petrus de Bagarotis, qui ex subscriptione Cons. crim. 85. Paduæ Iura Canonica extraordinariè legebat.

1509 27 Iunii In urbe Patavina pro Imperatore Commissarii, & Proveditores Bartholomæus Firmianus Doctor & Eques, & Comes de Terlago.

1601 Ioannes Vincentius Pinellus Patavinæ urbis ornamentum & hospes clarissimus vitam clausit prid. Non. Aug.

1605 Ludovicus Evanus Rector 10 Ianuarii à Iacobo Gallo I.C. caputium accipit.

23 Octo-

23 Octobris Ioannes Aver Germanus Artistarum Syndicus caputium sumsit magno splendore.


1606 Simeon Phtaminius Cretensis 30 Decemb. Rector 4. Febr. inauguratur, Nationis Germ. consiliarius non portavit Clavum, ut reliqui consiliarii, ad maiorem Nationis dignitatem.

1653 Gabriel Naudeus Parisiensis 29 Iulii in Villa Abbatis ex aula Reginæ Sueciæ redux diem obiit natus 2 Febr. Anni 1600. Defunctis antea Dionysio Petavio, & Iacobo Sirmondo Societatis Iesu Viris celeberrimis. Romæ Andrea Victorello Bassanensi, & Gulielmo Sohiero Belga, prudentiæ fama & linguarum peritia claro. Claudio Salmasio ad fontes Spadanos, in Gallias reversuro.

Prosper Todeschius à Castilione Florentinus à Gymnasio Pisano in primum locum Theoricæ Medicinæ extraordinariæ electus stipendio Fl. 500. orationem habuit elegantem.

1654 Lucretia Marinella Veneta variis ingenii monumentis nota septuaginta annis major vita excessit. Obiit pariter Romæ Christophorus Puteanus Parisinus Carthusianorum decus.

Calendis Augusti Iurisconsultorum Vniversitas Syndicum eligit D. Georgium Guldenstern Baronem Suecum. Artistarum Vniversitas prorogata.



SCRIPTORVM NOMINA,
Quæ in hoc opere laudantur.

CATHEDRARVM SYLLABVS.

PRO-

PROFESSORVM CATALOGVS.

A

B

Hie-


An-

D

Hie-

Io.

Ioan-



RERVM MEMORABILIVM INDEX.

CÆ-

C

G

H

I


L

Fe-

INDEX.

Re-

Io-



INDEX

Eorum qui nominantur, item locorum.

Si-

Bren-

Geor-

Dio-

An-

Pau-

Fer-

M

N

O

P

Io-

Ro-

Index eorum qui nominantur,

Cle-

Item locorum.

Errata grauiora sic emendentur.

Pag.1.v.25.creditur 7.2.Fontavina 10.8.Gebernensis 14.25.requisiti 17.4 *priorum* 18.17.Fantini 19.22 debeant 22.14.orbe 23.Patavino Gymnasio 25.17.variæ 27.4.orphanotropheũ 12.ordinis 28.26.Principes 29.14 Vbertini 18.Furlana 30.13 potentium 31 3.cujusdam 23.Marsilio Rainaldo. 35. 6 *priorum* 42.22.M.Antonio Barbaro 32.perfici 43.11.denominabatur.30 ducatorum xxxII 44.1.ad diei 4.interpositis 45.1.judicant. 4.6 bidelli. 46.5. tractu accedit.4 7.4.cœperunt 6.Quid 48.1.anno 2.Italum. 10.aliorumque 31.cedit, 49.10 vices 50.14.Augustissimi 51.32 nunc tandem 53 6.elegantiam 25.Zamoschius 54.2 Othonannico 3.huic 11.in Philosophorum 55. 15.subselliis 56.13 Vniversitati 58.24.velato 27.insignitis 60.12.conveniat. 61.15.paucis 25.ex[illegible]ösu[illegible]mus 62.8.redegerunt 30.baculum 31.massam argenteam 63 4.publico ministro 20.sceptrorum 65.8.argentei 67.14.Principibus nedum subiecta 24.vocantur 25 exsequantur 68.15.versabatur 69.9.*dele* ubi 70 13.Pharmacia 14.Anatome 16.textu 75 4 singularum 5.dissectione 15. quæ. 76.4.sustinuisset 21.*del* ut 78.10.arcæ 15.perflatilis 18.stipat 29.portæ 79.24.supplicio 80.7.cooperta.Ecclesiam 29.aureo 30 XXV 81.2 febri.11. in Palæstinam 14.demonstrationum 23 quæ 85.6.fructum 7 pusillam 8.tã. filitove 12.lævam 21.MARCI 27.Heus 86.4 circumactu 5.quadrantes 88. 2.squalentes 13 larix 16.lilionarcissis 90.2 Consensere 6 Insulanus 22.pastinaca 26.Alyssum 91.col.1.25.Chamædrys 28.Chondrilla 33. cichoriam col 2.3 Crisampelus 92.col 1.16. Gallium 93.col.1 21.platanifera 22.baccifera 24.Coclearia col.2.9 Heracleoticum 34.Pseudolithospermum 94.col.2. 20.Stachys 96.8.*intelligeremus* 22.qui 97 24.viridarium 98.6 Hanc 16 interiret 23.quadraginta 112.26 alnus 113.col.2.20.Guajacum 117.col.1.4.Tabernæmontani 9.Lapathum 18.Larix col.2.10.caliculato 119.col.2.6.[illegible] 19.Appula 121.col.1.32.Myrtillus 33.Myrtus col.2.9.calice 122.col.1.2.[illegible]

dodendrum 6.pseudomelantium col.2. 8 onopordon 123.col.2.4.phœniceo. 124.col.1.25.fructu 125 col.1.18 Lybica 127 col.1 16. Cretica col.2.10 laciniatis 128.col.1.penult. bupleuri 134.10.detrimento 136.6. versatilia 17. Medicina 137.18. Italiæ 26.conficiebant 27. Rempublicam Paravinam 30. magnis Viris 31.accitis 138.1. Buccaticum 4.honorariis 26. Plazzolo 27. ForoIuliensibus eximiam 139.18.Mazoleno 140.1.urinis 6.Leonici v.penult. farinam 143.7.*fecerint* 144.16.*noverit* 25.*præsentes* 145.22.*taceret* 47.penult. expectationem 148.27. In rotuli initio 149.2.Marci 14. *aggredientur* 155 8. Marci 25.& pag.seq.Cermisono 157.14.col.1.*Stephanus* 158.col.2.11.*Rhetorica* 160.5.capiti 9.decet 161.v.penult.quum 162.5.Rerumpublicarum 164. 33.elegantissimos 170.10.vulgari 171.14.explorarentur; 172.12.statutis 14. Placciola 15. Montagnana 176.15. *Mariæ* 179.9 suggerebant 180.5 binas vnam 6.alteram 181.15.*sequelam* 184.26.*capessendam*,& sic vbique 189.24 relictis 31. Aliis 193.9. *via* 199.30. Nationis 31. munitur 200.7.nollent. 12. dabat,conferebat, 15.concedebat 20.familiaris 201.17.se sistunt 204.5.inopia laborantibus 6 Pratense 7.Ravennate 22.aureis 30.*quadringentos* 205.13 sexteriis à Principe sublatis 14. suffulta penitus 206.7. Molarum 207.15.frumenti 208.24.constituerit 210.11.ex oppido 19.vico 211.24.pro v.penult. Patavinus 214 3.unaquæque 17.solebant 26 *dele* & 215.3.penult. domum 216.9 è 218 15.Rosatus 21.annum 32 Ducati 224.20.pendant 229.2.memoriam 236.5.Verzelesius 239 2.usque ad. Et sic ubivis.241.14.Cameracense. 243.4.sed exacto 6.Transmissionibus 244.14.præmatura 246.15.1649 247.9 Gymnasio 248.17.Iunio 251.15.confecto 255.17.ducatis 257.27.Gaspar Fabianus 260.19.S.Petri 261 9.à Doctoribus 272.8.qui 278.9.1413 279.v.postr. duos 280 29.adductus 294.3.polyhistor 295.32.muliebribus 298.11.ad 12. valetudinem 21.literis instructus 299 6.variorum 302.15.locum 303.7.Casserius 304.6.Leonicus 307.3. accito 308.13.primo loco 311.5.annos 312. 14.Collega 313.21.Antonius Guidus 321.16. Portenarius 334.15.die Servatori natali 337.11.Cajus 340.16.Scodriensis 344.14.linguæ Græcæ 23.dissertationibus 354.15.1193 355.3 flumen 357.15.tyrannide 359.6.debet 362 6 Savellus 363 v.postr. Roncalitius 370.4. Vormatiæ 373. v.penult. Princeps, eum l.b.r. 376.31. Vergerius 386.31.*del.*debeat 33.universitas 392.24. Hamburgensis 401.12. Trautmansdorf 406.v.antepen.de 408 2.Ioanni 409.2.Menichellis 7.sepulcrum magnifice extructum 410.24.Palphus. 415.15 Germaniæ 417.18 Ioannes Palæocapa 422.18 abit 426.24 Quod 428.4.ædificata 430.14.Borussus 440.7 ærarium 443.32.innotuit 445.12.Carniolanus 31.Van der AA 447.7.confirmatur ab Vniversitate 448.13.Sabiono 31.Equite 449.3. prædictarum 10.Noalius 452.15.Sandelius 453.8.Bellonio 454.6.Zacharias Sagredus Prætor 26.Randrusius-Danus 465.29.Hilmarus 466 24.lecturam 467 7.Due 471.16.laberetur 28.impetravit.473.12.Redintegrata 476.29.Renaldo 478.8.Schauurstein 13.Petro 484.4.leguleiorum 492.30.Bellinus 493.24.integritati.

